C. G. HEYNII

EXCURSUS

IN

HOMERUM.

ACCEDUNT

GODOFREDI HERMANNI DISSERTATIONES DE LEGIBUS QUIBUSDAM SUBTILIORIBUS SERMONIS HOMERICI.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

MDCCCXXII.

EXCURSUUM TABULA.

A.

I. *De interventu deorum in Homero* 1
II. ad v. 55. et al. θεὰ λευκώλενος Ἥρη et ποτνια Ϝηρη 5
III. ad v. 66. αἴ κέν πως—βούλεται ib.
IV. ad v. 141. *De* ἐρύω. ἐρύομαι. Ϝερυω. ῥύομαι 8
V. ad v. 164. εὖ ναιόμενον πτολίεθρον an εὐναιόμενον 10
VI. ad v. 171. 505—510. ἄτιμος. ἀτιμία. τιμὴ, τιμᾷν 11
VII. ad v. 393. ἕο, οὗ. Ϝεο, Ϝου. οἷ, Ϝοι. ἓ, Ϝε. ὃς, Ϝος. ἐὸς, ἐῢς, ἑὺς 13
VIII. ad v. 494 sqq. *De Olympo Homerico* 15
IX. ad v. 529. *De Ambrosia* 17

B.

I. ad v. 101—109. *De Agamemnonis sceptro, regno ac successione, de imperii finibus, et de Argis* 20
II. ad v. 718. *De* Nῦ ἐφελκυστικῷ 22

Δ.

I. *De acie Homerica et tactica Achivorum et Trojanorum* 26
II. *De primo ex quatuor praeliis inter Achivos et Trojanos commissis* 33
III. ad v. 300. *De* ὄφρα *cum subjunctivo et optativo* 35

E.

I. ad v. 203. ἄδην, ἄδδην. ἄδω. ἀδέω. ἀνδάνω 38
II. ad v. 212. *De* εἴ κεν *cum subjunctivo, optativo et futuro indicativi* 40
III. ad v. 656. ἀμαρτῇ. de προσῳδίᾳ *seu accentu in Homero et interpunctione* 42

Z.

I. ad pr. *De locis in quibus ad Trojam inter Trojanos et Achivos est pugnatum* 46

H.

I. ad 336. 430 sq. *De castrametatione et de castrorum munitione per Achivos facta* 57
II. ad v. 353. ἵνα. μή. ἵνα μὴ 64

Θ.

I. ad v. 18 sq. *De mythis Homericis* 68
II. ad v. 300. *De φι paragogico, seu in fine adjecto* 72

I.

I. ad v. 111—113. *Particularum* ὡς, ὡς ἄν. ὥς κεν. ὡσεί. ὡς ὅτε. ὥς τε. *usus Homericus* 73
II. ad v. 116. ἀασάμην. ἀάτη. ἄατος. ἀάατος 78
III. ad v. 251 et 677. *De particulae* ὅπως *usu Homerico* 79
IV. ad v. 698. *De usu Homerico particulae* ὁπότε 83

K.

I. ad v. 98. *De vocibus* ἀδέω. ἀδδέω 84

Λ.

I. *De praelio tertium facto, post alterum Il.* Θ. *una cum Achivorum fuga in castra, quae exinde oppugnantur* 85

M.

I. *De castrorum oppugnatione per Trojanos facta.* Τειχομαχία (M—Π. 398) *et insequuta pugna diei reliqua ad* Σ. 242 88
II. ad v. 41. *De* ὅτε. ὅταν. ὅτε κεν. εὖτε. εὖτ' ἂν 93

Ξ.

I. ad v. 214. 219. *De cesto Veneris* 94

O.

I. ad v. 247. *De hiatu in Homericis* 96

Π.

I. ad v. 150. 151. *De Harpyiis* 102
II. ad v. 233. 4. 5. *De Jovis Dodonaei religione secundum Homerum ejusque interpretes veteres* 103

P.

I. ad v. 164. *Diphthongus elisa ante vocalem, cum aliis observationibus prosodicis ad Homerum* 109
II. ad v. 706. *Observationes nonnullae grammaticae ad Homerum* 121

Σ.

I. ad v. 125. *De computatione dierum in Iliade et pugnarum per eos distributione* 126
II. ad v. 239. *Comparatis* Π. 777. *de rebus in pugna tertia gestis in unum diem cumulatis* 132
III. ad v. 478. *De clipeo Achillis* 134

T.

I. ad v. 90. *De Ate* 145
II. ad v. 384. *De digammo placita, quae in Homero probanda esse videntur* 148
III. *Recensus vocum Homericarum, quae digammi vestigia servant* 162
IV. *De digammi usu in media voce* 191

Υ.

I. *De praelio quarto inter Trojanos et Achivos facto* 197

Φ.

I. *De dialecto Homeri Ionica* 199

Ψ.

I. ad v. 84. *Salebrae interpretationis et criticae ex grammatica Homeri imperfecta* 206
II. *De usu grammaticorum veterum in interpretatione Homerici carminis* 217
III. *De Allegoria Homerica* 224

Ω.

I. *Judicia virorum doctorum de rhapsodia Ω.* 237
II. *De Iliade universe, ejus partibus, et rhapsodiarum compage* 245
Sectio I. *De iis quae historica fide de Homero et de Iliade tradita videri possunt* 250
Sectio II. *De Iliadis argumento, et de partibus carminis* 253
Sectio III. *De Iliade per rhapsodias recitata et de rhapsodis* 262
Sectio IV. *De rhapsodiarum compage* 267
III. *De Homero Iliadis auctore* 283
IV. *Res memoratae ab Homero ex annis ante Iliadem et ex annis post Iliadem* 290
V. *De carminum Homericorum auctoritate rite constituenda* 294

EXCURSUS AD ILIAD. A.

EXCURSUS I.

De interventu deorum in Homero.

MINISTERIA deorum, quibus poeta utitur, non tam ingenii sunt felix aliquod inventum quam popularis opinio, cum inter priscos ac rudes populos dii interesse rebus humanis sint crediti; ad quam opinionem homines facile adduci debuere partim caussarum, a quibus quaeque proficiscerentur, ignoratione, partim persuasione, esse numina hominum simillima corporis specie, ingenio, animi affectionibus et studiis. Cum itaque a partibus, alii Achivorum, alii Trojanorum starent, inventa jam, saltem parata erant reliqua omnia.

Interventus tamen hi et ministeria deorum non unius sunt generis; alia cum ipsa actione epica conjuncta sunt, aut etiam partem ejus constituunt; alia extra eam sunt constituta; sunt tandem quae mera sunt ornamenta a priscorum hominum cogitandi et loquendi more ducta. Ita Apollinem sagittis Achivos prosternere, Jovem a Thetide exorari, ad ipsam actionem epicam spectare dixeris; ita porro, Jovem a Junone in monte Ida in fraudem induci; Pandarum a Minerva adduci, ut Menelao sagitta percusso induciae solvantur; deorum opera modo Achivos modo Trojanos pugna superiores esse; haec et multa similia in ipsa actione epica constituta esse. Contra sunt alia, quae extra eam esse dixeris, ut Sarpedonis corpus a Somno et Morte absportatum, ὁπλοποιΐαν, Apollinem a Jove ad Hectorem ex vulnere recreandum missum, et sic alia. Ex hoc maxime genere multa sunt episodia profecta, majora minorave, ut vallum Achivorum a Neptuno aliquando destructum; pugna deorum lib. XX. et XXI. Tandem inter modos narrandi antiquos, quibus res et facta ad miraculum adducuntur, referam, si dii intersunt pugnae, hortantur, incendunt, pugnant ipsi, vulnerantur; aut servant, abducunt superatos ab hoste vel vulneratos eripiunt objecta hosti caligine. Ita si Somnium ad Agamemnonem mittitur, si Minerva Jovis jussu caelo delapsa Ulyssem hortatur, ut Achivos a consilio discedendi revocet, aut si illa Achillis iram compri-

mit, aut si aciem pererrat sive ipsa, sive Neptunus sive Mars; et hujus generis sunt innumera; bene intelligo tribui haec omnia diis, quae sine eorum interventu ex solito rerum agendarum modo et ordine evenerant. In iisdem video interdum certo consilio ac dilectu deos adhiberi, ut in consiliis prudentiae Minervam.

Non una itaque a ratione et consilio interventus deorum petitos esse ex his ipsis manifestum fit. Utinam teneremus, quae ex his poetae ingenio et invento debita sint! Vix enim ipse in totum hoc genus primus incidit, sed jam regnabat non modo illa persuasio de deorum interventibus in rebus humanis, verum in rebus Trojanis jam partes suae diis ante poetam in antiquis carminibus assignatae fuisse videntur, ita ut ille invento antiquiorum uteretur, feliciter utique, forte felicius quoque aliis; de quibus quis asserere aliquid ausit? conjectare licet. Conjuncta est ista quaestio cum altera: ex narratis ad Trojam gestis quaenam videri possint fama accepta, aut a poeta inventa, aut mutata et ornata, ita ut sollennem jam superiorum vatum morem sequeretur in eo, cujus nunc ille, antiquioribus amissis, primus nobis auctor habetur. De quibus cum nihil nobis constet, nec, omni antiquiore fama abolita, aliquid constare possit, frustra de Homeri ingenio disputatur. Malim itaque disputationem ubique ad ipsum carmen transferre, nec de auctore, de quo nihil scitur, contendere.

Videntur utique in Iliade esse quae fide historica constabant; nec modo in rerum summa; nam, si aut Trojam aut bellum et excidium Trojanum omnino ullum fuisse neges, quantum quidem in te est, omnem omnino antiquitatis, ante litterarum monumenta elapsae, fidem tolli necesse est; verum etiam in partibus singulis. Ita antiqua videtur fama acceptum, peste afflictos esse Achivos, dissidium inter principes esse exortum, Achillem per aliquod tempus in castris se continuisse, inducias fuisse violatas et sic porro. In his facile assequor, saltem modum narrandi, adeoque deorum interventum, poetae ingenio deberi. Verum acceptum fama esse potuit omnino, pestem fuisse immissam ab Apolline ob religiones violatas; Pandarum aliquem sagitta emissa foedus turbasse et sic reliqua. Videtur quoque ipsa fama fuisse constitutum, Junonem et Minervam Achivis, Martem et Apollinem Trojanis studuisse. De his omnibus ariolari licet, statuere nihil; ut nec de eo, quod dii adscita forma humana in medium hominum progressi esse narrantur, constat, narratane haec sint novo invento, an prisco more narrandi exposita, an ipsa fama de rebus Trojanis ita

ferente. Antiquiorem rebus Trojanis narrandi morem cum fuisse, ut deos rebus gerendis vere interfuisse dicerent, apparet vel in narratione de insigni Nestoris in pugna cum Eleis virtute, nam et ibi Minerva narratur Pyliis hostium adventum nuntiasse Il. Λ. 713. cf. Not. ad B. 786.

Constitutas esse in hoc deorum ministerio singulis diis partes suas, et quidem a diversis caussis, mythis, consiliis, ductas, apparet. Cum tamen semel seu fama traditum seu quocunque tandem modo acceptum esset, Junonis et Minervae partes in Achivorum, Veneris et Martis in Trojanorum caussa tuenda fuisse praecipuas: non magna sagacitate opus fuit, ut summa quaeque per eos expedienda esse vidérét poeta.

Observare quoque licet hoc: perpetuum hunc esse poetae morem, ut, inductis in narrationem diis, re ad finem perducta, cujus caussa inducti fuerant, etsi illi rebus gerendis per omne sequens tempus interesse pergant, non tamen amplius memorarentur. Neptunus in pugnam progressus, Idomeneo confirmato, lib. N. mox tantum non e medio evanuisse videtur; sic Apollo in O. et in lib. Δ. Pandari sagitta emissa nulla Minervae posthaec opera memoratur. Ad quae sane ipsa rerum varietas et judicium rectum adducere debuit poetam; nam idem in heroibus sequutus est, ut quoque temporum momento in quaque carminis parte unum aliquem e pluribus virtute et factis eminentem produceret, modo Diomedem, modo Idomeneum, modo Agamemnonem, ceteris aut omnino non aut non nisi obiter memoratis. Scilicet sensu an judicii subtilitate edoctus perspexerat, non nisi singulares et individuas res ac personas recte et cum vi ad sensus in poesi exponi posse.

In hoc ipso tamen est aliquid quod judicium nostrum in multis facit ambiguum: nam ex hoc narrandi more in partes dissectum est carmen; partes tamen carminis ita inter se sunt conjunctae, ut disjungi illae facile, nonnullae quoque pro meris episodiis possint haberi, tanquam membris, articulis ac juncturis satis laxis inter se cohaerentibus, levique manu a carminis corpore divellendis; ita facile in eam opinionem devenias, non ab initio statim partes has in corporis compage fuisse comprehensas, sed serius eas accessisse; licet tamen nec minus alterum suspicari, partes has a diversis ingeniis separatim ab initio tractatas serius in corpus quod nunc habemus, coaluisse. Verum nec ultra suspiciones, saltem probabilitates, ut in pugna deorum, si alia scilicet accedunt, quae dubitationes alias faciunt, in his progredi licet, et actum est hac de re alio loco.

Nihil in his deorum consiliis actis ac gestis ad ethica praecepta esse referendum, per totum carmen apparet; Tacite quasi conventum esse dixeris in hoc, poetica haec numina cum ipsis religionibus nihil, praeter nomen, commune habere, eaque suum ordinem, suum genus constituere, adumbratum ab antiquiorum hominum sensibus rudioribus et humanitatis cultu parum emendatis et expolitis. Hinc tam diversa de diis praedicantur, alia indigna et nefanda, alia praeclara, interdum sublimia. Minerva saepe omnis justitiae et honestatis violatae rea est, ut in fraude Hectori facta congresso cum Achille. Hoc illud est, quod tam male habuit homines de deorum natura meliora meditantes, cum poetica numina ad ea, quae poesis efficere debet, tam praeclare accommodata, cum religiosis notionibus confunderent; hincque natae sunt mirae illae interpretationes allegoricae.

In hoc tamen ipso singularem aliquam poetae fortunam positam esse apparet, quod ille mythico hoc ornatu uti potuit ea aetate, qua animi hisce mythis imbuti non ad figmenta poetica haec referrent, sed, cum ea vulgaribus popularium opinionibus consentanea essent, iis magnopere moverentur ac tenerentur. Nobis quoque ipsis, ex hoc antiquitatis sensu sensus animorum valde diversus creatur ab eo, quo contacti sumus, si in Virgilio aut in quovis alio poeta repetita ex Homero vel ingeniose variata haec figmenta legimus. Adeo iis, qui ad Homerum legendum accedunt, sensus aliquis induendus est Homericae poesi proprius ac peculiaris.

Fuit Zenodotus grammaticus Alexandrinus, diversus ab Ephesio, qui inter διορθωτὰς fuit, cujus erant libri X. περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας. Ex Scholio B. quod e Porphyrio servavit, ad Σ. 356. (ubi Zenodorus scribitur, at apud Suidam Zenodotus est) locus in iis libris esse debuit de episodiis, in quibus deorum interventus interponitur. Statuerat ille, confabulationes deorum non admitti posse extra argumentum, (ἐκτὸς τῆς ὑποθέσεως) nisi aut ad docendum aliquid eorum, quae ad Iliadem spectant, aut ad historiam aliquam antiquam exponendam, veluti in Diones ad Venerem verbis, quibus eam monet ut toleret quae passa sit; tolerasse deos multa, tolerasse Martem; τλῆ μὲν Ἄρης, et tum antiquam narrationem subjungit. (Il. E. 381 sq.) et cum Juno Jovem dictis lacessit (ibid. 420 sq.) Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά τί μοι κεχολώσεαι—docet enim, Veneris dolo Helenam fuisse deceptam καὶ τὰς ἄλλας δὲ ὁμιλίας τῶν θεῶν οὐκ εἰκῆ φησι παραλαμβάνεσθαι. E quibus argumentis ibi disputat contra episodium

Σ. 356—368. quod ab iis, qui summam Iliadis constituerunt, insertum esse, legenti facile obvium est. Non enim omnia episodia ab eadem manu profecta, sed alia antiquioribus aetatibus, alia serius interposita esse videntur; ut in eodem, modo laudato, et in aliis, in quibus aliquis operam dedit, ut diversa carmina inter se coagmentata essent. Verum de his et ad l. l. et in aliis locis singulis est videndum. Antequam enim de singulis satis constet, universe de his disputare, lubricum est et parum fructuosum.

EXCURSUS II.

Ad A. 55. et al.

θεὰ λευκώλενος Ἥρη.

Dubia res esse videtur, fueritne Ϝηρη an ἥρη, an utrumque usu habitum; hoc ultimum forte expeditissimum: quandoquidem in Homero modo hoc modo illud occurrit. Sane ποτνια Ϝηρη saepe legitur; et fuit ea haud dubie antiquior pronuntiatio, quam Aeolum dicere solent: nec minus tamen λευκωλενος Ἥρη, χρυσόθρονος Ἥρη, et similia. Nisi itaque quod tertio loco posui admiseris, statuendum est alterum, loca, a quibus digamma exulat, esse aut serioris commatis aut interpolata ab eo qui corrupta putaret ea propter hiatum. Sunt autem nonnulla loca, contra digamma peccantia, in quibus diversa lectio in codd. antiquioribus reperitur; sic Il. A. 572. ἐπίηρα φέρων λευκωλένῳ Ἥρῃ antiquior lectio fuit τετιημένη ἦτορ. O. 92. λευκώλενος Ἥρη antiquior lectio erat βοῶπις πότνια Ἥρη. Potuit hoc idem videri factum esse in aliis, ut Δ. 20. O. 5. 14. Etsi iterum loca sunt aperte interpolata, in quibus antiqua ratio servata est, v. c. Σ. 357. 360. et tamen 356 praecedit Ζεὺς δ' Ἥρην. Tam lubricum est aliquid pronuntiare in Homericis.

EXCURSUS III.

Ad A. 66.

αἴ κέν πως—βούλεται.

A. 66. *αἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσσης αἰγῶν τε τελείων βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.* ad Tragicos multae extant virorum doctorum observationes de particularum in iis usu; quae tamen in Homericis non semper locum habent; neque omnino in doctrina de particulis ratio Homeri singularis aliqua ubique habita est. Cum autem particulae in doctiore studio singularem curam sibi vindicent, operam quamvis molestam in his diligentius explorandis refugere non licet.

αἴ κε nihil aliud est quam εἴ κε, et hoc idem quod εἰ ἂν, unde factum ἐάν. Cur in Homericis modo αἰ modo εἰ scriptum occurrat, nemo dixerit. At si κεν vel ἂν adjungitur, communis usus et sermonis ratio postulare videtur, ut *subjunctivus* sequatur. Et est sane is proprius Homeri usus, isque sexcentis locis firmatus; ut inf. 128 αἴ κέ ποθι Ζεὺς δῶσι. 207. 408. 420 &c. et εἴ κε, ut K. 452 εἰ δέ κ' ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δαμεὶς ἀπὸ θυμὸν ὀλέσσῃς. Λ. 391. N. 379. Ξ. 368. Π. 499. 500. 860. 1. P. 29. 30. 39. 40. 91. Φ. 553 et al. etiam εἴ περ κε. inf. A. 580. εἴ περ γάρ κ' ἐθέλῃσι—.

Sunt loca alia, in quibus videas *optativum* esse adjunctum: Sic Λ. 791 τίς δ' οἶδ' εἴ κέν οἱ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίναις. Atqui O. 403 ubi idem fere versus legitur, est εἴ κεν οἱ ὀρίνω. potuit ergo et illud esse ὀρίνῃς. X. 220 οὐδ' εἴ κεν μάλα πολλὰ πάθοι. at codd. πάθῃ. Non variat lectio T. 322 οὐδ' εἴ κέν που πυθοίμην, cum tamen legi possit πύθωμαι. B. 123 εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν. nusquam ἐθέλωμεν. Z. 50 εἴ κεν ἐμὲ πεπύθοιτο. nusquam πεπύθηται. H. 387 αἴ κέ περ ὔμμι φίλον καὶ ἡδὺ γένοιτο, poterat esse γένηται. X. 244, 5. εἴ κεν φέρηται—ἤ κεν σῷ δουρὶ δαμείῃ. nusquam δάμηται, versu autem 351 verior lectio est ἀνώγῃ pro ἀνώγοι post εἴ κεν σχήσωσιν et ὑπόσχωνται. Ψ. 346 οὐδ' εἴ κεν ἐλαύνοι. nusquam ἐλαύνῃ. Tandem sunt exempla in quibus manifestum fit, non minus optativum usu probatum esse, ut in illo E. 279 et alibi, εἴ κε τύχοιμι. Ψ. 592. 3. Vix mutes εἰ καί νύ κεν οἴκοθεν ἄλλο μεῖζον ἀπαιτήσειας, et Ω. 687 αἴ κ' Ἀγαμέμνων γνοίῃ σε.

Superest tertia ratio in Homericis, ut, non modo εἰ, de quo non laboramus, sed εἴ κεν, αἴ κεν cum *futuro indicativi* jungatur; ita ut hoc locum aoristi subjunctivi habeat. Sic B. 72 ἀλλ' ἄγετ', εἴ κέν πως θωρήξομεν υἷας Ἀχαιῶν. 258 εἴ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κιχήσομαι. ad quem locum vide Obss. O. 213 αἴ κεν Ἰλίου αἰπεινῆς πεφιδήσεται οὔτ' ἐθελήσει ἐκπέρσαι et 297 στείομεν εἴ κε πρῶτον ἐρύξομεν ἀντιάσαντες. Potest in his suppleri: *videamus, an.* Sed nos quaerimus de usu τοῦ κεν et ἂν cum indicativo. Et occurrit hoc ipsum mox subjecto subjunctivo Θ. 532 εἴσομαι αἴ κε μ' ὁ Τυδείδης ἀπώσεται—ἤ κεν ἐγὼ—φέρωμαι, ubi in aliis φεροίμην. K. 449 εἰ μὲν γάρ κέ σε νῦν ἀπολύσομεν ἠὲ μεθῶμεν.

Usus hic futuri indicativi pro aoristo subjunctivi observatur et in aliis, ut in ὡς ἂν, v. c. Π. 271 ἀνέρες ἐστὲ, ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν. Ψ. 339 ὡς ἄν τοι—δοάσσεται. *ita ut tibi videatur.*

Hactenus esset observatio tantum facta in *futuris indicativis* pro *aoristo subjunctivo* obviis. Enimvero in versu Excursui supra adscripto est tempus praesens: αἴ κέν πως βού-

λεται pro βούληται. Sunt tamen etiam exempla usus indicativi similis in aliis temporibus, ut in ἵνα. Inf. 363 ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Sic et Θ. 18 ἵνα εἴδετε πάντες, item ἵνα μὴ ῥέξομεν οὕτως H. 353. Atque hic indicativi usus in ἵνα et similibus mansit apud Atticos, ut ad Tragicos saepe monitum est inprimis a Brunckio. ὄφρα simili modo cum indicativo jungi vulgatum est; at in Homero etiam ὄφρα κεν. In B. 440 Ἴομεν, ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα.

Vidimus usum; quaeri potest de grammatica ratione et caussa. Videri possunt loca illa requirere necessario subjunctivum, ita ut ἐγείρομεν dictum sit pro ἐγείρωμεν, adeoque correptum sit ω pro ο. Conjectabat Hermannus de Metris, fieri hoc, quia ob praecedentem accentum syllaba longa corripi potuerit. Hoc tamen ipsum est aliquid, quod novam mirationem facit. Mihi horum aliorumque simplicissima ratio esse videbatur repetenda a prisco sermone nondum satis grammatice constituto et expolito; inprimis, quamdiu non nisi aure dijudicabantur soni, nondum scripturae adspectu et intuitu. Fundum habet haec opinatio in communi omnium linguarum fortuna. Non enim, nisi serius, ex quo linguae litteris exarantur, multo usu accedente, subtilior grammatica constituitur. Quid quod nec in expolito sermone omnia, quae severioribus praeceptis grammatices repugnant, sublata sunt aut tolli possunt: ut in Attico sermone haud pauca occurrunt, quae grammaticis regulis haud respondent, optimorum tamen scriptorum usu probata sunt; quemadmodum, ut unum commemorem, quod neutris pluralibus verbum singulare subjicitur; quod olim, ut vel ex Pindaro patet, etiam in masculinis et femininis pluralibus usu venerat, contra bonae grammaticae legem. Potuit quoque, reperto jam et vulgato scribendi usu oculos ad incuriam avocare usus τοῦ ο promiscuus etiam pro ω, et quod ε et η iisdem characteribus exarabantur. Facilius itaque per longum tempus latere potuit vitium in verbis, in quibus longa vocalis correpta erat.

Quaecumque tamen ratio fuerit hujus licentioris usus: sufficit rem esse observatu obviam innumeris in locis Homericis, (et magnum exemplorum numerum apposuit nuper Herman. de Metris p. 85.) poni indicativum pro conjunctivo (quo etiam referam Φ. 437 τὸ μὲν αἴσχιον, αἴ κ' ἀμαχητὶ ἴομεν). Variat quoque futurum indicativi cum aoristis subjunctivi, uti inf. A. 142—4 νῦν δ' ἄγε, νῆα—ἐρύσσομεν, ἀγείρομεν, θείομεν, βήσομεν, et corripi videtur longa vocalis in illo E. 555 δύο λέοντε ἐτραφέτην pro ἐτραφήτην. et H. 199 et al. τραφέμεν pro τραφῆμεν, τραφήμεναι nisi verbum fuit τράφημι, *adolesco*.

EXCURSUS IV.

Ad A. 141.

De ἐρύω. ἐρύομαι.

A. 141. Ἀλλ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν. Versum vitiosum esse jam in Obss. monitum: nam scriptum fuit Fερυσσομεν. Omnino sunt duae voces, quae miris modis miscentur in Homericis, quas subtilius discernere juvabit. Occurrit autem duplex difficultas; prima, *quod modo digamma locum habet, modo non;* altera, *quod τὸ υ modo correptum est, modo productum.*

Scilicet, diversas statim ab initio fuisse voces video: Fερυω, media brevi, *traho:* ut tamen producatur per σσ. Sic A. 485 νῆα μὲν— ἐπ' ἠπείροιο Fερυσσαν. *traxerunt. subduxerunt:* ubi vide, et ad Γ. 373. 361. Sic et Hesiod. Ἔργ. 624 νῆα δ' ἐπ' ἠπείρου ἐρύσαι πυκάσαι τε λίθοισι. Porro Il. Δ. 530 ἐσπάσατο στέρνοιο, Fερυσσατο—E. 110. M. 190 ἐκ κολεοῖο Fερυσσαμενος.

Possunt hinc emendari Δ. 467 νεκρὸν γὰρ Fερύοντα (non γάρ ῥ' ἐρ.) E. 344 χερσὶ Fερυσσατο. Γ. 373 καί νύ κε Fειρυσσεν τε. Λ. 363 νῦν αὖ σε Fερυσσατο, sic et Υ. 450. Ω. 16 τρὶς Fερυσας. 584 χόλον οὐ Fερυσαιτο. et sic alia. cf. ad A. 485. παμπρῶτα Fερυσσομεν (pro πάμπρωτον) leg. in Od. Δ. 577. K. 403. 423. Λ. 2.

Ab hoc est Fειρυμαι. Fειρυμην. Il. Σ. 69 Μυρμιδόνων εἴρυντο νέες *subductae erant.* Δ. 248 ἔνθα τε νῆες εἰρύατ' εὔπρυμνοι pro εἴρυνται. Itaque N. 682 νέες θῖν' ἐφ' ἁλὸς εἰρυμέναι leg. εἰρυμμέναι. Eodem modo succurrendum est istis, quae Ξ. 75 et O. 654 leguntur: νῆες ὅσαι πρῶται εἰρύαται ἄγχι θαλάσσης. leg. εἴρυνται. At altero in loco Ξ. 30 ἀπάνευθε μάχης εἰρύατο νῆες suspicio jam aliunde facta firmatur vitio metri vocali υ producta, ita ut nulla medela locum habeat. Memorabile est et illud, quod in compositis digamma excluditur; ἐπέρυσσε est Od. A. 441. pro επιFερυσε. Id tamen et aliis in similibus fieri, alio loco videbimus.

Difficilior est medicina in loco supra praefixo ex Il. A. 141 ἀλλ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν. de hoc tamen dictum satis in Obss. Δ. 492. ubi v. P. 635 cum 713. Υ. 311. at Ψ. 21 locus est interpolatus. Od. I. 77 et 402 videtur fuisse ανα δ' ἱστια Fειρυσσαντες. T. 481 τῇ δ' ἑτέρῃ ἕθεν ἆσσον Fειρυσσατο, venisse videtur ἕθεν ex interpolatione. X. 372 θάρσει, ἐπειδή σ' οὗτος ἐρύσσατο καὶ ἐσάωσεν, non est Fερυσσατο ab ἐρύω, sed ἐρύσατο a ῥύομαι *servo.*

Scilicet altera ac diversa vox fuit ῥύομαι, vocali υ producta, forte ex antiquo ρυFω, ea notione, ut sit *servo, tueor,* tum *cu-*

studio, observo, tandem *caveo*. Sic Il. O. 257 ὅς σε πάρος περ ῥύομ' ὁμῶς—M. 8 ὄφρα ληΐδα—ἐντὸς ἔχων ῥύοιτο. Z. 403 πάρος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ. H. 798 χαρίεν τε μέτωπον ῥύετ' Ἀχιλλῆος. P. 224 προφρονέως ῥύοισθε.

Ex hoc fit ἐρύσατο media longa, cujus locum saepe occupavit alterum ἐρύσσατο. atqui hoc est *traxit*, illud *servavit*. Sic Il. E. 34 καὶ τὸν μὲν μετὰ χερσὶν ἐρύσατο Φοῖβος Ἀπόλλων, iterum Λ. 363 et Υ. 450. Sic et Il. B. 859 ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν, *non cavit mortem, non effugit*, οὐκ ἐφυλάξατο.—Pro eodem est alibi ἐῤῥύσατο, ut O. 290. Υ. 194. Od. A. 6.—interdum ῥύσατο, cum inde ductis: ῥυσάσθην Il. Ξ. 406. ῥύσαιτο Od. Z. 129. M. 107. Od. Ψ. 244 ῥύσατο est *retinuit, detinuit*. inde ῥῦσαι Il. P. 645. Ω. 430 *asserva*.—ῥύατο pro ἔῤῥυντο, *servarunt*, Il. Σ. 515. Od. P. 201. Fuit enim ἔῤῥυμαι, ἐῤῥύμην, ut et ἔρυμαι, ἐρύμην, ubique media longa, ita et ἔρυτο. Il. Δ. 138 ἥ οἱ πλεῖστον ἔρυτο. Il. Ψ. 819 νύξ', οὐδὲ χρό' ἵκανεν, ἔρυτο γὰρ ἔνδοθι θώρηξ. (Apparet hinc versum spurium esse in Hesiodi Theog. 304 ἡ δ' ἔρυτ' εἰν Ἀρίμοισιν, ut sit *servabatur*; at recte ille in Scuto Herc. 415 οὐδ' ἔρρηξεν χαλκὸν ἔρυτο δὲ δῶρα θεοῖο. Hinc ἐρύσθαι Od. E. 484 τρεῖς ἄνδρας ἐρύσθαι.—Editur in h. l. et Od. Ξ. 260 et P. 429 nec non I. 194 et K. 444 (ubi aut interpolate aut vitiose legitur νῆα ἔρυσθαι pro νῆας) ἔρυσθαι. quod si recte fit, statuendum est fuisse verbum ἔρυμι. ἔρυμαι. ἔρυσθαι. ἐρύμην. ἔρυτο. Est pro ἐρύσθαι quoque εἰρύσθαι μέγα δῶμα *custodire* Od. Ψ. 151. Od. Ψ. 229 ἣ νῶϊν εἴρυτο θύρας. Il. Π. 542 ὃς Λυκίην εἴρυτο. Il. M. 454 οἵ ῥα πύλας εἴρυντο *custodiebant*. Od. Γ. 268 εἴρυσθαι ἄκοιτιν. Ψ. 81 θεῶν δήνεα εἴρυσθαι. leg. δήνη. Licet ab ἔρυμι, ἔρυσθαι, hoc ipsum εἴρυσθαι ducere; nil refert. At Il. A. 239 corruptum esse patet, quod editur: οἵ τε θέμιστας εἰρύαται leg. εἴρυνται, *observant*, φυλάσσουσι. Od. Π. 463 ἦ ἔτι μ' αὖτ' εἰρύαται οἶκον ἰόντα fuit εἴρυνται Fοικον ἰόντα. Il. X. 303 dii οἵ με πάρος γε πρόφρονες εἰρύαται. leg. εἴρυνται *tuentur*. Od. Z. 265 νῆες δ' ὁδὸν ἀμφιέλισσαι εἰρύαται. leg. εἴρυνται *observant*. Tandem hoc ipsum ῥύομαι esse debuit ἐρύομαι, producta vocali υ. ut Il. Υ. 311 Αἰνείαν, ἤ κέν μιν ἐρύσεαι (non ἐρύσσεαι) *servabis, eripies*. Il. K. 43 χρεὼ βουλῆς,—ἥτις κεν ἐρύσεται (non ἐρύσσεται) ἠὲ σαώσει. Ergo et Ω. 584 κραδίῃ χόλον οὐκ ἐρύσαιτο deb. esse οὐ ῥύσαιτο. Il. Ξ. 422 ἐλπόμενοι ἐρύεσθαι, fuit ῥύεσθαι. E. 456 οὐκ ἂν δὴ τόν δ' ἄνδρα μάχης ἐρύσαιο μετελθών. immo ῥύσαιο. Possit in his videri notio *eripiendi* elici posse ex ἐρύω, Fερύω, media brevi. Verum ἤ κέν μιν Fερύσσεαι in metrum peccat.

Illud ἐρύομαι fuit quoque pronuntiatum εἰρύομαι, nam legimus ἄστυ πύλαι ἐζευγμέναι εἰρύσονται. Il. Σ. 276.

Quae his a me positis obstare videntur, medelam admittunt pleraque facilem. Sunt loca, in quibus ῥύομαι, *servo, tueor*, priore brevi, dictum esse videtur; ut οἵ τε πτολίεθρα ῥύονται· Il. I. 396 ubi vide. Alibi ῥύεται, ῥύετο, binis syllabis est pronuntiandum, ut Il. K. 259 κέκληται, ῥύεται δὲ κάρη, et 417. Od. Ξ. 107. O. 35. Sic et Hesiod. Sc. Herc. 105 ἔχει ῥύεταί τε πόληα, est ῥῦται pronuntiandum. Il. I. 248 εἰ μέμονάς γε—Τειρομένους ἐρύεσθαι est ῥύεσθαι, *servare*, pronuntiandum ῥῦσθαι. Il. Υ. 194. 5 ἀτάρ σε Ζεὺς ἐῤῥύσατο—ἀλλ' οὐ νῦν σ' ἐρύεσθαι οἴομαι. lege, οὐ νῦν σ' ἐῤῥύσθαι, aut saltem οὐ νῦν σε ῥύεσθαι, pronuntiando ῥῦσθαι. Il. O. 29 τὸν μὲν ἐγὼ ῥυσάμην, nisi versus sunt emblema seriorum, esse debuit ῥύμην, pro ἐρύμην, *servavi*. Il. Δ. 186 εἰρύσατο ζωστὴρ τε παναίολος peccat. deb. esse εἴρυτο ζ. Υ. 93 εἰρύσασθ' ὅς μοι ἐπῶρσε. leg. εἴρυθ' ὅς μοι. O. 274 τὸν μὲν ὕλη—εἰρύσατ' οὐδ' ἄρα τέ σφι. leg. εἴρυτ', οὐδ' ἄρα. Il. Φ. 229. 230 οὐ σύ γε βουλὰς εἰρύσαο Κρονίωνος fuit εἴρυσο, ab εἰρύμην. *observasti*. et 588 Ἴλιον εἰρυόμεσθα leg. εἰρύμεσθα.

At legitimus usus τοῦ εἰρύσασθαι occurrit in sequentibus: χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε, θεὰ, ἔπος εἰρύσασθαι *observare*. adeoque ei parere. Θ. 143 ἀνὴρ δέ κεν οὔ τι Διὸς νόον εἰρύσαιτο, *observet, intelligat, assequatur*. Nisi malis esse *impediat, effectu privet*. v. ad e. l. P. 327 Αἰνεία, πῶς ἂν καὶ ὑπὲρ θεὸν εἰρύσαισθε Ἴλιον; *servetis*. Od. Π. 459 μηδὲ φρεσὶν εἰρύσαιτο. *observet*, φυλάξαι.

EXCURSUS V.

Ad A. 164.

εὖ ναιόμενον an εὐναιόμενον.
εὖ κτίμενον an εὐκτίμενον.
et de similibus compositis.

A. 164. Τρώων ἐκπέρσωσ' εὖ ναιόμενον πτολίεθρον. Levissima res, quae tamen tenere potest aliquem subtiliora quaerentem, cum modo scribi videat εὖ vel ἐῢ ναιόμενον modo una voce εὐναιόμενον. De εὖ vel ἐῢ nunc non disputo; cum nos antiqua pronuntiandi ratio lateat; suaviorem tamen esse alteram ἐῢ ad sensum meum fateor. Ad grammaticorum commenta spectare hoc, non rhapsodis deberi, ut voces duas in unam contrahant, nullus dubito; fieri quoque id cum ratione in iis compositis, quae divisim per se stare nequeunt ut εὐπλόκαμος· εὐδείελος. porro εὐανθὴς, εὐγενὴς, εὐδαίμων. Enimvero seu dubitari potest seu negari, recte id fieri in aliis: εὐκτίμενος, εὐναιόμενος, εὐναιετάων, εὐαραρὼς, et νῆας ἐϋστείλαντα, Od. Ξ. 247 et similibus. Scilicet non existunt verba εὐστέλλω, εὐναιετάω, εὐναίω.

Dicas forte recte εὐκτίμενος scribi, quia et ἐΰκτιτος scribitur; εὐποίητος, quia εὐποιέω. At aliter se haec habent. Analogiam cum superius memoratis habent adjectiva a verbis ducta, recte adeo in unum contrahenda: εὔτυκτος. εὔστρεπτος. εὔδμητος et similia: ita et εὔκτιτος. At non convenit εὐκτίμενος. quod ductum est ex antiquo κτίμι, κτίμαι, quod fuit quoque κτίω, κτίζω. non autem fuit εὔκτιμι, ut nec εὐκτίζω.

Enimvero memorari possunt εὐφημέω, εὐφραίνω, εὐφρονέω. Atqui haec ducta sunt ab adjectivis: εὔφημος, εὐφρὴν, εὔφρων. Ex εὐεργὴς est εὐεργέτης, εὐεργετέω. εὐποιέω est benefacio, ex εὔποιος; at εὖ ποιητὸς, *affabre factus*, alia notione dictum est.

'Simili modo judicandum esse videtur de aliis similibus: καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ perperam scribi ratio docet; nam nullum est verbum καρηκομάω, nec καρηκόμης, unde ductum esse possit; uti καρηβαρέω recte se habet, quia καρηβαρὴς usu fuit, ut θυμοβαρής. Et sic de aliis. Ita omnino dubito recte Aristarchi lectionem sup. 59 nunc regnare παλιμπλαγχθέντας. Vix enim fuit παλιμπλάζομαι.

EXCURSUS VI.

Ad A. 171. 505—510.

ἄτιμος. ἀτιμία. τιμή. τιμᾶν.

Sunt verba priscarum aetatum notionis non satis explicitae et definitae; quoniam sunt *generalia*, et saepe pro *parte* aliqua a poeta ponuntur; confusis quoque notionibus *honoris* et *ultionis*, quae fit interdum honoris caussa.

Τίειν, primaria vox, est proprie ἀνταποδιδόναι *compensare:* quod fit vel *puniendo*, vel *remunerando*, vel *benefaciendo*, vel *honorem impertiendo*.

Confunduntur inde *duae notiones*, ubi de injuria accepta agitur; dum et injuria *laesus est honor*, et, si pro injuria satis factum est, *honor recipitur;* quod ni fiat, ultione *honor defenditur;* et ultione *efficitur, ut satisfiat* pro injuria accepta. Hinc variat vis vocis in quoque loco pro adjunctis. Il. A. 505—510 Τίμησόν μοι υἱὸν—ἀτάρ μιν Ἀγαμέμνων ἠτίμησεν—ἀλλὰ σύ πέρ μιν τῖσον—ὄφρ' ἂν Ἀχαιοὶ υἱὸν ἐμὸν τίσωσιν, ὀφέλλωσί τέ ἑ τιμῇ. hic explicat poeta ipse quid sit τίειν. nam id agit Thetis, ut Achivi Achilli laesam dignitatem restituant, dum pro injuria illata ei satis faciunt. Alterum est exemplum notionis fluctuantis in Achillis precibus ad matrem A. 352—7.

Jam τιμὴ est *honos ex virtute;* tum *praemium virtutis*, adeoque idem quod γέρας· unde τιμᾶν *praemium tribuere*, et

contrarium ἀτιμᾶν, quod proprie est *honorem non tribuere*, est quoque *praemio privare*. Hoc est illud quod Achilles indignatur, quod γέρας ipsi est ereptum: unde ipse est ἄτιμος A. 171 *munere privatus*, injuria est ἀτιμία, et ipse ἠτιμήθη. Sic A. 355 Ἦ γάρ μ' Ἀτρείδης ἠτίμησεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας. Et in verbis Thersitae de Agamemnone: ὃς καὶ νῦν Ἀχιλῆα—ἠτίμησεν. ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας. Pro eo dictum οὐδὲν ἔτισε A. 412.—Est ἀτιμία genus ὕβρεως e doctrina Aristotelis Rhet. II. 2.

Ubi autem injuria vindicatur et honor ac dignitas servatur vel recuperatur: τιμὴ est *ultio*. τιμᾶν *ulcisci*. τίμησόν μοι υἱὸν A. 505. Sic 559. Θ. 372. B. 4. O. 77. Π. 237. ipse Chryses ad Apollinem Il. A. 454 τίμησας μὲν ἐμὲ, μέγα δ' ἴψαο λαὸν Ἀχαιῶν. hoc sensu est quoque dictum: ad Trojam se venisse τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ A. 159. ubi v. Obss.—τιμὴ est *multa*, quae compensat injuriam Od. X. 55. 56. 57. τιμὴν ἀμφὶς ἄγοντες ἐεικοσάβοιον ἕκαστος.—τίειν est *satis facere*, et τιμὴ est *ipsa placatio, injuriae reparatio*. Juncta cum his notio dignitatis et honoris, vindicati; unde nunc *honoratus Achilles:* πολυτίμητος. Jam quatenus ultione ipsa dignitas recuperata etiam magis enitescit et *illustratur*, mirum non est τιμὴν sic habere notionem accessoriam; quemadmodum et τιμὴ est pro *victoria* Il. O. 612. pari modo κῦδος illa dicitur: quibus similia saepe in Pindaro occurrunt.

Occurrunt haec proprie in caussa Achillis; nam alioqui ἀτιμᾶν, ἀτιμάζειν, ἀτιμία, cum ceteris, vulgari quoque significatu occurrunt, ut sint *contumeliose habere, contumelia et injuria afficere, honore privare, posthabere, contemtu habere;* multis locis; v. c. Chrysen Agamemnon ἠτίμησεν A. 94. de Ulysse reduce Od. Ψ. 28. Π. 274 et al. de Neptuno Od. N. 141. 2. ipsa Thetis se ἀτιμοτάτην θεὸν praedicat A. 516 et Achilles ad generalem notionem transit, dum ait, haberi se ab Agamemnone contumeliose, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην Il. I. 644. ubi v. Obss. et Π. 59. Haec per se satis expedita sunt, ut nihil de iis sit monendum.

Monebo adhuc verbo de usu Homerico voc. τιμὴ de *regibus* et eorum *fortuna*. Cum enim τιμὴ sit *honor, dignitas, locus*, inde est τιμὴ interdum ipse *principatus, regia dignitas:* Sic Il. B. 197 Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι. coll. 205. 6. Il. I. 612 Ἶσον ἐμοὶ βασίλευε καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς add. Z. 193. O. 189. Υ. 181 τιμῆς τῆς Πριάμου pro ἀρχῆς. et Il. A. 278. 279. P. 251 cum voce κῦδος jungitur, et τὸ γέρας. Nunc ἀτιμάζειν est *regno privare*. Od. Λ. 494 rogat Achilles de Peleo patre: ἢ ἔτ' ἔχει τιμὴν—ἤ μιν ἀτιμάζουσιν—Contra Il. A. 175 sunt alii οἵ κέ με τιμήσουσι, *qui meo ductu et principatu uti volent.*

EXCURSUS VII.

Ad A. 393.

De ἕο. οὗ. Ϝεο. Ϝου. οἷ, Ϝοι. ἕ, Ϝε. ὅς, Ϝος. ἑὸς, ἐῦς vel ἑύς.

A. 393. περίσχεο παιδὸς ἑῆος. Quandoquidem semel constitui, veterum commenta in Homerum suum exquirere, et subtilitates grammaticas, in quibus illi se jactarunt; etiam de his vocibus, e quibus magna critices Homericae pars pendet, mihi est agendum. Controversiae de iis fuere plures, quas uno loco commemorabo; alia de *usu possessivorum pro primitivis*, alia de *significatione*, alia de *digamma* et de *diversitate vocum inter se similium.*

Esse ἕο, οὗ, et hinc ἕο αὐτοῦ, primitiva seu personalia pronomina, satis constat. Cum autem, ut ἐμὸς et σὸς, ita fit ἑὸς, possessivum, *suus*, cum porro ἐμοῦ possit esse et ab ἐμὸς et ab ἐγὼ casus secundus, (nam πατρὸς ἐμοῦ et πατρός μου aeque dici potest) putarunt grammatici possessivum poni pro personali. Auctoritatem viderunt illi esse in versu Homerico Il. Θ. 37 ὀδυσσαμένοιο τεοῖο, ubi est pro σοῦ, a σύ. itaque etiam εὖ et οὗ possessivum pro personali dictum esse volebant. Sic Il. Υ. 261 Πηλείδης δὲ σάκος μὲν ἀπὸ εὖ ἔσχετο esse aiebant εὖ, ab ἑὸς, pro primitivo tertiae personae, cum tamen sit pro ἀπό ἑο, ut et Aristarchus legebat, cujus lectio praelata est; qui et sic accepit μνῆσαι πατρὸς σεῖο Il. Ω. 486 pro πατρός σου, et Od. T. 180 πατρὸς ἐμοῖο πατὴρ, pro πατρός μου. item Il. Δ. 343 δαιτὸς ἐμεῖο pro δαιτός μου, tandem Il. T. 105 οἵ δ' αἵματος ἐξ ἐμεῦ εἰσι pro αἵματός μου. De his doctrina est apud Apollon. de Syntaxi lib. II. p. 152 sq. ubi p. 165 Zenodotus vapulat. Poterat tamen ille laudare pro usu τοῦ ἑὸς, ἑοῦ, possessivi, Il. Ξ. 11 πατρὸς ἑοῖο, *patris sui*, item ibid. v. 9. υἷος ἑοῖο, ubi alii υἷος ἑῆος. Σ. 71 παιδὸς ἑοῖο.

In Zenodoti secta fuit Apollonius Rhodius, qui voce ἑὸς usus est non modo pro *suus*, verum et pro *meus*, *tuus*, ut lib. III. 1040 μή πως σὺ—κατὰ κόσμον ἑοῖς ἑτάροισι πελάσσῃς *tuis* sodalibus. adde IV, 203 ubi pro *noster*. I, 1113. III, 140. 267. etiam pro αὐτοῦ, paullo durius lib. II, 1150. pro σφέτερος saepe, ut III, 167. reprehensus propterea a grammaticis haud semel, ut lib. II, 226 αὐτὸς ἑὸν λελάθοιμι νόον. ubi ἐμὸν ex interpolatione ortum noluerim inferre. add. Sch. I, 1113. III, 140. 511. 167. 327. [a] Nec mirum hoc; nam

[a] Vitiosum usum τοῦ ἑὸς pro σὸς deprehendas adhuc in Quinto, ut I. 466 vos ἰστὸν ἐπεντύνεσθε ἑῶν ἔντοσθε μελάθρων. Restituendum hoc V. 354. ille non somno se tradidit, ἀλλὰ ἑοῖσιν ἐν ἔντεσι δύσατο θύων pro τεοῖσιν.

idem ἕο, εἷο, pro *mei* ab ego, usurpavit, ut lib. II, 637 αὐτὰρ ἔγωγε εἷο μὲν οὐδ' ἠβαιὸν ἀτύζομαι pro ἐμοῦ. ἑοῖ pro σοὶ lib. I, 893. pro μοὶ III, 99. Vitium alterum, quod possessivum visus est adhibuisse Apollonius Rhodius pro primitivo, ex eo exemtum est alia lectione ἑεῖο pro ἕο, οὗ. quod Brunck. reposuit e libris aliquoties, ut I, 1032 ubi eum vide. Possit forte videri hoc ipsum in Homero fuisse, παιδὸς ἑεῖο. Verum impetum retinet locus A. 393 ubi non esse potest *suus*, cum de altera persona dictum sit, *filii tui*. Si grammatici Alexandrini usum Homericum τοῦ digamma tenuissent, aliam sic difficultatem subnasci vidissent.

Comparatis locis plurimis satis mihi constare videtur, ab antiquioribus Ionibus constanter pronuntiatum fuisse Ϝεο; unde toties occurrit ἀπό ἑο, ἀπὸ ἕο (nam disputatum quoque de hoc est: sitne enclitica: ut adeo scribendum sit ἀπό ἑο an ἀπὸ ἕο. Atqui et οἱ et ἑ pro encliticis habentur) ex απο Ϝεο, ut E. 343. N. 163 etc. Et B. 239 ὃς καὶ νῦν Ἀχιλῆα Ϝεο μέγ' ἀμείνονα φῶτα, ubi v. Obss. Nec mirum, nam fuit Ϝε (ἓ) Ϝοι (οἷ) ergo et Ϝεο, Ϝου. Constanter quoque pronuntiatum fuit Ϝος, (ὃς) Ϝη, Ϝον, Ϝοι, Ϝους (οὓς). Sic Il. B. 832 οὐδὲ οὓς παῖδας ἔασκε, vides esse ουδε Ϝους. N. 8 ἐέλπετο ὃν (Ϝον) κατὰ θυμόν. Σ. 305 οὐδὲ Σκάμανδρος ἔληγε τὸ ὃν μένος (το Ϝον) iterum X. 459. Ψ. 769. Haec sane satis inter se conveniunt. Non ignoro exempla esse quae adversentur; verum de his facile judicium facere licet ex iis, quae ad A. 403 notata sunt.

Alia quaestio est super ἑὸς, ἑὴ, ἑὸν, quod inde ortum duxit. Bentleium, aliis locis transmissis, in aliis haesisse, et modo Ϝεος modo Ϝος appinxisse vidi in ejus schedis.

Quo minus Ϝεος pronuntiatum esse putemus, obstant loca πατρὸς ἑοῖο, παιδὸς ἑοῖο, A. 496 et similia. Sunt *duo* modi expediendi: *aut* ut redeamus ad alteram formam quae fuit ὃς, pronuntiatum Ϝος, utque adeo scribatur πατρος Ϝοιο. παιδος Ϝοιο. uti occurrunt κάλλεος εἵνεκα οἷο. h. Ϝοιο. *aut* statuendum est, fuisse vocem ἐὸς, ἐὴ, ἐὸν, *bonus*, *strenuus*, eandem quae et ἐΰς, ἐΰ, quod saepe occurrit, unde et ἠΰς, ἠΰ. De quo v. ad A. 393. Illustrat haec Etymol. in ἑῆος et in ἑά. Restat *tertia* ratio, ut relinquamus ἑὸς, ἑὴ, ἑὸν, *suus*, idque scriptum olim statuamus ἑϜος (ἘϜΟΣ) unde factum ἑὸς, ex Ϝος (ϜΟΣ) praemisso ἑ. quod etiam sensisse videtur vir doct. Rich. Payne p. 49. Ita nec metro fit injuria, nec aliquid turbatur; etsi vel sic nil referre videtur multis in locis, scribasne, aut scriptum putes fuisse, ἑϜὸς an Ϝος. uti hoc ipsum πατρος Ϝοιο, et πατρὸς ἑοῖο, ex ἑϜοῖο B. 662. Ita retinere malim N. 26 χρυσείην, εὔτυκτον, ἑϜου δ' ἐπεβήσατο δίφρου. non Ϝου. οὗ. Quae obstare disputatis videri possunt loca, sigillatim notabo; ut

Il. T. 277 et Ψ. 3 *οἱ μὲν ἄρ' ἐσκίδναντο ἑὴν ἐπὶ νῆα ἕκαστος.* ubi tamen ratio est in *θέσει.* ut in Od. B. 258 *οἱ μὲν ἄρ' ἐσκίδναντο ἑὰ πρὸς δώμαθ' ἕκαστος.* Praefixum autem illud *ε*, modo leni, hoc est nullo, modo aspero spiritu, modo digamma, multis exemplis constat; *Fεπω. Fειπε. ἐFειπε.* Sic *εFαδοτα. εFαλη. εFαγη. εFαφθη.* ex *Fεικοσι, εFεικοσι. εἴκω, Fεικω, Fοικα, FεFοικα.* Sic *Fεοργα* vel *FεFοργα. FεFολπα* ex *Fελπομαι, εFελπετο.*

Expeditior ratio est in *Fοι* et *Fε*, quod in vulgata lectione ubique fere agnoscere licet; et raro corruptum est. Sunt tamen loca, in quibus operae pretium est illud animadvertere metri caussa: ita B. 665 *ἀπείλησαν γὰρ οἱ ἄλλοι*, cum vitio versus legitur *γάρ οἱ.* quod esset *γαρ Fοι.*

Deseruerunt haec aut ignoraverunt poetae post Homericum aevum, adeoque observatio locum amplius non habet aut in Atticis, aut in Apollonio, Callimacho et aliis. Etsi occurrunt nonnulla quae ex notatis lucem accipiunt. At in Hesiodo usus ejus observationis est amplissimus, neque critica in eo feliciter exerceri potest, nisi ejus memor fueris; multae enim et corruptelae et interpolationes ex ignorato digamma sunt profectae. Verum ista alius sunt loci.

EXCURSUS VIII.

Ad A. 494 sqq.

De Olympo Homerico.

Semel de Olympo monere suffecerit. Notio prima nata apud Pieres, accolas montis Olympi, tum Thraciae, postea Macedoniae, partim natura, partim religione notabilis. Est ille altior ceteris ejus regionis montibus; perpetuis nebulis ac nubibus obductus; in eodem praecipua Jovis fuit religio cum ara in summo montis vertice. Vulgaris opinio hominum et mos altos montes diis consecrandi, sacra in iis constituendi, solitudo, horror, religio, atque vicinia ipsa, adducere facile potuit Pieres, ut sedem Jovis ei monti assignarent, ut apud Trojanos illa in Ida fuit constituta: *Ἴδηθεν μεδέων* Il. Ω. 308. Quae de hoc monte Olympo memorantur, ad h. l. non spectant; est de eo disputatio Volborthi a. LXXVI apud nos habita. At Pieres cum Jove etiam ceteros deos in hoc monte collocarunt, primique loca regionis suae, inque his Olympum, in carmina adoptarunt; ita et Musarum sedem Pindum constituerunt; (v. *Comment. de Musarum religione ejusque originibus et caussis* a. 1766. in *Commentat. Soc. R. Sc.* To. VIII.) Etiam Gigantum pugna in his locis facta, aliarumque fabularum domesticarum origo Pieribus ex iis constituta esse videtur.

Videamus nunc de iis, quae in Homericis ab hoc Olympo monte ducta sunt ad *sedes deorum* declarandas. Ducta sunt inde *juga, cacumina, recessus*, Olympi; et ipse Olympus est νιφόεις. ἀγάννιφος. cf. ad N. 754. πολύπτυχος, propter *convalles et anfractus*. πολυδειράς, propter *juga* montium. Fama fuit, de vertice istius montis nullis ventis tacto: videtur hinc ductus locus de summa Olympi tranquillitate in Od. Z. 42—46 Οὔλυμπόνδ' ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος———. Montis sunt cacumina plura: Jupiter adeo interdum sedet in summo vertice seorsum ab aliis diis, ut Il. A. 498. 9. et alibi: ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο. At ceteri dii variis partibus habitant Σ. 186 ἀθανάτων, οἳ Ὄλυμπον ἀγάννιφον ἀμφινέμονται. Il. Υ. 4. 5 Jupiter jubet Themidem convocare deos κρατὸς ἀπ' Οὐλύμποιο πολυπτύχου. ubi haerebant veteres in nimis subtili interpretatione *cacuminis*, κρατὸς, in quo Jupiter alibi habitare dictus; at dictum puto simpliciter pro *monte*.—Est ῥίον Ὀλύμπου extrema aut prominentior versus planitiem jugi pars: Θ. 25 Jupiter σειρὴν catenam alligat περὶ ῥίον Οὐλύμποιο. Juno descendens λίπε ῥίον Οὐλύμποιο Il. Ξ. 225. ubi v. Not. et adde vs. 154. T. 114. sunt πτύχες Ὀλύμπου, unde et πτὺξ Ὀλύμπου pro Olympo omnino dicta est, Υ. 22.

Exornarunt poetarum antiquissimorum ingenia montem Olympum, cum semel habita esset deorum sedes, et deorum *regiam* in eo constituerunt; *primo* quidem ita, ut regiam in monte vel montis parte aut supra montem in nubibus, in caelo, constituerent; *mox* autem, nullo montis respectu habito regiam deorum in nubibus ac caelo constitutam Olympum appellarunt.

Primo, inquam, *regiam deorum in monte* constituerunt, interdum supra montem in nubibus ac caelo; atque in hoc varia phantasmata ac rerum locorumque species sequuti sunt; sed nunc de Homero agimus. *In monte* ejusque jugis ac convallibus aedes diis factas memorat Il. A. 77 οἷσιν ἐνὶ μεγάροισι καθήατο, ἧχι ἑκάστῳ Δώματα καλὰ τέτυκτο κατὰ πτύχας Οὐλύμποιο. A monte procedit Jupiter in regiam suam, ἐὸν πρὸς δῶμα, A. 532. 3. coll. 497. 8. advenienti assurgunt dii in ea domo, (δώματι) atrio, aede, congregati 533. 4. 5. et finitis epulis ad somnum se composituri ἔβαν οἰκόνδε ἕκαστος. *ad suam quisque domum.* Il. E. 748 sqq. caelum aut super Olympo esse aut eum circumdare videtur: caeli porta patefacta descendunt Minerva et Juno, videntque Jovem in summo vertice sedentem, inde curru per aerem feruntur versus Trojam.—N. 523 sedet Mars cum diis in Olympo ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσι. nubibus adeo caput ambientibus. Factum itaque haud mirabimur modo οὐρανὸν et Ὄλυμπον jungi,

εἰς οὐρανὸν Οὔλυμπόνδε saepe, ut A. 497. modo utrumque confundi, et poni Ὄλυμπον promiscue et οὐρανόν.

Regia deorum in nubibus constituta est. Poeta in eam transtulit quaecunque in heroum vita regias ac domos principum regumque ornare solebant, consituendo *palatium, thalamos, fores, limen*, δῶμα, h. e. magnum atrium, in quod convenirent consulturi vel epulaturi. Hinc est δῶμα Διὸς, (de quo v. A. 533 et Not.) in eo *consessus deorum*, ut ibid. et *epulae* 596 sq. Confluunt enim, ut heroes et ἄνακτες ad regem, sic dii ad Jovis δῶμα, ad consultandum et ad epulandum: ut Il. Υ. pr. et saepe. Sunt porro plures θάλαμοι, reliquorum deorum, tanquam συνοικία aliqua intra magnam aulam. Δῶμα ipsum est χαλκοβατὲς, A. 426. more vitae heroicae: v. Od. H. 86 sq. et Δ. 71 sq. ubi videmus solum, parietes, fores, ex aere factas. Postea, cum vita mutata, omnia facta sunt aurea. Secundum ista ipse οὐρανὸς est πολύχαλκος E. 503. Od. Γ. 2. et tandem χάλκεος, χαλκοῦς. Ex quo ipso tamen notio stabilitatis et firmitatis seu nata seu cum altera conjuncta esse coepit. Nam non modo apud Pindar. Nem. VI. 6 est: ὁ δὲ χάλκεος ἀσφαλὲς αἰεὶ ἕδος μένει οὐρανὸς, verum est in ipsa Odyssea O. 328. P. 565 σιδήρεος οὐρανός. Si quis igitur in vulgari notione, esse pro στερεὸς dictum, subsistere vult, nolentem in partes haud traham. Sunt porro *fores*, quas Horae custodiunt, E. 749 ubi cf. Not. Ut in domibus regum, ita est *aula* et *septum*, αὐλὴ et ἕρκος, in quo praeter aedem regiam sunt *plures domus* οἶκοι, δώματα, in quibus singuli dii habitant: unde a Jove in suam quisque domum discedit: A. 606 et al. sunt et *porticus*, αἴθουσαι ξεσταί. Υ. 10. 11.

Tandem dixi nulla amplius montis ratione habita, deorum sedem ac regiam constitutam esse in summo aethere, in caelo, quod vulgo homines appellant: ita ut dii despiciant ipsa sidera, lunam, solem, sub pedibus suis. Ita tandem consultum est majestati deorum. Viam adeo ad regiam per γαλαξίαν constituerunt, qua in re luxuriatur Ovidii ingenium. Verum nihil horum ad Homerum spectare videtur; et quae ad eum spectant, summatim tantum commemoravi; quae qualisve species singularum rerum esse potuerit ad poetae animum, libera esto cuique fingendi libertas.

EXCURSUS IX.

De Ambrosia.

A. 529. Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος. Vocis ἀμβρόσιος, ut semel moneam, origo varie traditur; vel a

βροτὸς vel a βρόσις *cibus:* (v. Hesych. Etymol. Eustath. al. Alia v. in Schol. ad B. 57. K. 41.) Rem ipse Homerus constituit vs. Il. Π. 670 ad Apollinem, ut Sarpedonis corpus ungat χρῖσόν τ' ἀμβροσίῃ, περὶ δ' ἄμβροτα εἵματα ἕσσον. ubi manifestum fit, ἄμβροτον et ἀμβρόσιον esse unum idemque; esse *immortale, divinum,* idem quod θεῖον. Itaque quaecunque sunt θεῖα, sunt ἀμβρόσια.

Sunt tamen nonnulla in vita deorum, in quibus illud vocabulum *proprie* locum habet, ita ut etiam usus aliquis singularis loquendi inde subnatus sit; dicta enim est *ambrosia* inprimis de *cibo* deorum et *unguento.*

Et primo quidem, quando *ambrosia* pro *cibo* deorum apud Homerum dicitur, intelligenda est ἀμβροσίη sc. βρόσις s. βρῶσις, ἐδωδὴ, τροφὴ [a], indefinita notione, qualis illa nutritio fuerit, sed simpliciter *divinus cibus;* nec nisi seriores tanquam certum ciborum genus ambrosiam adhibuerunt. Ita, ex opposito cibi, quo Ulysses vescebatur, Calypso τῇ δὲ παρ' ἀμβροσίην δμωαὶ καὶ νέκταρ ἔθεντο Od. E. 199. Additum pro *potione* νέκταρ, quod plerumque ab illo discernitur ut Od. E. 93. comparari solitum cum melle et vino. In uno tamen loco Od. I. 359 ἀμβροσίη et νέκταρ unum idemque declarare videntur; ubi Cyclops vinum sibi ab Ulysse praebitum laudat: ἀλλὰ τόδ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρός ἐστιν ἀποῤῥώξ. qui locus grammaticos exercuit, dubitantes, sitne etiam ὑγρὰ Ambrosia, non modo ξηρά. v. Eustath. ex Athen. II. p. 39. Vice versa antiquos quoque cibum νέκταρ dixisse, ex hoc eodem loco patet: unde et etymon constituitur a νὴ et κὴρ, *fatum, mors.* v. Etymol. h. v. Cum deorum vita per epulas declararetur: natae inde sunt duae notiones, ut *deorum vitam et immortalitatem* per *ambrosiae et nectaris usum* declararent, utque *vitam* eam comparari et immortalitatem *indui* dicerent *ambrosia degustata.* Variis modis haec a poetis tractata; interdum notione medicamenti seu praebiti seu infusi adjecta. Ita Berenicen deam fecit Venus ἀμβροσίαν ἐς στῆθος ἀποστάξασα γυναικός. cf. Quint. VI. 424 et al. Nisi haec ad alterum genus, unguentum, referre malis.

Altera enim ambrosia est *unguentum,* quo dii utuntur; ductum ex notione vitae lautioris: ἀμβροσίη sc. ἀλοιφὴ, vel ὀδμή. (ap. Apollon. IV. 431. add. ibid. 871.) ἀμβρόσιον ἔλαιον Il. Ψ. 186. 7. et Ξ. 172 ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ ἀμβροσίῳ. In vita lautiore lotio et unctio ad delicias potiores referebatur; quid mirum, eam tribui diis! Cumque haec corporis cura ad speciem corporis pulcriorem et venustiorem, saltem niti-

[a] Ap. Tryphiod. 185 Achivis in equo Trojano latentibus τοῖσι δ' Ἀθήνη ἀμβροσίην κεράσασα θεῶν ἐκόμισσεν ἐδωδὴν, δεῖπνον ἔχειν.

diorem multum conferret, aliquo loco (Od. Ψ. 153—157.) ἀμβροσίη per κάλλος redditur. Il. Ξ. 170. ἀμβροσίη Juno λύματα πάντα κάθηρεν, ut loco aquae ambrosia adhibita esse a dea videri possit.—Cum bonis odoribus vestes perfundi solerent: translatum et hoc est ad deorum vitam; cumque isti odores ad vestes a tineis tuendas usum haberent: ambrosiae usus quoque translatus est ad corpora mortuorum incorrupta servanda; ita Sarpedonis corpus χρῖσεν δ' ἀμβροσίη περὶ δ' ἄμβροτα εἵματα ἕσσε Π. 680. 670. Patrocli T. 38. 39. Hectoris Ψ. 186. 7. Ita ipsius Achillis Quint. III, 533 sq. ita ut vim antisepticam ei tribuisse videantur, quatenus corruptionem avertit. Nota sunt, quae de corpore Achillis immortali reddendo inde duxerunt poetae, v. c. Apollon. IV, 870. sq, et pueri in domo Celei in Hymno in Cererem. Simpliciter ad tetrum phocarum odorem temperandum adhibetur ambrosia Od. Δ. 445. 6.

Jam his variis ambrosiae unguenti usibus notiones subnatae videntur plures, ita ut interdum ambiguum sit, quaenam potissimum ex iis locum teneat. ἀμβρόσιον esse *immortale, divinum*, constat; possunt adeo πέπλοι ἀμβρόσιοι, χαῖται ἀμβρόσιαι, πλόκαμοι ἀμβρόσιοι esse *divini*, ut κάπαι ἀμβρόσιαι Θ. 434 *praesepe divinum*, ἀμβρόσιον εἶδαρ *pabulum divinum* E. 369. N. 35. Mercurii πέδιλα ἀμβρόσια *divina* Ω. 341 et al.

Fit tamen valde probabile, non modo post Homerum, verum in ipso quoque Homero ἀμβρόσιον esse *unguento divino delibutum*, adeoque *bene odorum*, tandem simpliciter *suave, jucundum*. Ita videntur dicta esse: πέπλος ἀμβρόσιος. ἀμβρόσιος ἑανὸς Ξ. 178. Φ. 507. Ita quoque πλόκαμοι ἀμβρόσιοι. et loco nostro χαῖται ἀμβρόσιαι, *comae unguentis delibutae, odorem spargentes*. Tribuitur enim et hoc diis, et est inter signa praesentiae, adventus vel discessus, *ut prodant se per ambrosium et divinum odorem:* qua de re dictum ad Aen. I, 402. Exc. XIII. Ita ex Bacchi incubatione peplus bene fragrans apud Apollon. IV, 431 legitur.

Ad *dulcedinem et suavitatem* vox translata saepius, ut tamen dubitari saepe possit in Homero, quam late pateat aut circumscribenda sit notio. Ita Il. B. 19 ὕπνος ἀμβρόσιος videtur *dulcis* esse exponendus, et νὺξ ἀμβροσίη, *quae jucundum somnum impertitur* B. 57 et Od. A. 329. Etsi nec refellendus ero, si accipio simpl. *nox alma*, θεία. Et sic Etymol. et Sch. br. cum Apollonio Lex. ad B. 57. Firmari potest hoc ipso, quod Od. A. 329. est νὺξ ἄμβροτος, h. θεία. Omnia enim, *quae ad naturam rerum, ejusque vires, caussas, effecta spectant*, veteribus sunt θεῖα et ἱερά, Romanis *alma:* notione per se quidem non satis explicita, ad sensum tamen moven-

dum et tanquam religioso horrore perfundendum potenti. Apud Apollon. IV, 1170 Ἠῶς δ' ἀμβροσίοισιν ἀνερχομένη φαέεσσι. scriptum olim erat φαρέεσσι, quatenus κροκόπεπλος est. At idem II, 671 dixerat φάος ἄμβροτον, cf. I, 519. 520.

Transiere hae notiones etiam ad alterum νέκταρ, νεκτάρεον. Sic νεκτάρεον ἑανὸν, Il. Γ. 385 et νεκτάρεον χιτῶνα Σ. 25 legimus, seu θεῖον seu suaviter sensum odoris afficientem; Apollon. III, 1008 νεκτάρεον μείδησε dixit, *dulce*, idemque permutatis vocibus III, 830 sq. ἀλοιφῇ νεκταρέῃ φαιδρύνετ' ἔπι χρόα. Idem ἀμβροσίην αὐδὴν dixit *dulcem*, I, 512.

EXCURSUS AD ILIAD. B.

EXCURSUS I.

Ad B. 101—9.

De Agamemnonis sceptro, regno ac successione, de imperii finibus, et de Argis.

101—109. Prodit ad dicendum, aut potius surgit et stat suo loco dicturus Agamemnon. In oratore, qui ad dicendum surgit, conspicua erat, quam manu tenebat, *hasta* s. *sceptrum.* Hoc videtur adduxisse poetam, ut *Agamemnonis sceptrum* tot versibus insigniret. Erat autem illa hasta admodum memorabilis vel propter antiquam originem, qua ad Jovem ipsum illa referebatur, tum quod hereditarium Pelopiae gentis cimelium erat. Creditum illud serius servari apud Chaeronenses Boeotiae, qui divino illud honore coluerunt; exportatum forte, ut aiebant, in Phocidem ab Electra, Agamemnonis filia: v. Paus. IX, 40. Ceterum a Jove sceptrum Mercurio datum esse, tanquam κήρυκι θεῶν, nihil habet quod mireris: verum quid Mercurium induxerat, ut Pelopi sceptrum daret? Mireris hoc multo magis, cum is Pelopi propter Myrtili ex se nati caedem tantopere irasceretur? Sch. Lips. haec habet: Ἑρμοῦ γάρ φησιν, αὐτὸν (Pelopem) καὶ Καλύκης. Haec aliunde nota non sunt; ἢ διὰ τὸν κύνα. Canis in his mythis nulla est memoratio; sed *arietis aurei*, quo immissa sunt odia inter fratres Thyesten et Atreum. Itaque legendum διὰ τὸν ἄρνα· et erat ille Mercurii munus seu potius dolus: v. Schol. Eurip. Or. 998. 9. Sed interposita haec est Scholii pars ab alia manu. Nam antiquior grammaticus pergit monere: esse adeo recentiorum figmenta de Oenomao et ariete aureo. Uti paullo ante

recte monebatur: ignorare Homerum amores Ius, et quae de Argo narrantur, et ad v. 107. ignorare eum odia inter Atreum et Thyesten. Verum omnino hic fabulas nullas respicere putandus est Homerus; sed in regnum successisse Pelopem, huic Atreum, Atreo Thyestem, Thyestae Agamemnonem declarare more loquendi antiquo: Jupiter per Mercurium mittit h. e. tradit sceptrum Pelopi.

'Ἐκ Διὸς reges esse et imperia, toties ait poeta; nunc copiose declarat, quomodo a Jove sceptrum traditum per successionem ad Agamemnonem pervenerit: estque adeo hic locus memorabilis moris eloquendi antiquissimi. Est autem ex Homero successio in regnum Pelopidarum sic constituenda, út Pelopem Atreus, hunc frater Thyestes exceperit; debebat huic succedere filius Aegisthus; sed rediit regnum ad Atrei f. Agamemnonem. Convenit in potioribus Thucyd. I, 9.

Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσει Agamemnon. Quam late *Argos*, quatenus in Agamemnonis ditione fuit, pateat petendum est infra ex vss. 569 sqq. Veteres de tota Peloponneso acceperunt; et in his, ut Etymol. Hesych. et ad eum laudatos taceam, Apollon. Lex. h. v. cum Strab. VIII, p. 568. p. 571 A. cujus longa est de hoc disputatio. Atqui ipsa urbs, Argos, Diomedi parebat. Videtur adeo dicendum esse, Ἄργος antiquiore loquendi usu, regnum Argivum, quale inde a Persidis et ante Persidas, fuit, declarasse, adeoque magnam Peloponnesi partem, inque hac Mycenas, Tirynthem, nomen illud complexum esse; inde factum, ut etiam hoc tempore, etsi Argos istas urbes non amplius sub imperio haberet, nomen tamen, τὸ Ἄργος et οἱ Ἀργεῖοι, *Argivi*, ad ista regna aliasque urbes spectaret, latiusque adeo omnes, qui cum Agamemnone erant, designaret; iidem erant Ἀχαιοὶ, *Achivi*, nam ex Achaeorum stirpe Argivi erant; etsi et Iones et Aeoles, etiam Dores, ex Pelasgica stirpe orti, in copiis ad Trojam ductis fuere. Sic et *Danai* commune nomen factum: cf. Strab. VIII, p. 570. C. Ita tandem *quodammodo*, cum Strabone, (VIII, p. 570. 1.) Apollonio Lex. Hesychio, Etymol. et aliis pronuntiari potest, *Argos pro tota Peloponneso* dictum esse apud Homerum; cum saltem potior ejus pars Argivis aliquando paruisset, et ab Achaeis, qui Argos tenebant, incoleretur. Nec tamen, si accurate loquimur, recte aut pro nomine antiquo Peloponnesi, aut pro nomine geographico est habendum Ἄργος. Quam diversis modis dicatur Ἄργος, docebunt loca sqq. I. 141 εἰ δέ κεν Ἄργος ἱκοίμεθ' Ἀχαιϊκὸν, est Agamemnonis ditio, in qua Mycenae erant. In T. 115 Juno profecta est Ἄργος Ἀχαιϊκὸν, ad maturandum partum uxoris Stheneli; potest ibi

urbs esse, Mycenis tamen regnavit Sthenelus, dicendumque adeo, esse regionem in qua Mycenae fuere. I. 246 φθίσθαι ἐνὶ Τροίῃ ἑκὰς Ἄργεος ἱπποβότοιο est indefinite dictum, ab Ulysse, pro sedibus Achivorum omnino. Sic O. 372 Nestor Argos commemorat, cum ipse Pylum teneret. ἐν Ἄργει Z. 456 ubi Thessaliae fontes memorantur. Ita indefinite positum accipi quoque potest pro ea quam nos Graeciam omnino appellamus, nullo certo respectu limitum: ut modo I. 246 vidimus, et O. 372 et alibi. Secundum haec excusanda est tragicorum licentia, qui Argos urbem commemorant, ubi Mycenae erant memorandae, v. c. Euripides in Oreste pr.

Tandem de *insulis* quaeritur: Schol. Ven. B. et Eustath. docent alios putasse, fuisse vicos Argolidis *Nesos* dictos, alios de copiis Rhodo, Creta, Aegina et ceteris ad Trojam sub ejus principatu ductis accepisse. Ita vero etiam Ἄργος latius de toto exercitu, cujus dux summus erat Agamemnon, intelligendum erit: ut quando ille μέγα πάντων Ἀργείων κρατέειν dicitur. Possis de insulis sinus Argolici cogitare; verum sunt illae paucae et exiguae; et ipse Homerus ait eum classe prae ceteris numerosa valuisse atque etiam Arcadibus naves praebuisse inf. 620. unde apparet plures insulas sub ejus ditione fuisse, etsi, quae illae fuerint, ignoratur. Ad hunc quoque modum Thucydides judicat: lib. I, 9.

EXCURSUS II.

Ad B. 718.

De N ἐφελκυστικῷ.

Non jam de iis quaeritur, quae omnino de litterula hac adjecta tradita sint aut tradi possint, verum de usu ejus vero ac certo in Homericis. Usum ejus maxime per grammaticos increbuisse, satis constat, ita ut in serioribus scriptoribus et in codicibus nullo cum judicio, nulla certa regula, Nῦ addatur, etiam ante consonam, vel omittatur.

Codicum omnino fides et usus in his est nullus; nam etiam optimi, in ipso Homero, ita variant, ut satis appareat, librarios nihil certi habuisse, quod sequerentur; itaque nec digna haec habui, in quibus enotandis operam perderem. Ernesti quidem MStum Lips. certam legem sequi putabat; at MSti fidem elevant ipsa ea exempla quae adscripsit. Nec aliud judicium de Veneto, Leidensi, Townleiano aliove codice ferri posse, docet ipse variationis usus; etsi mirus interdum omnium codicum consensus est in Nῦ modo adjectum modo omissum, plerumque male et contra evidentem

rationem; paucis in locis recte ut B. 671 ἄγε τρεῖς, non ἄγεν esse scribendum, et 756 ἦρχε Πρόθοος, non ἦρχεν scilicet ante duplicem consonam. Neque aliter rem se habere vidi in grammaticis, ut in Lexico Apollonii.

Cum neque in his neque in grammaticis ulla certa fides sit, varietas et inconstantia usus in Homero me admonuit, ut regulas circumspicerem, quibus me ipsum regerem in admittendo vel omittendo illo Nῦ; non quasi rem ipsam satis gravem, de qua quaereretur, esse judicassem, sed, quia molestum est in omni re, certum rerum judicium si videas tibi haud adesse.

Primo itaque loco de diversis τοῦ Nῦ usibus quaerendum esse vidi, et tum demum constitui posse, quid in Homero sequendum sit. Interponendi autem τοῦ Nῦ rationes esse possunt plures: primo, ut evitetur hiatus, ante vocalem seu in medio versu: ut, τόξ' ὤμοισιν ἔχων, seu in fine versus vocali sequente in alterius versus capite; ut ἄϊδι προΐαψεν—ἡρώων. tum vero, ad syllabam brevem, in ε vel ι exeuntem, producendam, positione illata: ἔδδεισεν δ' ὁ γέρων. et στήθεσσιν λασίοισι. Idque fieri potest aut in caesura, ut in exemplis iisdem, quod nunc ita regnat, ut etiam in vitio habeatur, si Nῦ in similibus locis aut exciderit aut defuerit[a], aut extra caesuram et in thesi: ut A. 450 τοῖσιν δὲ Χρύσης. 459 Τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον— Δ. 181 σὺν κείνῃσιν νηυσίν[b].

Occurrit quidem et alius usus τοῦ Nῦ extra syllabae producendae necessitatem, et in locis, in quibus syllaba sua jam natura producta est; ut, cum scribitur: φαίης κεν ζάκοτον. Aut, quod saepe fit in versus fine: ἄλγε' ἔθηκεν Πολλὰς δ'— Atqui ultima jam per se pro longa habetur. Hunc quidem usum prorsus esse rejiciendum in aperto est. Quaerendum adeo est tantum de ceteris.

Ut Nῦ interponatur hiatus cavendi caussa, justissima omnium videtur esse ratio. Quid enim auribus molestius esse potest, quam binae vocales excipientes se nulla interjecta consona! Itaque, ut ceterae linguae, graeca quoque lingua non uno modo auribus consulit, inprimis per elisiones, tum per Nῦ interjectum. Cum Ionum aures constet fuisse mollissimas, probabile fit, eos ab priscis inde aetatibus invento hoc usos esse. Atqui Herodotei libri et Hippocratis docent, quod vix expectes, illud Nῦ omnino ab iis abesse[c].

[a] V. c. ejus generis loca multa in Orphicis corrigit Schrader in Emendat. praef. Barnes vero etiam gloriatur passim, omnibus in locis se illud Nῦ infersisse.

[b] Excutiat, qui volet, plura loco, A. 66. B. 786. Δ. 97. 270. 289. E. 870. 887. 510. Z. 143. H. 259. 347. Θ. 433. I. 598. K. 170. 518. Λ. 134. O. 197. P. 705. Σ. 123.

[c] Etsi et in his, maxime in prioribus libris, incuria multa reliquit, ut

Quae cum ita se habeant: putes forte jure te statuere, multo minus ab antiquiore poeta usum τοῦ Nῦ expectari posse; eumque adeo debere omnino ab Homericis carminibus exulare, si antiqua facies iis restituenda sit; adeoque recte scribi v. c. Λ. 67. 68 οἵ δ', ὥστ' ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισι Ὄγμον ἐλαύνωσι, ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν. Neque est quod reponas, nisi forte hoc, Nῦ illud non quidem scribi; in recitatione tamen et elocutione interponi solitum, ita ut οἶσι ἀνάγκη pronuntiaretur οἶσιν ἀνάγκη, etsi scriptum hoc non esset; quemadmodum in litteris geminandis idem evenisse constat, ut produceretur syllaba duplicata consona pronuntiando non scribendo: ut in τὸν δὲ κατ' ὄσσε Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος scriptum est ἔλαβε. οἵῃ δ' οὐκ' ἔρεξε, ubi nunc ἔρρεξε. Hoc enim nisi statuas, repugnat in relinquendo concursu duarum vocalium diligens observatio summi studii, quod Homerus adhibuit in evitando hiatu: ita ut omnino nullus occurrat, qui tolli nequeat legitimis modis. Supererat unum hiatus genus, cui medela nulla erat, quod tamen et ipsum sublatum observato usu τοῦ digamma millenis in locis videbimus. Herodoteus igitur Ionismus, ut in multis aliis, ita in omissione τοῦ Nῦ, est diversus ab Homerico; quod alio loco diligentius declaratum dabo. Valde enim haec inter se variant; non occurrunt in Homero similia Herodoteis οὐκ ἥκιστα. κατήμενοι. ἀπιέντες. ἐπεξῆς et al.

Restat alterum genus, quo producitur syllaba brevis in fine ante consonam, dum consona Nῦ brevi isti syllabae adnectitur. Quod cum fiat aut in syllaba quae arsin habet seu in caesura, aut in syllaba, quae ictum non habet, sed in thesi est: in priore genere inutilis prorsus est paragoge illa τοῦ Nῦ. Nam syllaba illa ipso tono producitur: ἐν νηυσὶ κέαται—quorsum adjicias Nῦ: ἐν νηυσὶν κέαται? Non male itaque viri docti, quos Wolfius jam sequutus est, ejecerunt Nῦ in hisce locis. Facere idem jussit nuper Wakefield ad Eurip. Herc. fur. 22. sicque alii; idque et ipse sequutus sum. Ernestius primo incertus haerebat; mox vidit melius Nῦ in his abesse; at in altero genere difficilius est judicium: sic B. 786 Τρωσὶ δ' ἄγγελος ἦλθε, necessario videtur requiri Τρωσὶν δ' ἀ. Λ. 315 ἔσσεται, εἴ κεν νῆας ἕλῃ—etsi hic τὸ ν duplicari poterat pronuntiatione. Et forte a similibus locis progressus usus τοῦ Nῦ omnino invaluit.

Veniunt in hunc censum voces nonnullae in ε exeuntes, quae et—εν pronuntiantur: ut πρόσθε et πρόσθεν, ut N. 157

statim in Herodoti pr. τὰ δὲ βαρβάροισιν ἀποδεχθέντα. pro—σι. et mox οἰκέουσιν αὐτίκα et μακρῇσιν ἐπιθέσθαι.

Πριαμίδης, πρόσθεν δ' ἔχε—possit et πρόσθε se hic tueri, at Γ. 317 recte: Ὁππότερος δὴ πρόσθεν ἀφείη—ἔντοσθε et ἔντοσθεν, νέρθεν et νέρθε, ὄπισθεν et ὄπισθε. sic alia. Porro ὔμμι et ὔμμιν, ex ὑμέσιν. neque alio loco habeo τὸ ἐγὼν quod ante vocalem subjici solet, καὶ γὰρ ἐγὼν οἶκόν δε—manifeste ex interpolatione; nam fuit εγω Fοικονδε.

Attamen etiam in his ipsis non ubique regulae parere licet. Quod vix expectes, in ipsa caesura sunt innumera exempla, quae vetare videntur morem resecandi τὸ Νῦ per se inutile ad syllabam producendam: Scilicet aurium judicium, nostrum utique; nam an veterum Graecorum γνησίων idem judicium fuerit, quis asseverare ausit? suadet saepe in his contrariam viam. Sic in particulis cum ipsa voce in eandem vocalem exeuntibus A. 333 αὐτὰρ ὁ ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσὶ, φώνησέν τε. Si scribas φώνησέ τε, ingratum erit ad aures. K. 374 ὁ δ' ἄρ' ἔστη τάρβησέν τε. 502 ῥοίζησέν τ' ἄρα—A. 139 ὁ δέ κεν κεχολώσεται—.

Sin est syllaba in thesi, multo minus aequo animo feras Νῦ sublatum. Sic, quod toties occurrit, τοῖσιν δὲ—et A. 498 εὗρεν δ' εὐρύοπα Κρονίδην—. Γ. 348 οὐδ' ἔρρηξεν χαλκὸν—. K. 518 ὦρσεν δὲ Θρῃκῶν βουληφόρον, nolis admittere ὦρσε δὲ Θρ. Habet hoc ipsum MS. Lips. et addit Ernesti, bene! velim audire, quo jure? nisi dixeris, tum pronuntiatum esse δ geminato, ωρσεδδε Θρ. Multa hujus generis occurrunt; quorum magnam partem et similia alia videbis a viro doctissimo Hermanno collecta de Metris Gr. p. 70 sq. quae ad negligentiam priscorum poetarum cum ipso forte referas, etsi sunt in iis plura, quae aliam rationem, quo se tueantur, habent. Nam multa sunt quae digamma excipit, ut γαῖαν ὀδὰξ εἷλον, πρὶν Ἴλιον ἐξαλαπάξαι X. 17. fuit πριν Fιλιον. et εὖ μὲν τόξον οἶδα fuit Fοιδα et al.

Quid tandem de iis locis pronuntiabimus, in quibus illud εν in fine vocis ipso tono producitur ante vocalem: Γ. 35 ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς. Quam durum esset, —σε ω—spondei loco efferri!

Secundum haec concedendum esse videtur: Homerum etsi Ionem aliud aurium judicium sequutum esse, quam Herodotum, et hiatus evitasse interposito N. Non ignotum hoc isti aetati fuisse colligo etiam ex his: Non respuit Homerus ἦν. ἔην. Atqui hoc natum ex ἦον, ἦες, ἦε, et ἦεν. Sic in ᾔσκειν laudat Etymol. Il. Γ. 388 ᾔσκειν εἴρια καλά—ductum ab ᾔσκεον, ᾔσκεες, ᾔσκεε et ᾔσκεεν, ᾔσκειν. Est Il. X. 349 εἰκοσινήριτ' ἄποινα, ubi ν interpositum esse post εἴκοσι apertum est, observant quoque Schol.

EXCURSUS AD ILIAD. Δ.

EXCURSUS I.

De acie Homerica et tactica Achivorum at Trojanorum [a].

Cum ad tacticen latius acceptam plura spectent, quam quae hic in considerationem venire possunt; monebo, eam nunc referri a me tantum ad rationem eam, qua heroum temporibus copiae descriptae, agmine et acie ordinatae ac dispositae fuerint; etsi non ignoro ad hanc ipsam requiri, ut bene descriptae sint copiae in numeros suos, ut constituti sint duces eorumque vices et partes: quarum tamen rerum non nisi rudimenta Iliacis temporibus innotuisse in confesso est.

Bello jam per novem annos ad Trojam protracto, Trojanis se muris continentibus, Achivis autem partim vicina quaeque populantibus, partim escendere muros (Z. 435 sqq.) et insidiis collocandis fraudem facere meditantibus, nec urbem ita ab omni parte obsidentibus ut omni commeatu interclusi essent Trojani; cum ad belli summam nihil magnopere profecissent Achivi: exorta inter Achillem et Agamemnonem simultate, cum ille iratus se suosque Myrmidones ab omni militari opera contineret, Agamemnon in ejus invidiam et contemtum copias educere (B. 29 sq.) et sine Achille urbem capere constituit. Tum Trojani de discordia in castris hostium mota, edocti, urbe exire constituunt: id quod antea non erant ausi facere, (Il. E. 788. 791. I. 351 sq. N. 101. 5 sq.) seniorum hoc quidem consilio (Il. O. 721—3) qui bene intelligebant, protracto bello Achivos viribus fractis re infecta discessuros esse. Hoc idem consilium ut sequerentur, re ad navalia satis prospere gesta, Trojanis suadebat Polydamas; verum Hector, partim animi ferocia elatus, partim, quod belli diuturnitate opes Trojanorum attritas videbat, (Il. Σ. 285 sq.) iterum includere moenibus copias noluit.

[a] Egi de his in Commentatione a. LXXXIII. recitata et vol. VI. Commentationum Societ. R. Soc. Gotting. inserta p. 137. Emendatiora postea, ut fit, rerum usu edoctus prodidi ad calcem libri de Campo Scamandrio Lechevalerii (*Beschreibung der Ebene von Troia*, p. 246.) retractata ea sunt a Lenzio in Comitis *de Choiseul Gouffier* libro similis argumenti. Repetam h. l. ea, quae interpretandi carminis usibus accommodata esse visa sunt.

Jam, antequam de copiis in aciem eductis dicam, pauca de copiis ipsis sunt monenda. Trojani quidem sociorum copias adjunctas habebant, partim ex ipsa Troade, partim e vicinis barbaris collectas; Achivorum vero exercitus ex populis communis stirpis et originis compositus erat; etsi cum aliqua tribuum, familiarum, terrarum ac sedium, morum quoque et armorum diversitate. Omnino robur exercitus in curribus et gravis armaturae militibus erat; qui tamen multo inferiores numero fuisse videntur; majore parte instructi erant hastis missilibus; catervae sagittis utentes, nisi fallor, paucissimae; etsi inter exercitationes memorantur Myrmidonum τόξα Il. B. 774. 5. et in certamine funebri Ψ. 850 est τοξεία. De Locris arcu et funda utentibus fidem facit locus Il. N. 713 sq. Alii gravi armatura erant instructi, hoc est hasta longa, scuto, galea, ocreis, ut Myrmidones Π. 211. 214 sq. et Abantes B. 542 sq. sicque Argivi et Lacedaemonii quos omnes ὁπλίτας fuisse apparet. Armis iisdem, gravioris tamen molis et ponderis, instructi fuerunt illi, qui curribus invehebantur, quod ipsa, puto, armatura coegit facere, cum expeditiorem incessum illa non admitteret: ipsi dicti ἱππεῖς, reliqui autem omnes, quocunque armorum genere uterentur, *pedites*, πρυλέες, ut Il. E. 743. etsi a grammaticis πεζοὶ ὁπλῖται fere reddi solent: etiam in Etymologo; ipsi principes, curribus relictis pugnantes, πρυλέες pugnare dicuntur M. 77. Λ. 49. et narratur Il. Φ. 90 aliquis cecidisse ἐν πρώτοις πρυλέεσσι; dux πρυλέων uno loco memoratur Il. O. 517. Eos, qui post promachorum prolusiones pugnant, pedites *turmatim* fere pugnare videmus, non acie una continua; tum nec apparet, quot et an certi cujusque turmae ordines fuerint, in quos dispositae essent; qui post primos ordines stabant, non nisi missilibus uti potuere aut otiosi steterunt; primi ordines, pugnae saltem principio, ita sunt dispositi, ut clipeis consertis phalangem constituant, seriores συνασπισμὸν, appellarunt; verum nihil fieri videas, quod ad totam aciem spectet, sed per turmas modo incurritur, modo receditur; modo pugna restituitur. Ita quoque turmatim modo perrumpere turmas hostiles oppositas student, modo densatis ordinibus hostem repellere; qua de re loci aliquot sunt ab antiquis diligenter notati N. 129 sq. Π. 211 sq. πύργος quoque appellatur istud aciei genus et πυργηδὸν pugnatur, singulis saltem turmis: ut Δ. 334. 347. M. 43. Interea prima tactices elementa in hoc agnoscas, quod turmae saltem certos ordines servare didicerant. Tribuuntur quoque pugnantibus στίχες, generali aliqua notione; nam de nostris ordinibus nondum est cogitandum; omnino

vocibus his, etiam ὅμιλος, στίχες, φάλαγγες, non tam subti-
liter utitur, ut certi aliquid definias.

Principes curribus invecti, quos leves et humiles fuisse satis constat, ita ut facile conscendi possent a tergo, non unc modo pugnant, modo de curribus, irrumpendo in turmas peditum, modo eas praetervecti, ut videant qua perrumpere catervas infirmiores possint, modo curru descendunt et pe- dites pugnant, prope habito curru ab auriga: ad regendos enim equos altero in curru stante opus erat; is ἡνίοχος, qu pugnat, παραβάτης, dicti. Habendus autem erat currus i propinquo, ut fessi pugnando, aut vulnere accepto, au hoste gravius incumbente, eo conscenso saluti consulere pos- sent. Solent quoque arma occisis ademta in currum reponi interdum quoque dominorum caesorum corpora imposita re portari. De omnibus his nemo multum laboret. Hi prin- cipes, ἀριστῆες, ubique ante aciem locantur; inter utramque aciem (ἀνὰ πτολέμοιο γεφύρας Il. M. 160 et al.) ante or dines discurrunt; iidem πρόμαχοι plerumque dicti; non i unam turmam collecti, sed ante suam quique turmam pu gnantes. Ceterum, quando in conspectum ventum est primo plerumque turmae missilibus temere jactis hostem la cessunt; inde promachi procurrunt, et ante ordines pugnant ita pluribus locis pugna increbescit. Hic de curru pugnand mos ad omnem pugnae, qualis tunc erat, morem et rationem vim habere praecipuam debuit, ita ut omnis fere pugna fortuna in hac pugnantium parte sita esset. Quod celeriu se movere, adoriri alios, aliis succurrere, facile et ex impro viso, poterant, magnam utilitatem habebat; nec minorem hoc, quod aliquamdiu curru invecti ad pugnam statariam alacriores descendere aut ex ea fessi in currum se reciper poterant, licebat quoque heroibus Homericis uti armis gra vioribus ac magno aeris pondere corpus prementibus, qu bus incessum ceteroquin tardari necesse fuisset; etsi vel si vasta corporum moles vastumque robur ad arma haec tra ctanda requireretur: in quo Homerus declarando aliquotie sibi placet. Debuit quoque promachorum ante aciem ex sultantium mos et usus ad augendam et incendendam singu larium hominum virtutem mirifice accommodatus esse. A tera tamen ex parte pars exercitus longe maxima inutilio ad pugnam reddita est hac ipsa re, quod curribus geri re solebat; pedites enim curru invectis haud facile resistebant nec in animum inducebant, ipsi leviter armati pugnare ad versus homines thorace, galea, scuto, quod vulgaribus armi haud pervium esset, hasta longa ponderosa armatos, tectos tutosque in catervam curru irruentes. Nec vero cu

ruum nisi in camporum planitie usus esse potuit; quae ipsa res fecit, ut, quae ex locorum situ, montium jugis, amnium aut torrentium vadis capi possent, utilitates aut spernerentur aut ignorarentur. Tandem illud quoque in curruum usu minus probandum, quod, cum bini utique currui insisterent[a], alter ut equos regeret, erant in singulis curribus singuli viri fortes, quorum opera et manu pugnantium ordini carendum erat; altero vero caeso alterius quoque opera erat inutilis, (v. c. P. 459 sqq.) quippe in regendis equis consumenda. In aperto quoque est, quod idem mos effecit, ut minus roboris in reliqua acie esset, porro ut illa ad unum aliquod imperium ac nutum regi nequiret; quae tamen in modum machinae, ad certum unius consilium per plures ordine dispositos facile moveri debet, ita ut in multorum millium congressu, non aliter ac si duo bellarent, res gerantur, et multitudo personae unitatem induat. Videas quoque factum, inprimis in loco impedito, ut omnes curru descendant et pedites pugnent (Λ. 47) curribus habitis in extrema acie. Ceterum ex hoc promachorum pugnantium more rem interdum deductam videmus ad id pugnae singularis genus, quo unus fortissimus fortissimum ex altera acie provocat, utque, pactione facta, utriusque exercitus fortuna rerumque summa disceptatio huic pugnae committatur: quod statim Il. Γ. 15 sq. factum videmus. Idem promachorum procursus ante aciem locum fecit sermonibus illis, quos inter se habent nonnunquam pugnaturi apud Homerum. Consistebant hinc inde turmae, nec movebant se loco, si duo promachos congressos videbant. Spoliatio quoque caesorum vix locum habuisset, nisi per promachos prosilientes ante aciem res gesta esset; circumdat quemque sua turma aut popularium concursus. Itaque ad caesos spoliandos et subtrahendos solent pugnae oriri, modo singulares, modo turmarum conglobatarum, modo promachorum plurium in eundem locum confluentium. Magna carminis Homerici pars in pugnis his catervatim factis consumitur, maxime in Patroclo caeso. Quod autem hic mireris, tanquam a nostro militaris existimationis et laudis judicio alienissimum, spoliat caesum interdum alius, quam qui occiderat; neque id dedecori habitum (ut Δ. 463.) Hoc spoliandi more quantopere pugna turbari et inhiberi debuerit, in promtu est ad intelligendum; itaque in medio pugnae discrimine edicit Agamemnon, ut ne spoliandis corporibus moram quisquam faciat; lib. Z. 67.

[a] Itaque in certaminibus curulibus, cum pugnandum non esset, unum insistere currui videmus: Il. Ψ, 287 sq.

Memorantur duo inter principes Achivorum, tactices arte aliqua instructi: Menestheus, dux Atheniensium, (Il. B. 553. 4.) nihil tamen praeterea de eo occurrit, quod dicto fidem faciat; nisi quod Il. N. 689 Atheniensium delecti, προλελεγμένοι, duce Menestheo, densam turmam objiciunt Hectori irruenti. Alter, Nestor, duobus locis laudatur, speciminibus quoque artis propositis. Primo Il. B. 362 consilio dato, ut Agamemnon exercitum per φῦλα et φρήτρας disponi jubeat; videtur itaque, quod vix credas factum, ante id tempus pugnatum esse promiscue, et permixtim, prouti turba confluxerat in aciem progressa; ita, pergit ille, promtum fore ad intelligendum, quantam ducum quisque et turmarum quaeque virtutem exserat; cognosci quoque posse, ignavia ne an imperitia pugnandi bellum protrahatur. Alter locus est Il. Δ. 297 de ordinando exercitu, ut currus collocentur in prima et in extrema acie, et quotquot inter pedites essent copiae validiores: in medio autem multitudo, cujus virtuti confidere haud possit: quae sane res non est magnae sagacitatis, laudanda tamen in tactices incunabulis. Adjunctum est vs. 301 sq. aliud praeceptum, quod ad currus spectat (τοὺς ἱππεῖς) ut ii qui curru vehuntur, *contineant equos,* nec turbas faciant; tum, ut in ipsis *ordinibus stent,* nec ante ordines procedant nec retrocedant post eos; ita enim majus eorum robur fore; tandemque, ubi ad hostem perventum fuerit, ita ut in curru stantem hostem telis attingere possint, ut *hasta eum de curru petant,* adeoque non desiliant nec pedites pugnent. Provocatur in his ad exemplum majorum. Ita enim locum vexatissimum accipiendum esse jam olim docuimus, et nunc ad Δ. 301—306. Atque ita pugnari videmus Θ. 118 sq.

Bene quidem Nestorem ita praecepisse videmus; at quae inde de praeliis factis narrantur, docent aut ei parum fuisse obtemperatum, aut, si in pugnae initio id factum, paullo post turbatam esse aciem, aut ad solos Pylios Nestoris praecepta et consilia spectasse. Quod ad prius illud attinet, de copiis per φῦλα et φρήτρας disponendis, usus ejus instituti per se non tantus esse potuit, ut ordines servarentur; descriptio ista fuit comparata ad originis et stirpis rationem, ut ii, qui a communi stirpe genus ducerent, secundum gentes per plures tribus distributi, in uno loco consisterent, dispescerentur autem in tot turmas, quot essent cujusque tribus familiae per plures domos, pagos, tractus dispersae sanguine inter se et connubiis junctae; hae debuere esse φρῆτραι; ita Thessalos puta descriptos fuisse in plures stirpes ac popu-

los, hos in suos demos, secundum stirpes suas diversis tractibus incolentes, aut per urbes, pagos, vicos, habitantes, utque iis praeessent duces, qui in sua quisque stirpe, in suis gentibus, aut plurium gentium et familiarum coalitione essent principes: quo loco, ut exemplo utar, apud Israelitas tribuum erant principes, iidem et genere et auctoritate et potestate alios praeeuntes. In recensu copiarum lib. II, videmus fere descriptionem copiarum ad hunc modum universe propositam, ita ut forte ducum numerus designare videatur copiarum cujusvis populi distributionem in agmina et numeros: Itaque Boeoti, cum quinos habeant duces, videntur quoque quinis turmis pugnasse, Orchomenii binis, totidem Phocenses, Locri uno, uno quoque Euboeenses; et sic porro. Nihil tamen satis exploratum est, nec in his: nam multos passim in carmine ducum nomine memorari legimus, qui in Catalogo non memorantur. Trojanorum acies multo etiam rudio rearte instructa fuisse videtur; nam (Il. B. 802.) etsi Hectorem principatum habuisse videmus, non tamen nisi suorum civium imperator haberi potest; adjuncti sunt socii e diversis regionibus, diversa lingua utentes, adeoque et armis ac more pugnandi diversi; suis quique ducibus parentes; ita ut Hector summam tantum belli in proponendo pugnae signo administrasse videatur.

Quanta utilitas esse potuerit alterius instituti, ut copiae deteriores et infirmiores in medio ordine, inter primam et postremam aciem, collocatae essent, dijudicatu haud difficile est. Mirum tamen illud, quod per totam Iliadem nullam nec prioris nec alterius instituti factam meminimus mentionem. Laudantur plerumque universim Achivi, Argivi, Danai, aut sigillatim copiae ducum vel populorum; nusquam aciem Achivorum, quomodo ea instructa fuerit, accurate poeta exposuit; declarantur pleraque per duces, quorum virtute res geruntur. Atque hoc illud est, in quo magni ingenii poetam partim videmus impetu animi concitati ferri, partim judicio et prudentia uti, cum ad ea narranda properat, quae vim aliquam ad audientium animos tenendos habere possunt; in quo ille bene sensit sibi non historici vires et partes esse sumendas, ut docere velit et *docendo delectare:* sed delectare, et *delectando docere.* Bene quoque sensit poeta, si consilium suum obtinere vellet, sibi non esse subsistendum in pugna universe exposita, sed esse descendendum ad virtutes *singulorum*, quandoquidem haec, quae a singulis perpetrantur, poeticae narrationi unice consentanea sunt; variari quoque ita potest pugnae facies multis ac va-

riis modis. Ita omnis fere narratio redit ad promachos et a singulis viris strenue facta.

Neque tertii praecepti Nestoris, quod ad pugnantes de curribus spectat, observantes esse Achivos videmus in pugnis, quae fiunt; nam in primo statim congressu Diomedes de curru desilit, Δ. 419 et pedes irruit in duo Daretis filios in curru stantes, Il. E. 13. et sic in seqq. alii. Tertiae pugnae, quam inde a Il. Λ. factam videmus, alio modo instruendae necessitatem attulit ipsum pugnae genus; nam Achivi pridie intra vallum se recipere coacti currus nunc intra fossam tenent, ipsi pedites exeunt etiam promachi, sed intra ordines seu turmas, ut adeo pugnam missilibus factam credas; donec Achivi perrumpunt turmas Trojanorum vs. 99. prosilit nunc inter promachos Agamemnon, et sic alii; quos tamen caedunt, sunt et ipsi e Trojanorum promachis.

In ipsa pugna innumera fiunt, quae sunt a praeceptis tactices aliena, quae facile quisque pro se observabit, nonnulla quoque locis suis sunt animadversa.

Descriptionis universae aciei speciem aliquam habere videri possunt ea, quae de Agamemnone narrantur ordines obeunte, dum hortatu minisque incendit animos; hac enim in discursitatione pererrat ille primo Cretensium ordines; quos adeo ipsi proximo loco stetisse necesse est; Il. Δ. 251. tum Salaminiorum, inde Pyliorum, Atheniensium, Cephalleniorum, quos Ulysses ducebat, et Argivorum, quos Diomedes. Quaeri potest, unde et ad quas partes progressus sit Agamemnon. Scilicet *mediam aciem* probabile fit tenuisse Agamemnonem et Menelaum, cum Mycenaeis et Lacedaemoniis; Agamemnonem autem ordines versus cornu *laevum* pererrasse; hic tamen turmarum ordo non satis convenit cum iis, quae in ipsa pugna narrantur; ita Ajax ubique tenet extrema laevi cornu. Ignoramus porro, quinam populi in *dextro* cornu steterint, quod alioqui nudatum fuisset, cum Achilles ab hac parte in castris remaneret; nam is castrorum dextra ad Sigeum cum Myrmidonibus tenebat. Nisi dicendum est, omnino de acie media inter duo cornua non esse cogitandum, sed aciem continuam ab uno cornu ad alterum pertinuisse.

Quod jam supra dictum est, in acie ordinanda nihil regi ac constitui *unius* per totum exercitum consilio, sed ducum quemque pro lubitu copias suas disponere, hoc in primae pugnae principio statim intelligitur: cum ante Agamemnonis et Menelai aciem pugnatur a Paride et Menelao, moxque violato foedere congreditur utraque acies, Cephallenes et

Athenienses e longinquo prospicientes expectant, non tam signum pugnae propositum, verum exemplum aliarum turmarum in hostem tendentium, Δ. 330 sq.

In primo congressu quo scutatorum (ὁπλιτῶν) ordines primo concurrunt 447 sq. paullo post manus videmus primum committentem Antilochum, adeoque Pylios (Δ. 457); Ajacem, adeoque Salaminios, Ulyssem cum Ithacensibus, Diorem (vs. 517) ex Epeis Elidis, Thoantem Aetolum; tum Diomedem, primas virtutis laudes ex ea pugna nactum. (Il. E.) Fuga Trojanorum jam facta memorantur Agamemnon, Idomeneus cum Merione sodali, Menelaus, Meges; is ex Echinadibus copias adduxerat; Eurypylus e Thessalia, Sthenelus Diomedis sodalis. Ordines vix ullos servatos videmus; saltem poeta nullum nec pugnae nec pugnantium ordinem prodit vel observat. Narratur hinc (Il. E. 628 sq.) congressus Tlepolemi et Sarpedonis, adeoque Rhodiorum et Lyciorum, quos sibi utrinque adversos stetisse necesse est; et Rhodios quidem propiores ad laevum Myrmidonum latus, dextrum forte Argivorum latus tegentes. Supervenit inde Hector cum Trojanis e media puta acie auxilium Sarpedoni laturus (E. 682). Narrantur in pugnis sequentibus interdum dextrae vel sinistrae partes ab utraque parte; quas e Trojanorum modo, modo Achivorum statu situque dictas et accipiendas esse, facile intelligitur; ut Λ. 497. 8. nec tamen ex his locis certam disponendae aciei rationem elicere licet.

In pugna, quae intra castra exoritur (Il. N.) duo Ajaces revocatos e fuga Achivos densatis ordinibus in Trojanos ducunt, eorum impetum in se factum excipiunt, et turmatim ingruentes facile repulsos cedere cogunt. In h. l. 126 sq. inprimis vss. 130—135 prima *phalangis* fundamenta jacta esse credunt.

EXCURSUS II.

De primo ex quatuor praeliis inter Achivos et Trojanos commissis.

Δ. 446.—H. 305.

Agamemnonis jussu convocatus a praeconibus exercitus castris exierat Il. B. 442 sq. in campum Scamandrium vs. 467. re nuntiata egressi quoque sunt Trojani B. 809. ventum erat utrinque in conspectum, Γ. 15. cum a Paride ad pugnam singularem provocantur Achivorum fortissimi; prodit Menelaus, et Paris invitus cum eo congredi cogitur. Pugnae exitus victoriam incertam reliquerat; redibat itaque

res ad Martis aleam; acceleratur praelium perjurio et fraude Pandari, qui induciarum fide violata Menelaum sagitta vulneraverat. Trojani pugnae signum editum rati, in aciem procedunt Il. Δ. 220 sq. ita Achivi quoque arma parant. Agamemnon ordines pererrat, et nunc tandem vs. 446 sq. praelium committitur, de quo narratio continuatur usque ad Il. H. 305. De loco pugnae alibi opportunior erit ad Z. 4 locus dicendi. Sufficit nunc pugnatum esse in campo Scamandrio Il. B. 465—8. E. 36. et Z. pr. h. e. in planitie declivi inter Simoentem et Scamandrum, ab urbe versus littus et castra Achivorum patente (cf. Append. ad Chevalier p. 257 sq. 263 sq.) Trojani urbe egressi ad Collem, κολώνην Βατίειαν, qui et Myrinnae tumulus appellabatur (B. 811—815) substiterant, ubi in suas turmas socii et ipsi discreti fuerant. Inde progressi Achivis occurrunt in medio inter Simoentem et Scamandrum campo; cum intra teli jactum ventum esset, (Il. Γ. pr.) certamine inter Paridem et Menelaum constituto Trojani paullulum retrocedunt, ut justus certamini locus relinquatur (Γ. 77. 113—5.) et arma in terram deponunt. Vulnerato Menelao a Pandaro (adeo non magnum intervallum inter aciem utramque intercedere potuit) instruitur acies Achivorum; interea Trojani et ipsi arma expediunt et incedunt ad confligendum: (Il. Δ. 221 ad quem vs. vide; saltem vs. 446.)

Concurrunt turmae cominus sine ulla velitatione; ita ut graviter armati conflixisse primis aciei ordinibus videantur; vs. 446—9. Memorantur inde pugnae caedesque singulorum; in quibus Diomedis virtus enituit Il. E. et fortuna pugnae utrinque varia, prouti ex principibus ac promachis modo ab hac modo ab illa parte strenuum aliquod facinus editur, aut aliquis ex promachis caeditur. Trojani tandem, ordinibus per Ajacem ruptis versus urbem fugiunt, Z. 6. nec nisi sub moenibus, ab Heleno et Aenea confirmati, animum recipiunt et consistunt: vs. 73 sq. Nunc miro, et ad sensus nostros vano, Heleni, cujus augurandi scientia aliunde nota est, consilio, ad preces et vota diis facienda conversis animis, Hector urbem intrare, et pompam cum supplicatione Minervae ducendam indicere jubetur. Interea a Trojanis, quos moenia a tergo tutabantur, procurrit Glaucus, ab Achivis Diomedes, ad pugnam singularem faciendam; quae cum exitum non habuisset, reduce ex urbe Hectore instauratur praelium, Il. H. pr. mox ejus et Ajacis pugna singularis initur, e qua sub noctem incolumes uterque redeunt, cum iisdem Achivi in castra, in urbem Trojani: H. 306. Induciis in alterum diem factis sepultura cae-

sorum peragitur, et ab Achivis vallum exstruitur vs. 325 seq.

EXCURSUS III.

Ad Δ. 300.

De ὄφρα cum subjunctivo et optativo.

Δ. 299. 300. κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν, ὄφρα, καὶ οὐκ ἐθέλων, τις ἀναγκαίῃ πολεμίζοι. Edebatur inde ab Ald. 2. πολεμίζῃ. At πολεμίζοι restitutum ex Ven. Lips. Townl. Urat. c. A. tum edd. Flor. Ald. 1. nec aliter legitur apud Polyb. XV, 16, 3. de acie Annibalis. Varietas lectionis in optativis et subjunctivis, ut in aliis, sic in Homero, frequenter occurrit, cum in aliis particulis, tum in ὄφρα. De Atticorum usu multa sunt quae praeceperunt viri docti ad Tragicos et ad Comicum; enimvero mihi videndum est de Homericis, et nunc quidem de ὄφρα. De ὅπως, ὡς, ἵνα et similibus, aliis locis: Exc. I, et III. IV. Il. I. Exc. II. Il. H. et Exc. I. Il. M.

Dawes Miscell. crit. p. 85. juncturae τοῦ ὄφρα et similium, ἵνα, ὡς, μὴ, diversitatem in temporum positu quaesivit, proposita observatione: post praeteritum esse optativum, post praesens conjunctivum. Verior ratio quaerenda primo in consequutione temporum, tum in oratione recta vel obliqua; quoties est propositio caussalis locum potiorem habet subjunctivus: *auf dass. damit.* quoties est potentialis, *es könnte, möchte, dürfte,* amatur optativus. Tandem subtilitas ista in Atticis regnat; in Ionico poeta non aeque.

Ὄφρα *cum subjunctivo* jungi, quoties de *certo fine ac consilio* agitur, quando reddi potest, *ut, eo consilio ac voluntate, ut,* dubitari nequit. v. c. Il. A. 158 σοὶ ἑσπόμεθ', ὄφρα σὺ χαίρῃς. 185 auferam tibi munus tuum, ὄφρ' εὖ εἰδῇς, ὅσσον φέρτερός εἰμι σέθεν. adde 118. 523. Γ. 105 ἄξετε δὲ Πριάμοιο βίην, ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ. E. 109 καταβήσεο δίφρου, ὄφρα μοι ἐξ ὤμοιο ἐρύσσῃς πικρὸν ὀϊστόν. 127. 8 caliginem tuis oculis detraxi, ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα. ubi v. Obss. 227 ἐγὼ δ' ἵππων ἀποβήσομαι, ὄφρα μάχωμαι. 360 da mihi currum, ὄφρ' ἐς Ὄλυμπον ἵκωμαι. Θ. 191 σπεύδετον, ὄφρα λάβωμεν. add. Ω. 74. 75 et al. Od. O. 75 et 81. Apud Apollon. similis est junctura, etiam cum ἄν, ut I. 16. 17. injunxit ei navigationem, ὄφρ' ἐνὶ πόντῳ ἠὲ κεν ἀλλοδαποῖσι μετ' ἀνδράσι νόστον ὀλέσσῃ.

Ὄφρα tamen saepe *cum optativo* junctum legi, ita ut eodem sensu accipi et reddi possit *ut, eo consilio ut,* nullo modo negari potest. Interdum ratio aliqua elici potest, cur optativus praeferendus sit, si *oratio* est *obliqua,* aut *pendens*

ex praecedente, aut *consilium non plane certum et ratum*, sed potius *in votis* habitum. Sic Achilles jubet Patroclum στορέσαι λέχος Phoenici, ὄφρα τάχιστα ἐκ κλισίης νόστοιο μεδοίατο legati: I. 617. 8. N. 37. ligavit equos, ὄφρ' ἔμπεδον αὖθι μένοιεν. E. 666 ὄφρ' ἐπιβαίη, σπευδόντων. H. 439 portas fecere in vallo, ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη. Od. E. 255 πηδάλιον ποιήσατο, ὄφρ' ἰθύνοι. Eodem modo alibi multis argutiis opus est, ut caussam exputes, cur optativus praelatus sit subjunctivo; nisi forte quod ille elegantiae nescio cujus sensum habet. Σ. 146 Thetis ad Olympum tendit, ἤϊεν ὄφρα φίλῳ παιδὶ κλυτὰ τεύχε' ἐνείκοι. hic variat lectio ἐνείκοι, ἐνείκαι, ἐνείκῃ. 377 Vulcanus tripodibus subjecerat rotas, θῆκεν, ὄφρα οἱ αὐτόματοι θεῖον δυσαίατ' ἀγῶνα, ἠδ' αὖτις πρὸς δῶμα νεοίατο. Sentio optativum suaviorem esse. Et ex hoc genere est, quod huic Excursui praescripsi, ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίη πολεμίζοι. Sicque in multis aliis, ut E. 690. 1. Z. 170. 195. Π. 99. 100. Σ. 344. 5. X. 443. Ψ. 197. Ω. 285. At de adjiciendo ἂν vel κεν in optativis cogitandum non est, itaque nec cuiquam in mentem veniat: ὄφρα κεν οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίη πολεμίζοι.

Cum epico nostro epici Apollonii orationem recte comparari censeo. In hoc lib. III. 1135 versu simili ei, quem praescripseram, ὣς γὰρ τόδε μήδετο Ἥρη, ὄφρα κακὸν Πελίῃ— ἵκοιτο Μήδεια, reposuit ἵκοιτο pro ἵκηται Brunckius; recte utique; verum nolim pronuntiare, quod ille adscripsit, soloecum omnino esse conjunctivum. Adscripsit ille alia loca, e quibus ad rem facit unus I. 166.

Ὄφρα hoc ipso sensu, ut sit, *ut, eo consilio ut*, apud Homerum alio quoque modo jungitur, cum *futuro indicativi:* Θ. 110. 111. invehamur in Trojanos, ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ut intelligat. Z. 308 Minerva esto propitia, ὄφρα τοι—ἱερεύσομεν, αἴκ' ἐλεήσῃς. Sic P. 452 vobis vires addam ὄφρα Αὐτομέδοντα σαώσετον Π. 242. 3. Confirma ejus animum, ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται—*ut intelligat*. Z. 308. 9. tum vero etiam cum *praesenti indicativi*, et quidem cum et sine κεν. B. 440 ἴομεν, ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα. Σ. 53 κλύετ', ὄφρ' εὖ πᾶσαι εἴδετ' ἀκούουσαι. Adde K. 146. N. 326. 7. ὄφρα τάχιστα εἴδομεν. Etiam cum ἄν, ὄφρα ἂν cum futuro: Θ. 375. 6 rege equos, ὄφρ' ἂν ἐγὼ—τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήξομαι. Sic Od. Δ. 670.

Verum haec et alia similia spectant ad id genus, cujus caussas ex grammatica nondum elaborata illustrare malim, ut conjunctivorum vocales longae confundantur cum brevibus indicativorum. Nisi dicere praestat, ὄφρα omnino in tali sententia cum indicativo positum antiquis probatum

esse; potest quoque in subsidium vocari significatio altera, *donec*, et esse adeo ὄφρα εἴδομεν ἂν idem fere ac, *donec, dum, resciscimus:* ὄφρα εἰσόμεθα, dum resciscemus. In futuro indicativo etiam altera observatio locum habet, quod constat, futurum indic. eandem vim et usum habere cum aoristis conjunctivi. Sic A. 147 navem mittamus Chrysam ὄφρ' ἡμῖν Ἑκάεργον ἱλάσσεαι ἱερὰ ῥέξας, *ut tu places.*

Post haec omnia adhuc monendum est de alio usu τοῦ ὄφρα *cum subjunctivo*, dum alteram significationem habet, pro ἕως, *donec, quamdiu, interea dum.* Nam etsi hoc sensu vulgatissimus hic usus est, ut cum omnibus *indicativi* temporibus jungatur, v. c. fortissimus inter Achivos erat Ajax, ὄφρ' Ἀχιλεὺς μήνιεν· occurrit tamen usus conjunctivi, etiam cum ἂν, non modo in oratione obliqua, aut relativa, conditionali, incerta et indefinita; sed etiam in satis definita.

Exempla commemorabo A. 509. 510 τόφρα δ' ἐπὶ Τρώεσσι τίθει κράτος, ὄφρ' ἂν Ἀχαιοὶ υἱὸν ἐμὸν τίσωσιν ὀφέλλωσί τέ ἑ τιμῇ. E. 524 nubes incubant montibus immotae, ὄφρ' εὕδῃσι μένος βορέαο. N. 141 ut saxum praecipitatur, ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, ὄφρ' ἂν ἵκηται ἰσόπεδον. A. 133 ἦ ἐθέλεις, ὄφρ' αὐτὸς ἔχῃς γέρας, αὐτὰρ ἔμ' αὔτως ἧσθαι δευόμενον *interea dum tu (dummodo) munus tibi habeas,* me contra, vicissim, egere (αὐτὰρ oblitus sum monere, clarius fore, si resolveris αὖτ' ἄρ'.) Sic A. 82. Z. 258. H. 193. K. 325. Λ. 447. Σ. 408. 9. T. 191. X. 387. Est ergo etiam pro conjunctivo habendum Λ. 187. et 202 ὄφρ' ἂν μέν κεν ὁρᾷ et ὁρᾷς. Occurrit et sine ἂν Δ. 346 ὄφρ' ἐθέλητον et Λ. 477. Sicque accipio A. 82 iram retinet ὄφρα τελέσσῃ, *donec ultionem sumserit.* Similiter ut ὄφρα με βίος ἔχῃ ap. Sophocl. El. 225 *quamdiu vita mihi fuerit.*

Hoc in usu non memini nisi unum et alterum exemplum occurrere usus τοῦ ὄφρα cum optativo; ita K. 571 Dolonis spolia in nave reposuit Ulysses, θῆκεν, ὄφρ' ἱρὸν ἑτοιμασσαίατ' Ἀθήνῃ, quod veteres accipiunt *donec sacrum parare possent Minervae, in quo illa dedicarent.* Possis tamen verba sic accipere, *ut consecrarent ea Minervae.* Ita nec Π. 567. 8 accipiam pro *donec*, sed pro *ut:* Ζεὺς ἐπετάνυσε νύκτα ὑσμίνῃ, ὄφρα φίλῳ περὶ παιδὶ μάχης ὀλοὸς πόνος εἴη. nec Od. I. 229 et M. 437. At alterius usus, cum futurum apponitur, ubi aoristum conjunctivi requirebas, est Θ. 374—6 σὺ μὲν ἔντυε ἵππους, ὄφρ' ἂν ἐγὼ—θωρήξομαι, *interea dum ego arma sumsero,* ὄφρα ἴδωμαι, εἰ—*ut experiar, an.*

Eundem usum eandemque structuram et juncturam cum ὄφρα, habet ἕως, Γ. 291 ego pugnabo, εἵως κε τέλος πολέμοιο κιχείω. Sic Ω. 183 et saepe. At habet hoc sibi singulare, quod junctura cum optativo, quam in ὄφρα dixi vix occur-

rere, in ἕως est frequens in Odyssea B. 78. Δ. 800. E. 386. Z. 80. I. 376 etc.

Convenit quoque εἰσόκε, quod cum conjunctivo et optativo jungitur, cf. ad E. 466.

EXCURSUS AD ILIAD. E.

EXCURSUS I.

Ad E. 203.

ἄδην. ἄδδην. ἄδω. ἀδέω. ἀνδάνω.

203. ἵπποι—εἰωθότες ἔδμεναι ἄδδην. Haec Niciae scriptura est: ἄδδην pro ἄδην, metri caussa, ut syllaba per se brevis (N. 315 οἵ μιν ἄδην ἐλόωσιν) producatur; at Aristarchus ἄδην et ἅδην scribebat, sic Sch. A. et B. et Sch. br. repetita ab Eustathio ad h. l. et iterum p. 539 et 1394. Multa de hac voce ejusque etymo disputata sunt in Etymol. Hesych. et Notis ad eum; add. Pierson ad Moerin p. 90. Scheid. in Lexic. Etymol. Spectant alia ad prosodiam, de qua inprimis egit Clarke, et Knight p. 82. partim, sitne ἄδην priore longa, et an Fάδην scriptum olim fuerit, quod quoque factum volunt in ἅδω, Fαδω. Exponam, quae mihi probantur; licebit aliis uti inventis suis. Scilicet statuo, formas olim fuisse plures ejusdem verbi, cujus vis erat omnino *satisfacere, delectare, satiare; inde taedio afficere, molestiam afferre.*

Fuit ἄδω *a primitiva forma* ἄω, ἄμι unde est ἄμεναι, Φ. 70 ἱεμένη χροὸς ἄμεναι. quomodo fuit ἴμι, eo, εἶμι. *satio.* Ex ἄω occurrunt ducta ab futuro ἄσω. ᾶσαι. ἄσασθαι, ubique *priore longa,* et sine digammo et adspiratione: αἵματος ἆσαι Ἄρηα. δρόμου ἄσῃ. χροὸς ᾶσαι. γόου ᾶσαι. κύνας ᾶσαι. Ducta hinc ἄσῃ. et ab hoc ἀσάομαι. Nec novi, quod digamma arguere videri possit, nisi quod legitur Λ. 88 τάμνων δένδρεα μακρὰ, ἄδος τέ μιν ἵκετο θυμόν. quod esse potuit μακρα Fαδος. Ita vero et correpta syllaba et per digamma scripta, prorsus ab hoc verbo recedit. Praestat, puto, dicere fuisse μάκρ', ἆδος, quod convenit cum ἦδος, simili modo formato. Debuit hujus vocis ἄδω priore longa, exemplo aliarum vocum, esse alia forma priore brevi, ἄδω, seu ἀδέω, ἀδῶ, satio: unde venit ἄδη, ἄδδη, ἀδδέω, ἀδδηκότες. de quibus dicetur infra.

Alia forma quae nunc quidem scribitur ἥδω. ἥσω. ἥσατο. Ea olim fuit Fηδω. Fησω, Fησατο. *delecto.* Ex ea ductum

ἦδα, Fῆδα. ἕαδα *media longa*, ἐFαδα. unde ἐFαδως. πᾶσιν ἐFαδότα μῦθον I. 173. nisi malis πᾶσι FεFαδοτα scriptum fuisse. Videri potest et ἥδω. ἥδομαι. fuisse: quandoquidem τὸ ἦδος inde ductum esse debuit: ut A. 576 ἐσθλῆς ἔσσεται ἦδος nisi et hoc fuit Fῆδος, et scribendum sit ἐσθλῆς ἔσται Fῆδος, sicque Il. Λ. 318.

Alia forma, ἅδω, *prima brevi*, pro *delecto, placeo*. unde ἁδέω, ἁνδάνω, et hinc ἅδον. ἁδεῖν. v. c. ὡς ὄφελε θάνατός μοι ἁδεῖν. Γ. 173. Unde ductum ἕαδον. ἕαδα, *media brevi*. quod idem ἐFαδα. εὔαδα scriptum. ἐπεί νύ σοι εὔαδεν οὕτως P. 647.

Cum duo fuerint verba, priore modo brevi, modo longa, eodem sensu, a diversa tamen origine, ἥδω, ἦδα, ἕαδα, εFαδα, media producta, et ab ἅδω ἕαδα, ἐFαδα, εὔαδα media correpta; non miraberis etiam ἁνδάνω ab utroque ductum verbum fuisse; certe fuit Fανδανω Fανδανε, A. 24 οὐκ Ἀγαμέμνονι Fανδανε add. O. 674. Od. E. 153 εFηνδανεν. Ω. 25 ἔνθ' ἄλλοις μὲν πᾶσιν ἐFήνδανεν. adde Od. Γ. 143. Sine digammo occurrit Od. K. 373 οὐχ ἥνδανε θυμῷ; quod tamen scriptum esse potuit οὐ Fηνδανε.

Redeundum est ad ἄδη *priore correpta* sine digammate, *satietas*; et ἀδέω vel ἀδδέω, *satio*; cujus aliam formam priore producta ἄδω vidimus. Ex ἄδη ductum, quod pro adverbio haberi solet, ἄδην, οἵ μιν ἄδην ἐλόωσι N. 315. Τρῶας ἄδην T. 423. et quoties syllaba erat producenda, ἄδδην, ut h. l. ἔδμεναι ἄδδην. Est enim, quod nunc pro adverbio habetur, ἄδην vel ἄδδην, proprie εἰς vel κατ' ἄδην. Discas hoc vel ex Apollon. Lex. h. v. ἄδδην, εἰς κόρον. ἐπὶ πλεῖον, laudato hoc versu. In Od. E. 290 pro φημὶ ἄδην erit vel φήμ' ἄδδην, vel φημί γ' ἄδην ἐλάαν scribendum. Grammatici certas rationes non habuerunt; errant inter ἄδην et ἅδην, ἄδδην et ἅδδην, v. Eustath. Hesych. Seriores poetae ex grammaticorum commentis pependerunt, neque adeo ad Homericam rationem exquirendam adhiberi possunt; aliquoties tamen ἄδην in Apollonio et Callimacho occurrit, ubique priore correpta. ἀδδηφάγος etiam Lysiae et Philisto dictum fuit: quod interpretatur Harpocration Lex. h. v. Apostol. Proverb. I, 1, 51. Super ἄδην ἐλάαν πολέμοιο v. ad N. 315. Ceterum vulgari quoque usu habita est vox ἄδη, quod constat ex Herodoto IX, 39 ubi v. Valck. ἀδὲς vox Dorum, pro δαψιλὲς, memoratur a Gregorio de Dial. p. 149. Ductum quoque hinc est ἀδινὸς, densus seu numero seu ordine, h. e. continuus, priore brevi: de quo v. ad B. 87.

Tandem ἀδηκότες superest, *satiati*, quod ad exemplum τοῦ ἄδδην etiam ἀδδηκότες scribitur, ut K. 98 καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ. ad quem locum vide Obss.

EXCURSUS II.

De εἴ κεν cum conjunctivo, optativo et futuro indicativi.

E. 212. εἰ δέ κε νοστήσω καὶ ἐσόψομαι. Schol. A. ad e. l. notavit, dictum esse pro νοστήσαιμί κεν. ut illud: πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼν ὀνομήνω B. 488. Patet, exemplo allato, ὀνομήνω, grammaticum statuisse, νοστήσω esse *aoristum subjunctivi sequente futuro indicativi;* quod per se recte fieret; nam *aoristum subjunctivi et futurum indicativi cum ἂν* vel κεν *jungi et eodem loco haberi*, saepe (v. c. K. 449. 452 et alibi) videbimus, et antea jam vidimus Exc. III. ad A. 66. videtur tamen νοστήσω non minus bene pro futuro haberi, ut κε ad utrumque referatur, νοστήσω κεν et ἐσόψομαι κεν. Eo quoque ducit similis locus B. 258 εἴ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κιχήσομαι, ὥς νύ περ ὧδε, ne vivam, εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω—αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω.—*Futura cum* κεν *juncta* omnino ab Homero frequentari nunc nemo dubitet; (v. ad A. 175. 137. 139. Δ. 176. I. 155 et al.) Quid in Atticis scriptoribus de usu futuri cum ἂν statuendum sit, ad nos non spectat.

Egeram supra de usu τοῦ αἴ κεν vel εἴ κεν, in Exc. III. ad A. 66. et in Obss. ad A. 81. ubi expressis plagulis et inspectis vidi observationem de usu τοῦ αἴ κεν cum subjunctivo esse turbatam sphalmate p. 40. l. extr. " soloecum esse εἰ cum " subjunctivo" cum deberet excusum esse εἴ κε. Ibidem paullo post l. 8. p. 41. ubi dixi: " Sic quoque εἴ κε. εἰ δέ κε. " εἰ δέ κε μή." excidit, cum futuro indicativi.

Monebo igitur, cum in h. l. devenerim, omnino paucis de usu τοῦ εἰ, εἴ κεν, εἴ περ, in Homericis. De *vulgari* quidem *usu τοῦ εἰ cum indicativo* et *optativo* non quaeri, per se intelligitur.

Frequentissimum in Homero esse εἴ κεν, et αἴ κεν, quod idem est atque εἰ ἂν, ἐὰν, *cum subjunctivo* junctum, jam in notato Excursu pronuntiatum est. Occurrunt exempla hoc ipso libro E. 820 εἴ κε—ἔλθῃ. 351 ἦτε σ' οἴω ῥιγήσειν πόλεμόν γε καὶ εἴ χ' ἑτέρωθι πύθηαι. Si plura cupis, adi A. 324. Δ. 359. Λ. 315. X. 346 et al. etiam εἴ κεν πως, ut Π. 725.

Cum hoc usu τοῦ εἴ κεν cum subjunctivo non illa ratio confundenda, cum εἰ, etiam *sine ἂν, cum subjunctivo* jungi posse contenditur; id quod ἀκριβέστεροι omnino negant fieri posse, non magis, quam ut ἐὰν cum indicativo jungatur. Praeivit recto huic judicio Thomas Mag. in εἰ p. 267. etsi is obscuravit doctrinam hanc per alia adjecta: quod acute nuper observavit doctiss. L. B. de Locella ad Xenoph:

Ephes. p. 185. Itaque potest quidem dici εἴ κεν ἱκώμεθα, non autem εἰ ἱκώμεθα, quod soloecum esset. Quoties igitur talia leguntur, eluitur vitium, modo interponendo κεν, εἴ κεν ἱκώμεθα, modo mutando subjunctivum in optativum εἰ ἱκοίμεθα. Interdum καὶ male occupaverat locum τοῦ κεν, ut apud Apollon. IV, 1418 εἰ δὲ καὶ αὖθις ἱκώμεθα in codd. damnat Brunck. et tuetur εἰ δέ κεν. Erit ergo etiam E. 258 εἰ γοῦν ἕτερός γε φύγῃσι mutandum non in ἕτερός κε φύγῃσι, sed εἴ κ' οὖν ἕτερός γε φύγῃσι. O. 571 εἴ τινα που Τρώων—βάλῃσθα in βάλοισθα. Et in Hesiod. Ἔργ. 321 εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ μέγαν ὄλβον ἕληται erit emendandum εἰ γάρ τίς κεν, ut idem vir doctus vs. 344. (317) εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἀλλότριον ἄλλο γένηται mutavit in γένοιτο (poterat quoque scribere εἰ γάρ τοί κεν—γένηται) et in Apollon. III, 61 εἴ κεν περ ἐς Ἀΐδα ναυτίλληται pro εἰ καί.

Εἴ κεν *cum optativo* jungi vulgo obvium est. εἰ τούτω κε λάβοιμεν, ἀροίμεθα κε κλέος ἐσθλὸν E. 273. et πειρήσομαι εἴ κε τύχοιμι 279. I. 397 τάων ἥν κ' ἐθέλοιμι, et sine κε paullo ante οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη—eod. lib. 385. v. Exc. III. ad A. et in ea quidem junctura maxime sibi placent Attici, ut omnino in optativi usu, quem tamen epicis poetis obtrudere nolim, nisi codicum auctoritas vel sententiae indoles facere jusserit; nam hi subjunctivos plerumque praeferunt, praeeunte Homero: v. c. Γ. 71 ὁππότερος δέ κε νικήσῃ κρείσσων τε γένηται, scriptor Atticus praeferret γένοιτο ἄν. Δ. 191 φάρμαχ' ἅ κεν παύσῃσι μελαινάων ὀδυνάων, παύσειεν ἄν. A. 137 ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι, ἑλοίμην ἄν. 205 τάχ' ἄν ποτε θυμὸν ὀλέσσῃ, ὀλέσειεν ἄν. et sic sexcentis in locis. Neque itaque, cum toties in libris variet et erret optativus cum conjunctivo, hunc ubique tollere et istum substituere ausim, nisi conditio incerta aut dubitatio vim inde mutuetur. Il. I. 414 εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκοιμι mutavi in ἵκωμαι alia de caussa. Observantur etiam loca, in quibus promiscue εἴ κεν cum subjunctivo et optativo aut alternis junguntur; v. c. Il. I. 278 εἰ δέ κεν αὖθις ἄστυ μέγα Πριάμοιο θεοὶ δώωσ' ἀλαπάξαι—et statim εἰ δέ κεν Ἄργος ἱκοίμεθ'.—

Ex allatis patet εἴ κεν cum optativo et cum subjunctivo jungi, ambiguam inde saepe lectionem esse in Homero: v. c. I. 600 εἰ δέ κε δύῃς. Townl. δύοις I. 136 εἰ δέ κεν—δώωσι et statim 141 εἰ δέ κεν Ἄργος ἱκοίμεθα. In Homero tamen frequentior usus est subjunctivi; contra quam in Atticis.

Εἰ sine κε cum optativo jungi, nemo dubitat; sed an εἰ sine κε (v. c. εἰ ἱκώμεθα) cum subjunctivo: de hoc p. 40 extr. et supra quaeritur. Simile est ὡσεὶ ex ὡς et εἰ. I. 477 ὡσεί τε φιλήσῃ. recepi φιλήσει.

Εἰ cum futuro indicativo e vulgari usu jungitur; at jungitur quoque cum futuro indicativo εἴ κεν. εἰ ἂν, si incerta est conditio.

I. 162 ἐγὼ δέ κέ τοι καταλέξω potest esse et fut. indic. et aoristus subjunctivi.

Ἐπεὶ habet similem usum τῷ εἰ. ἐπεί κεν ἀμείψεται I. 409 et I. 304 ἐπεὶ ἂν σχεδὸν ἔλθῃ et ἔλθοι. v. Obss. ad e. l.

Tandem εἴ κε ut quoque αἴ κεν, *cum futuro indicativi* junctum ab Homero frequentari, jam initio hujus Excursus et Exc. III. ad A. declaratum est.

Cum εἴκεν convenit fere usus τοῦ εἴπερ ἂν, εἴπερ κεν, quod ut plurimum cum subjunctivo, rarius cum optativo jungitur; cum optativo quoque εἴπερ sine κε, cf. ad A. 81. at cum indicativo jungitur quidem εἴπερ, (v. c. Π. 848 εἴπερ μοι ἐείκοσιν ἀντεβόλησαν. Τ. 364 εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάα πολεμίζειν) non vero εἴπερ ἂν, εἴπερ κε. hoc quidem non magis ac εἴ κεν vel αἴ κεν, praeterquam solo futuro indicativi, ut in illo αἴ κεν πως θωρήξομεν.

EXCURSUS III.

Ad E. 656. ἀμαρτῇ.

De προσῳδίᾳ *seu accentu in Homero et interpunctione.*

Vidimus in Obss. ad e. v. acriter et diversimode disputatum esse de pronuntiatione voc. ἀμαρτῇ. nec mirum, cum tanta pronuntiationis vis sit non modo ad aurium judicium, verum etiam ad sensum verborum.

Cum in lingua, cujus usus est vulgaris, de pronuntiationis ratione inter populares satis constet, ad eam declarandam signis et notis opus non est; nec necessitas existit, nisi aut in exquisitiore sermonis cultura, aut, si ab advenis et exteris illa est addiscenda.

Quod si prius illud evenit, disputationes exoriuntur primo tantum de singulis vocibus, aut dialecto molliore, duriore, variatis, aut vulgo male pronuntiatis aut dubitationem qualemcunque habentibus: idque in Graecis, quamdiu Athenis omnes fere litterae continebantur, rarius, mox multo magis locum habere debuit, ex quo litteratura Alexandriae florere coeperat, maxime in Homericis carminibus.

Observatum erat mature, differre nonnullorum verborum sensum pro pronuntiandi modo; observatum quoque illud, ad orationis perspicuitatem et suavitatem ingentem vim inesse in vocis modulatione, *acui* syllabae *sonum*, (ὀξύνεσθαι) aliarum syllabarum sonos *demitti*, βαρύνεσθαι. Ille tonus ὀξὺς, *accentus*, προσῳδία, dictus (quia ad litterarum sonos

voce προσαείδεταί τι) doceri poterat facile si quis pronuntiatione ipsa haec doceret. Recte autem pronuntiare ad grammatices rudimenta et puerilem institutionem referebatur. Atque hoc sensu προσῳδίαι sunt accipiendae, quando in Platone, Aristotele, Aristoxeno ad eas provocatur; sunt accentus, quibus vox modo acuitur, modo gravatur, sola pronuntiatione, praeeuntis alicujus exemplo ac monitu, addiscendi.

Tandem signa inventa sunt, quae et ipsa appellata sunt προσῳδίαι et accentus. Proprie non nisi unus, ὀξὺς, *acutus*, est, quo acuitur et elevatur syllaba, ceteris syllabis remissiore sono pronuntiandis, isque est virgula ʹ et in fine ˋ, haec et ipsa vulgo *gravis* dicta, proprie tamen gravis nullum habet signum; omnis enim syllaba gravatur, gravem tonum habet, in qua tonus non elevatur adeoque non acuitur. Variatus vocabuli, *gravis*, usus plus obscuritatis intulit in hanc doctrinam per se satis luculentam. Qui acutus est in prioribus syllabis, idem est quoque acutus in ultima, sive ʹ sive ˋ pingatur. Acutus abit in *circumflexum*, hoc est, duae syllabae, quarum altera acuebatur, altera gravabatur, contractae sunt in unum tonum, v. c. βοάουσι, (in quo α acuitur, ου gravatur) in βοῶσι· hoc ex usu, quo ˋ gravem tonum declarat, a grammaticis declaratum est per ἀοὺ et hinc ʹὼ, unde factum ῶ, lineis binis in unam circumductis.

Haec, superioribus aetatibus plerumque perperam tradita, nunc sunt inter nota ac vulgata; uti et illud, *accentus* prorsus diversos esse a *quantitate* syllabarum, in qua χρόνος spectatur, cum syllaba brevis unam moram seu tempus, χρόνον, habet, longa duo χρόνους. Horum temporum ratio non habetur in accentu; est itaque pronuntiandum ἄειδε, ἔθηκε, etsi haec pronuntiatio ita facta esse debet, et adhuc fieri potest, ut etiam χρόνου ratio habeatur. Praestat inter ceteros, qui de his tradiderunt, libellus Fosteri. Ex antiquioribus praeiverat Dionysius Thrax Aristarchi discipulus, e cujus τέχνη seu ex iis, quae alius ei praefixerat, meliora excerpsit Porphyrius περὶ προσῳδίας ap. Villois. Anecd. Diatr. p. 103 sqq. v. Reiz. Prosod. gr. p. 63.

Jam cum puerilis doctrina recte legendi ac pronuntiandi maxime Homeri lectione contineretur, facile intelligitur, dubitationes hujus generis et difficultates primo subortas esse in Homero; in eoque traditas praeceptione. Cum de iisdem προσῳδίαις etiam scriptis ageretur: facile seu scriptio seu praeceptio adducere viros doctos potuit, ut signum quoque, quod τὴν προσῳδίαν declararet, invenirent; idque cum primo in singulis forte locis ambiguis et controversis adhibitum,

tum et appictum esset, eo tandem invaluit, ut codices signis iis tantum in locis controversis, mox, seu puerilis institutionis seu minus graece doctorum caussa, per totum carmen προσῳδίαις essent instructi: quod an Alexandrinorum grammaticorum aetate factum sit, dubito; verum probabile fit, eos ipsos codices, qui προσῳδίας haberent, non nisi locis, de quibus controversia agitata erat, signa appicta habuisse; forte ne hos quidem nisi eos codices, qui grammaticorum manibus versabantur; adeoque paucos; nec si v. c. Aristophanes dicitur instruxisse Aristophanem Comicum aut Pindarum signis, hoc de totis codd. accipiendum esse censeo, verum de singulis tantum locis ac vocibus ambiguis; serius demum, Graecis litteris jam ruentibus, et pronuntiatione foede corrupta, mos invaluisse videtur, ut totos libros signis his pronuntiationis antiquae instruerent: quo ipso nobis antiqua et vera legendi graeca ratio est servata, saltem quod ad tonum verborum attinet, quem alioqui multo minus in Graecis, non dicam assequi, quod nullo modo nos posse censeo, verum ne quidem exputare possemus. Itaque Romani sermonis tonum multo minus tenemus quam Graeci; unde enim v. c. nisi Diomedes memorasset, sciremus, *post*, si adverbium esset, acuto, si praepositio, gravi esse pronuntiatum.

Simili modo statuendum esse videtur *de spiritu;* proprie unus tantum habetur spiritus asper; isque erat signandus in vocibus nonnullis, quarum significatus per eum constituebatur; otiose postea etiam *lenem* intulere, qui per se nullus est, et perperam appingitur, multo magis quoties accentus non appinxeris. Ab aspero diversus erat spiritus *digamma*, de quo disputatum est Excursu singulari.

Neque alio modo subnatam esse putabimus *interpunctionem*, quam, a simplicissimis signis τῆς τελείας, μέσης στιγμῆς et ὑποστιγμῆς ductam, et in singulis locis, dubiis et obscuris sententiis, primo allitam, serior usus ad eam, quam nunc habemus, omnis orationis constituendae rationem adduxit; ita ut ex interpunctione plerumque judicare possis, an logica subtilitate usus sit scriptor in cogitandis iis quae scripsit. In Scholiis Marciani codicis Nicanor περὶ στιγμῆς laudatur tanquam is scriptor, ad cujus praecepta potissimum interpunctio Homerici carminis constituta sit.

Praeclara haec lectionis et interpretationis subsidia et adjumenta grammaticis Alexandrinis deberi, (circa annum CC. ante C. N.) in confesso est; eaque primus, non tam reperisse, quam scite constituisse et in usum vulgarem adduxisse videtur Aristophanes Byzantinus; qui etiam me-

trica primus curaverat, ut ex Grammatico de metris Pindari discimus. Locus in eam rem praeclarus ex Arcadio MS. appositus est a Villoisono ad calcem Epp. Vinar. e cod. Paris. Neque tamen seu Aristophanis, seu Aristarchi, discipuli, auctoritate omnes hujus doctrinae controversiae fuere aut compositae aut sublatae. Memorantur enim diversae clarissimorum grammaticorum sententiae et censurae multis in locis; tum vero etiam scripta integra περὶ προσῳδίας, seu universe seu de Homerica sigillatim; quarum recensum vide ap. Fosterum p. 166 sqq. et de iis, qui in Scholiis Codicis Marciani memorantur, Prolegomena Villoisoni, universe autem memoratos in Biblioth. Gr. Fabricio Harlesianae Vol. VI. Sunt in his Tyrannio junior, περὶ Ὁμηρικῆς προσῳδίας, et clarissimi grammatici Ptolemaeus Ascalonita, Apollonius Dyscolus, et Herodianus ἐν τῇ καθόλου, s. καθολικῇ προσῳδίᾳ, et in altero libro τῇ Ἰλιακῇ προσῳδίᾳ saepe laudata, et, quod ex subscriptione singularum rhapsodiarum codicis Marciani apparet, in Scholiis ubique in consilium adhibita. Horum aliorumque virorum doctorum subtilitate, quae nunc quidem, postquam res semel constituta est, multis in rebus nobis videri potest nimis morosa et odiosa, effectum tamen est, ut certas, quas sequamur, teneamus rationes.

Summa haec rerum capita apponere licuit lectorum caussa, qui in his minutiis otium consumere nec volunt nec debent; ita quoque assequetur quisque pro se, cur in commentandi genere hoc, quo exponere volui inprimis, quid veteres de Homericis locis senserint ac tradiderint, apposita sint a me multa hujus generis, etsi in nostra Homeri lectione raro forte de his argutiis aut quaeretur aut quaerendi necessitas incidet. Attigi tamen consilio et ratione inprimis loca praecipua, in quibus controversiae hujus generis, de accentu inprimis, fuere subnatae et magnis interdum animis agitatae. Ex iis locus est de ἁμαρτῇ, in Observationibus ad h. v. cum alii ἁμαρτῇ, Aristarchus ἁμαρτὴ, scriberent; similis controversia de ὁμαρτῇ, quam v. ad Φ. 188. Alias v. ad B. 15. 765. ubi nolui disertior esse, et passim se offerent aliae, v. c. Ψ. 328 τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ.

EXCURSUS AD ILIAD. Z.

(Z. pr.)

De locis, in quibus ante Trojam inter Trojanos et Achivos est pugnatum.

Uti fructum ex historiarum lectione satis magnum capere non possumus, nisi locorum, in quibus res gestae sunt, situm accurate teneamus: ita nec tanta, quanta esse potest, voluptas ex Iliadis lectione capitur, nisi infixam habeamus animo faciem locorum qualemcunque, in quibus Ilium situm fuit et inter Trojanos et Achivos est pugnatum. Hanc locorum notitiam a viris doctis olim omnino fuisse omissam vel neglectam, saepe miratus sum inde a juvenili aetate; mirum quoque visum, in grammaticis tam pauca, et raro, esse monita. Magnas tamen rem difficultates habere intellexi, ex quo in eam paullo accuratius inquirere coepi; testantur quoque id ipsum Popii et Woodii conatus. Laetabar itaque cum vidissem ante aliquot annos meliora de chorographia Troadis allata esse ab iis, qui Troadem nuper adierant [a].

Declaravi jam olim, hanc quaestionem expediri non posse, nisi triplex de Troade disputatio instituatur: una, qualis locorum facies in ipsa Iliade exhibeatur, ne Odysseae quidem locis admixtis; altera de Troade a Strabone constituta, et tertia de facie locorum, qualem nobis renuntiant ii, qui loca ista nuper adierunt. Sequutus quoque est hoc praescriptum Lenzius noster in iis quae Commentationi ex Comitis Choiseul Gouffier schedis liberaliter communicatis excerptae subjecit; qua quidem ratione plura jam expedita aut illustrata sunt. Mihi hoc loco ea tantum exponenda

[a] Primo loco, secundum ea, quae per Comitem *Choiseul Gouffier*, curata fuerant, *a Lechevalier* exposita; tum ab *ipso Comite*, Viro Illustri, inde ab aliis, in quibus fuere docti Britanni, *Morritt* et *Dallaway*; praeter ista, quae a nostrate *Schwarz*, a Sueco, *Helwig*, et a Britanno, *Hawkins*, viris praestantissimis, qui ex istis terris reduces facti erant, privatim edoctus sum; ne ea commemorem, quae vir doctissimus, *Dalzel*, ad tuendam Lechevalerii fidem vulgato a se ejusdem libello apposuit, et quae *Lenz*, nostri amantissimus, adjecit iis, quae ex schedis Ill. Comitis *Gouffier* germanice versa curata et transmissa fuerant a *Bendero*, viro erudito, Prof. Cibin. Transilv. Dolendum est, fructuosis his investigationibus intervenisse inter Britannos disputationes ad alia avocantes, quae omne antiquitatis studium turbare poterunt, nisi mature vera a falsis, vana a probabilibus, discernantur. Eorum, qui ante nostra tempora Troadem adierunt, prospectu tantum e promontorio plerumque capto, nomina videbis memorata a Lechevalier et Dalzel.

sunt, quae ad doctiorem Homerici carminis auditionem spectare possunt, omissis controversiis, quae comparato praesente locorum situ et adspectu ortae sunt.

Achivos classem ad littus Troadis inter duo promontoria appulissse, naves in terram subductas, propter spatii angustias, pluribus ordinibus, intervallis inter ordines vacuis relictis, constituisse, satis constat vel ex noto loco Il. Ξ. 30 sq. Ex poeta ipso non apparet, quot ordines fuerint, et intra quos fines illa littoris angustia finienda sit; nec ille docet, fueritne stationis locus in linea recta an obliqua, convexa an cava, per oram littoris extremam, porrectus; non constat denique, quae latera castrorum fuerint, aut quantum illa utrinque a promontoriis abfuerint. Scilicet haec inter ea habenda sunt, quae *extra carmen* esse dicenda sunt; poeta, cui hoc propositum est, ut magnas rerum species sensibus et menti objiciat, nihil ad mensuram aut pondus apponit, sed quam magna, lata et ampla quaeque fuerint, audientibus ad judicandum relinquit, ipse id agit, ut magna et mira ea appareant, quae narrat et enumerat. Atque hoc, quod simplicissimum erat, et argutiis, quas annumerarunt nobis viri docti, facile praestat, omnino tenendum erat in judicio de his ac similibus rebus faciendo. Homerus itaque, cum non geographi, sed poetae partes ageret, liberum et sibi et audientibus esse voluisse putandus est, ut loca haec castrorum tam lata et ampla apud animum quisque suum fingeret, quanta vellet, et quanta ea fuisse ex rebus narratis colligeret; ipsi hoc unum curae esse debuit, ne quid occurreret in carmine, quod mentem, nos phantasiam dicimus, offenderet, et qualescunque ejus calculos turbaret, aut quod ab iis, quae vulgo nota essent, nimium abhorreret. Itaque nec commemorare potuit aliquid, quod a rerum veritate, et a noto locorum situ et natura, ita recederet, ut ii, qui ea loca adituri essent, prorsus contraria rerum vestigia reperirent. Ad poetae enim partes spectat, non, fingere ac mentiri ea, quae nullam fidem habent, contra vero vulgo pro falsis habentur, sed partim narrare probabilia, quibus fundus aliquis probabilis subest, partim efficere, ut ea, quae fuerunt aut fuisse vel esse creduntur, audientibus magna ac praeclara, etsi majora vero, videantur. Atque haec, tanquam pro principio posita sunt, e quo judicium nostrum per totam Iliadem constituamus.

Laborandum itaque nobis est tantum in hoc, ut locorum faciem, animo, memoria, oculorumque sensu teneamus talem, *qualem poema ipsum objicit.* Diversi ab hoc studii genus est, comparare ea cum iis, quae ab aliis de his locis tra-

dita sunt, aut quae cum praesenti locorum facie conveniant vel ab ea abhorreant, atque difficultates, quae inde ortae sunt, tollere aut solvere. Habent et haec laudem suam; sed sunt habenda *extra Iliadem:* ad carmen satis est, si chorographiam carminis cum rerum veritate universe convenire apparuerit. Ad disputationes istas deveniendum non est, nisi carmine lecto, voluptatis sensu jam desidente et animo remisso, ita ut nunc mente revolvere, colligere, et ad certas rationes ac calculos revocare placeat ea, quae antea legeras. Sequenda erat haec ratio, tametsi non constaret, quod tamen satis constare videtur, a tot inde saeculis ingentes locorum mutationes et accessiones inprimis in littorali plaga alias ex aliis successisse. Igitur, quae locorum facies ab ipso poeta exhibeatur, nobis videndum est; ita ut, disputatione *de castris* in alium Excursum rejecta, nunc persequamur loca inter littus et urbem a poeta seu constituta seu memorata; etsi vel sic difficultate aliqua premimur, quandoquidem loca potiora de situ locorum Troadis suspicionem aut dubitationem faciunt, an serius inserta sint, maxime vss. N. 681 sqq. Ξ. 30 sqq. O. 653. 4. add. Z. 4. M. pr. et alia, ad quae v. Obss. et quid? si de libro Il. Ω. aliisque novissimis partibus et locis Iliadis dubitare licet, quem auctorem habuerint, dubitatumque sit jam ab antiquis; non enim magna sagacitate opus est, animadvertere multa, quae inter se non satis conveniant; enimvero pronuntiare aliquid nemo paullo verecundior unquam ausit, nec veteres sunt ausi. Si Cyclici saltem superessent! Eorum ope facilius foret, suspicor, vestigia interpolationum rimari et exquirere. Scilicet in poetis Cyclicis multa videntur esse memorata, e quibus loca insititia adornarunt rhapsodi; subolefacere haec, semel monitus, facile possis; subsistunt tamen haec intra sensum cujusque et judicium.

Maris Aegaei parti boreali, quam Homerus *Hellesponti* nomine designat, plaga littorali interjecta angusta, praetenditur ab orientali latere *Ida;* cujus juga decurrentia constituunt promontoria *Lectum* et *Gargarum,* e quo prospectum in campum Trojanum habet Jupiter Il. Θ. 47—52. Supra Lectum procurrunt ab Ida versus mare duo juga, extrema versus littus declivitate in planitiem soli subsidentia. Intra haec juga seu brachia convallis extenditur, in qua duo amnes ad mare deferuntur, alter ex editioribus Idae locis, inter quos medius campus pugnarum locus est, Z pr. alter ex inferioribus; dictus utique nomine alter Simois, alter Scamander, ille de montium jugis torrentis more, aquarum colluvie auctus, interdum alveum suum evagatur, Scaman-

der limpidus et placidus per herbosa loca defertur; in inferioribus campi locis in unum alveum conjuncti in mare inferuntur. Satis fuit poetae, haec ita memorare, ut audientibus relictum esset, accuratiorem apud animum locorum situm sibi effingere, qualem aut vellent aut possent; geographicam subtilitatem, quam nos desideramus, haud cordi habuit. Partes potiores in carmine habet Scamander, urbi propior, etiam in pugna deorum (Φ. 307). Omnino in hoc saltem amne patet, quantum poeta sibi indulserit in veris quoque ornandis; adeo magna ac mirabilia ea sunt quae de eo memorat. Utrum nomen fluvii uno alveo juncti retinuerint, antequam mare attingerent, diserte expressum non reperio; vulgo creditur *Simois* nomen cursu hoc novissimo servasse; probabilius tamen videri potest, obscurato ejus nomine *Scamandri* ostia esse appellata, etsi cum Simoente juncti. Ita quoque intelligi potest, unde serius error natus sit in utroque flumine confundendo. Possis hanc sententiam quoque tueri versu Φ. 124. 5. ἀλλὰ Σκάμανδρος οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον. cf. 219. etsi nolentem verba haud cogant, ut tibi assentiatur.

In littore hoc naves Achivorum videmus appulsas et in terram subductas; intra ordinum intervalla castrametatae erant copiae; num autem altero cornu Simoentem attigerint, altero a Scamandro longius abfuerint, omninoque, quae amnium respectu castrorum situs et facies fuerit, diserte non exponit poeta; iis, qui, ex castris in camporum planitiem progressi, per loca molli clivo assurgentia versus urbem, in editioribus locis positam, tenderent, trajiciendum fuisse Scamandrum constat; qua tamen parte vadum amnis fuerit, declaratum non est.

Constant porro ex Homero sequentia: *Ilion* in radicibus Idae situm, in solo planiore, respectu jugorum editiorum montis, (ἐν πεδίῳ Υ. 216. 7.) muro ab Apolline et Neptuno exstructo, (Il. H. 452. 3.) et propugnaculis instructo, (X. 3.) habuisse acropolin, *Pergamum*, in qua *aedes regiae* erant; memorantur in eadem *templa* Palladis et Apollinis, cum ara vel templo Jovis. (X. 171. 2.) Frustra nostra aetate locus certus urbi et arci quaeritur, ac definitur in editissima jugi parte. Saltem contendere licet, a Scamandri fontibus muros haud multum abfuisse. A tergo juga montis porrecta a septentrione versus austrum desinunt in *Lectum* promontorium. (Ξ. 283. 4.) Summum Idae cacumen, *Gargarum:* in quo *ara Jovis* conspiciebatur; (Θ. 47. 48.) itaque in eo loco Jupiter consedit, ut pugnam inter Trojanos et Achivos prospiceret et moderaretur. Sub urbem ab austro planities

Idae subjecta esse debuit, πεδίον Ἰλήϊον dictum uno saltem loco Φ. 558.

Ab Ilio versus mare declivis campus ferebat ad littus inter duo flumina; ducebat eo *porta Scaea*, turri instructa; ante eam *quercus*, φηγὸς, (Z. 237. I. 354. Λ. 170. Φ. 549.) an sub eadem collocatus Sarpedon ex vulnere se receperit Il. E. 693. et an ex eadem prospexerit Minerva cum Apolline H. 60. haud equidem pronuntiaverim; etsi probabile fit. Muro colliculus suberat, (X. 145 sqq.) *specula* dicta, (σκοπιὴ) et *caprificus* (ἐρινεὸς) seu locus caprificis consitus (τραχύς τις τόπος ἐρινεώδης ap. Strabon. p. 893. B.) Trojani fugientes e pugna in campo Scamandrio praeter *monimentum Ili*, Ἴλου σῆμα, μέσσον καππεδίον παρ' ἐρινεὸν ἐσσεύοντο ἱέμενοι πόλεως·—ἀλλ' ὅτε δὲ Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκοντο, ἔνθ' ἄρα δὴ ἵσταντο—Λ. 166 sq. Et Achilles cum Hectore τεῖχος ὑπὸ Τρώων currentes: οἱ δὲ παρὰ σκοπιὴν καὶ ἐρινεὸν ἠνεμόεσσαν τείχεος αἰὲν ὑπὲκ κατ' ἀμαξιτὸν ἐσσεύοντο, κρουνὼ δ' ἵκανον—Σκαμάνδρου X. 145 sq. Ab hac parte murum ascensu facilem fuisse, tentatam quoque escensionem ab Achivis, memorat Andromache, sed in loco suspecto Z. 433 sq. Creditur quoque Patroclus ab hac parte murum adortus esse in angulo muri prominente; ἀγκῶνα appellat Π. 702. Ante portam Scaeam via erat plaustris apta, (ἀμαξιτὸς, ut modo vidimus) qua perveniebatur ad fontes Scamandri: de quibus vide narrata Il. X. 147—155. Paludosa circa hos loca: quae videntur esse eadem, in quibus locum insidiarum constituerant Achivi Od. Ξ. 473 sq.

Scamander ex Ida processisse dicitur M. 21, inter alios amnes ex Ida ortos; recte, etsi infra urbem ortus, siquidem Idae radices ad plagam littoralem pertingebant; nisi totus ille locus a seriore rhapsodo subtextus est. Haud longe a fontibus juxta fluvium agri tritico consiti memorantur Φ. 602. videtur quoque ab hac parte *tumulus Aesyetae* fuisse, unde prospectus erat in camporum planitiem; itaque ibi consederat Polites ad speculandum, quid Achivi in castris molirentur B. 792. 3.

Si Ilio progressus a boreali parte ad mare descendebas, secundum Simoentis ripam dextram via ducebat, amne quidem, quantum intelligitur, trajecto; perveniebatur inde ad *Callicolonen*, collem ad Simoentem situm Il. Υ. 53. prospectus etiam inde erat in campum; itaque ibi consedere dii cum Marte: ibid. vs. 151. Ulterius progressis *Thymbra* fuit in prospectu: K. 430. et inde littus cum mari: ibid. 428. Ad inferiora Simois fuere paludes, et ad eas ἐρωδιοὶ et μυρῖκαι Il. K. Ab hac parte tendentes Trojanorum socios me-

moratos videmus ibid. 428 sqq. *πρὸς μὲν ἁλὸς, versus* mare; non enim necesse est, in ipso littore eos pernoctasse.

Sin inter duo amnes in planitiem camporum, versus mare iter institutum erat, patebant loca, in quibus pugnae factae sunt, *τὸ πεδίον Σκαμάνδριον* Il. B. 465 *λειμῶν Σκαμάνδριος* ibid. 467. *πεδίον τὸ Τρωικὸν*, K. 11. Quod ap. Horat. Epod. 13, 13 *Assaraci tellus, quam frigida parvi findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois.* Haud multum ab urbe abesse debuit *tumulus Batiea, sepulcrum Myrinae*, ad quod Trojani ad pugnandum egressi in numeros descripti fuere Il. B. 811—5. Longius progressos praeter *Ili sepulcrum* via ducebat; inde perveniebatur *ad Scamandrum*, quo trajecto alius campus, *θρωσμὸς πεδίοιο*, eos excipiebat, cum ipsis castris vallo munitis. Novissima haec sunt loca, in quibus digerendis mens legentis Homerum aliquantum laborat, ut certam eorum faciem ante se positam habeat. Videamus loca potiora.

Priamus ad castra Achivorum ab urbe profectus (Ω. 329. 349.) *οἱ δ' ἐπεὶ οὖν μέγα σῆμα παρὲξ Ἴλοιο ἔλασσαν, στῆσαν ἄρ' ἡμιόνους τε καὶ ἵππους, ὄφρα πίοιεν ἐν ποταμῷ*—. Inde ad castra perventum vs. 443 —*πύργους τε νεῶν καὶ τάφρον ἵκοντο.* In reditu castris noctu egressi sub Aurorae ortum *πόρον ἷξον ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο Ξάνθου δινήεντος* 692. 3. Videamus jam loca, in quibus de Trojanorum egressu ad pugnam narratur: sepulcrum Myrinae praetergressi Trojani in campum procedunt Il. B. 811—815. Noctem in loco pugnae exigunt *νόσφι νεῶν ποταμῷ ἐπὶ δινήεντι* Θ. 490. ad observanda per noctem Achivorum castra, quibus imminebant: *ἐγγὺς γὰρ νηῶν καὶ τείχεος αὖλιν ἔθεντο Τρῶες*— I. 232. *τόσσα μεσηγὺ νεῶν ἠδὲ Ξάνθοιο ῥοάων Τρώων καιόντων πυρὰ φαίνετο Ἰλιόθι πρό.* Θ. 556. 7. Secesserat inde Hector ad consultandum cum principibus *παρὰ σήματι Ἴλου* K. 415. Nihil tamen de Scamandri trajectu monitum; etsi sedent Trojani *ἐπὶ θρωσμῷ πεδίοιο ἄγχι νεῶν, ὀλίγος δ' ἔτι χῶρος ἐρύκει*, K. 160. Λ. 56. cf. Υ. 3. e quibus locis colligas, e castris ad *θρωσμὸν πεδίοιο*, clivum campi, et ex hoc ad Scamandrum perventum esse; nec tamen inde patet, castris praetentum alveum fuisse. Altero die pugna facta fugiunt Trojani, ut supra jam memoratum est, praeter monimentum Ili per medium campum versus urbem juxta caprificum donec ad portam Scaeam et quercum perveniunt Λ. 166—171. Renovata pugna a Trojanis Paris sagitta petit Diomedem ex Ili monimento, *στήλῃ κεκλιμένος ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ Ἴλου*— Λ. 371. Interea Hector in laeva parte pugnabat *ὄχθας πὰρ ποταμοῖο*

Σκαμάνδρου Λ. 498. 9. unde colligas *tumulum Ili* Simoenti propiorem fuisse. (Sunt tamen alia loca, e quibus suspiceris ad Scamandri alveum, versus superiora, fuisse: v. Notam ad Θ. 490. Ergo et p. 51. erunt, quae aliter constituenda sint. Omnino hic Ili tumulus plurimas molestias facit situ incerto.) Mox fugientes in castra Achivos oppugnat Hector. Idem vulneratus e pugna asportatus deponitur in terram, ὅτε δὴ πόρον ἷξον ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο Ξάνθου δινήεντος. At Trojani postea e castris fugati a Patroclo caeduntur μεσσηγὺ νεῶν (intra vallum) καὶ ποταμοῦ (Scamander is est) καὶ τείχεος ὑψηλοῖο (vallum) Π. 396. 397. Sarpedonis caesi corpus lavatur ποταμοῖο ῥοῇσιν Π. 669. Persequitur fugientes incaute Patroclus, idem a muris rejectus in receptu ab Hectore caeditur, corpus in castra reportatur: nulla tamen nec amnis nec locorum occurrit memoria.

Antequam tamen ad castra perventum esset, *Scamandri trajectu* opus fuit, parte quidem viae propiore castris. Hoc jam vidimus in profectione Priami (Ω. 350. 1) et πόρον ποταμοῖο ipsum hunc locum dictum. (vs. 692. 3.) Etiam Trojani a castris Achivorum repulsi et fugati Il. Φ. pr. ad hunc trajectum perveniunt: ἀλλ' ὅτε δὴ πόρον ἷξον ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο Ξάνθου δινήεντος· hic Achille instante alii per campum ad urbem fugiunt, alii in fluvium compulsi se conjiciunt. Hactenus tamen credere liceret, Scamandrum ad dextras campi partes et ad dextrum castrorum latus in mare esse delatum; via autem e castris *versus dextram* ducente trajiciendum fuisse Scamandri alveum, et altera amnis parte iter ad urbem patuisse. In hoc tamen subsistere animum vetat locus Il. E. 774. ubi Juno cum Minerva descendunt curru, ἧχι ῥοὰς Σιμόεις συμβάλλετον ἠδὲ Σκάμανδρος. poterat hoc de loco accipi, in quo *propiores sibi fiunt devergentes ad interiorem campum duo fluvii,* ex altioribus locis hinc et inde procurrentes; sin vero de *commissis in unum alveum* amnibus accipiendum est: necesse est, id factum esse ante castra, adeoque alveo Scamandri castris praetexto; qui superandus fuit quoties in campum e castris, vel e campo ad castra profectio fieret: qua tamen de re nulla fit memoratio. Cum aestivo tempore pugnae fierent, potuit alveus, non quidem exaruisse, cum Scamander ex perennibus fontibus flueret, aqua tamen defecisse, ita ut vadum haud moraretur transeuntes. Nisi versum ipsum a seriore rhapsodo seu ab eo, qui Iliadem in corpus redegit, insertum suspiceris. Aliter enim haec expediri non possunt, quam conjectando; dummodo memineris conjectationes ad probabilia

ducere posse, non vero ad explorate vera et fidei historicae vim habitura.

Quae adhuc memoravimus, sunt Homerica: nihil in his est, quod obscuritatem aut dubitationem habeat, exceptis iis, quae ad amnium decursus extremos et locorum in plaga littorali situs spectant; quandoquidem intervalli inter duo promontoria et inter duo amnes ratio ad castra, aut castrorum ratio ad illud, definita non est in Iliade, Scamandri autem vadum ac trajectus ante castra quo loco fuerit, ambiguum est; adeoque legentis animo ac sensui nihil, quod satis certum ac tutum sit, occurrat, in quo acquiescere possis, e recentiorum autem, qui loca adierunt, narrationibus multo major ambiguitas nascatur. Equidem nec olim hoc mihi sumsi, ut ex Homero certam ac definitam locorum faciem tradere, nec ut notitiarum diversarum comparatione difficultates tollere aut diluere vellem; quandoquidem, nisi conjectando et ariolando, nihil hoc in genere profici potest. Nec tamen suspiciones aliorum ingeniosas aspernari soleo; etsi ex iis nihil constituam; e quo genere est illa de Simoentis ostiis Rhoeteo promontorio propioribus. Magnas locorum mutationes successu tot aetatum factas esse dubitari nequit; enimvero eo ipso res multo magis ad meras conjecturas redit; nihil enim usquam est, cui satis fidere possis aut superstruere. Quid vero si, quod ipse censeo, poeta cui hoc propositum erat, ut omnia in majus efferret et amplificaret, partim copiarum numerum magnifice auxit et ornavit, partim locorum spatium, per se exiguum inter amnes in inferiore campi tractu, certo consilio definire noluit; scilicet ut liberum esset audientibus, fingere sibi loca tam ampla quam fingere sibi quisque vellet.—Ita quaecunque hisce de rebus quaestiones moventur, *extra epos Homericum* habenda sunt.

Licebit tamen potiora saltem hujus generis, vel verbo commemorare, in iisque primo loco ea, quae tradita et observata sunt in Strabone lib. XIII, p. 889. 892 sq. Habuit ille, quem sequeretur, Demetrium Scepsium, in iis locis natum, qui locorum faciem et situm vix ignorare potuit; videtur tantum aut ipse aut ejus aetas nomen Scamandri transtulisse in Simoentem, qui a superioribus Idae partibus descendit, Scamander ab inferioribus. Designat Strabo loca inferiora *secundum situm Ilii Novi*, dum disputat contra eos, qui illud confundebant cum Ilio Vetere; etsi et apud ipsum obscuritas est in Novi Ilii situ, (p. 892 C. D. cf. p. 886 B. seq.) quae tamen ad Homerum non pertinet. Strabo di-

serte *promontoria* nomine declarat *Rhoeteum* et *Sigeum*, ex constante antiquiorum fide; Simoentis ostia propius ad illud, Scamandri extrema ad hoc, admovet; utrumque paullo ante Ilium Novum conjuncto alveo in mare deferri narrat, et *Stomalimnen* serius ita dictam efficere (p. 890 A. Plin. V, 20, 33). Nomen apud Homerum non occurrit, praeterquam in varia lectione versus Il. Z. 4. A Novo Ilio XXX stadiis abesse *pagum Iliensium*, Ἰλιέων κώμην, eo loco *Vetus Ilium* fuisse credi; nulla quidem vestigia superesse, quod tamen mirum non sit, cum tot urbium antiquarum vestigia haud reperiantur, multo magis id fieri debuisse in hac urbe, quandoquidem materiam ad exstruendum Ilium Novum et Sigeum hinc petierunt: (p. 895 A. B.) Supra pagum Iliensium et ultra Simoim, stadiis XL a Novo Ilio (p. 893 A.) *Callicolone* fuit, collis quinque stadiorum ambitu. Infra Novum Ilium versus Sigeum memoratur *Naustathmus* (p. 893 C. 894 A.) et prope Sigeum, XX stadiis ab Ilio Novo, *Scamander* in mare exit; conjunctus ille, censeo, cum Simoi; propior novo Ilio, nec nisi XII stadiis distans, *Achaeorum portus* (p. 891 A.) totus ille tractus terra a fluviis aggesta enatus. (p. 894 B. C. adde p. 890 A. B. ubi tamen geographicum locorum situm non accurate exposuisse videtur Strabo: cf. verba inde laudata ab Eustath. p. 608.) An ille in Dicty (lib. II, 45. p. 60, 3.) per *peninsulam* declaratur? Certe locorum situm esse mutatum ipse poeta prodit Il. M. pr. de vallo amnium eluvie obtrito; add. Herodot. II, 10. Achillis, Patrocli et Antilochi, monimenta in eo littore fuisse, ad quae inferias facerent Ilienses, Ajacis ad Rhoeteum, ipse Strabo memorat (p. 891 A. et p. 890 A.) Verum de his sepulcris seu tumulis disputata ad Homerum nihil faciunt, nisi quod Achillis et Patrocli sepulcrum commune memoratur ab ipso Achille Ψ. 245. et in inferis ab Agamemnone Od. Ω. 43 sq. Infra Sigeum et Achilleum plagae littorali, in qua τὸ Ἀχαιὸν locus erat, ex adverso est *Tenedus* insula, intervallo XL stadiorum a littore (p. 900 B.) Si ab Achaeo ad Alexandriam Troadem procedebas, sitae erant *Larissa*, *Colonae*, *Chrysa* (p. 901 A.)

Ad *recentiora* si pergerem, aliena a partibus interpretis Homerici carminis agerem; et petenda ea sunt ex libris principio hujus Excursus commemoratis; refugit quoque animus tot ariolationibus et dissensibus virorum doctorum fessus a tali consilio; inprimis cum ex subtiliore disputatione non tantum fructus ad poetam expectem nunc, quantum ab initio expectaveram, et quantum ex generaliore lo-

eorum notatione a Lechevalerio et Comite Gouffier exposita, me percepisse ingenue profiteor.

Cum toties monuerim, de Troade Homerica pluribus modis agi posse, atque etiam agendum esse; alio quidem, si quaeratur, qualem terrarum ac locorum faciem ipse poeta exhibuerit, seu qualem animo suo effictum, seu vere aliquando visum cognitumque locorum situm et habitum; alio autem, qualem faciem scriptores, inprimis Strabo ex Demetrio Scepsio, esse aut fuisse putarint, alio denique modo, qualem nostrae aetatis homines, qui ea loca adierunt, se vidisse narrent; suppetit praeterea aliqua ratio de Troade disputandi, quam *geologicam* dixerim; ut cum per tot annorum decursum natura ipsa magnam mutationem locorum inferre debuerit, ex amnium, soli et collium natura ac forma, probabiliter colligatur, qui locorum habitus in priscis aetatibus esse debuerit. Jam hujus quartae rationis, quam animo circumferebam parum explicitam, disertum interpretem, et auctorem verius, nactus sum virum mirae perspicaciae, Regi Sueciae e praefectis rei tormentariae, *Helwig*, qui haec ipsa Troadis loca adiit et eorum situm oculis animoque cognovit. Orsus ille a geologicis rationibus, quandoquidem et amnium eluvie et littoris aggestione omnem hanc oram mutatam esse manifestum fit, montes autem ac colles non aeque mutari posse constat, revocavit camporum oram littoralem ad pristinam formam probabili modo; ita ut multo ampliorem et latiorem camporum planitiem olim ad pugnas faciendas fuisse appareat. Inter utrumque promontorium, tumulo Ajacis et alterum Achillis tumulo insignitum interior fuit in littore sinus, ad quem Graeci appulerunt, et ex mari naves in littus eduxerunt. Illa aetate Simois, quod ex collium situ naturali apparet, ad inferiora alio alveo, eoque magis boreali, delatus esse debuit, ad quem laevum navium et castrorum latus, una cum coenotaphio Achivorum, se applicuit. Scamander enim, inquit, ad mare descendit, ita ut in portum aut sinum, qui nunc Karanlick Limani appellatur, deferretur; dextrum autem Achivorum cornu Achilles tenebat, versus Sigeum. Orta per novem hos annos, ante Iliadis tempora, magna aquarum eluvie, ex ipso locorum situ suspicatur vir ingeniosus, aquas in Achillis castra irruisse eumque coactum esse cum amne Scamandro certare; hoc est, eum deflexisse amnem novo alveo facto, per quem etiamnum in mare defertur Scamander; ita extrema alvei prisci esse exsiccata; unde fiat, ut in Iliade, quando ad castra accedunt aut inde exeunt copiae, aut castra oppugnantur, nulla fiat Scamandri mentio; non

enim, quod vulgo creditur, eum ante castra Achivorum praeterlapsum esse, ut cum Simoente aquas misceret. Post Achivorum discessum iterum magnam aquarum eluviem factam esse, ipse, inquit, poeta innuit Il. M. pr. qua vallum, quod per collem sepulcralem ad id tempus Simoentis cursum in alveo isto boreali continuerat, solo aequatum, ei amnis decursui locum fecit, quo nunc ille fertur alveo, remotoque obstaculo, secum tractis saxis stipitibusque cum limo, explevit sinum inter duo promontoria, quem nunc arenosa, partim paludosa terra occupavit; nec tamen uno temporis momento hanc soli aggestionem evenisse facile concesseris. Itaque Strabonis aut Demetrii Scepsii aetate Novum Ilium, quod in loco edito positum erat, cum acropoli sua haud longius XII stadiis a portu Achaeorum abfuisse narratur, et recte, si antiquum littoris situm et modum reputaveris. Post Strabonis aetatem multo etiam magis auctum longius in mare littus processit et multo longius a mari locus ac situs novi Ilii est quaerendus. Ex sua mente vir ingeniosus omnem pugnam Achillis cum Scamandro; praelia inter Achivos et Trojanos, et loca constituit; Cares, Paeones, Leleges, Caucones, Pelasgos, (Il. K. 428. 429) a Thymbra et Simoente, quibus locis eos tetendisse credebamus, removet et ad mare a dextra parte castrorum Achivorum collocat, indeque Il. Φ. 205 sqq. lucem affundit, ubi Paeones in Scamandrum praecipitantur. Porro Ili tumulus, inquit, probabiliter ad Scamandrum, non ad Simoentem, situs fuit, haud longe subter Scamandri fontibus. Declarata haec dabit ingeniosissimus vir tabula *chorographica* ad naturalem locorum situm ex *geologicis* rationibus adumbrata: e qua apparere ait, isti naturali situi satis bene respondere Homericam chorographiam, quae cum ea, quae nunc est locorum, facie nullo modo comparari potest.

EXCURSUS AD ILIAD. H.

EXCURSUS I.

Ad H. 336 sq. 430 sqq.

De castrametatione et de castrorum munitione per Achivos facta[a].

Prima tacticae et metationis castrorum elementa in Homero reperiri, ab antiquitate traditum, nec injuria; si quidem, quicquid in utraque arte a summis ingeniis elaboratum et consummatum est, a parvis et simplicibus profectum est principiis, quae in Homero utique deprehendere licet. Itaque, cum *omnis tacticae* initia haec sint, ut corpora mobilia, certis viribus praedita, ad certam rationem descripta moveantur, certo in spatio et certa directione, certoque ordine, hoc est concinne et composite, adeoque cum facilitate et agilitate, in quascunque partes, idque cum quam maxima impulsionis vi et impetu: licet sane harum rerum semina reperire in Homero, eaque magna cum simplicitate non minus quam cum auctoritate praecipientis sparsa. In *castris* autem *metandis* cum quaeratur omnino id, ut illa corpora mobilia partim locorum natura, partim operibus ad certam rationem factis, adversus hostis subeuntis impetum se tutari, ejusque vim quam diutissime propulsare possint, artis hujus prima initia non minus in Homero occurrunt. Manifestum fit, poetam haec inventa popularibus suis vindicare tanquam primis auctoribus; narrat enim illa tanquam tum primum animadversa ab eo, qui sapientia et auctoritate omnes anteibat Achivos, Nestore. Cum autem omnis rei gerendae tanquam fundus sit ordo et ratio, qua ea componitur et regitur; haud dubie is, qui primus vidit copias ad certam rationem esse describendas, disponendas, collocandas, hoc est *aciem* esse *ratione certa instruendam*, artis belli gerendi pugnaeque faciendae elementa invenisse aut monstrasse dicendus est. Cum autem ea in re multa in comparationem venirent, quae nondum ad idem consilium parata et instructa essent, *hominum corpora et ingenia, armorum genera, locorum naturae:* mirari non licet, si nec ab ipsis Achivis Nestoris jussu et auctoritate subito omnem belli pugnaeque faciendae rationem mutatam esse videmus.

[a] Lineas hujus Excursus duxeram in Commentatione inserta Commentationum Soc. R. Scient. Gotting. vol VI. ad ann. 1783.

Novem annos in bello cum Trojanis gerendo fuisse exactos ante res in Iliade narratas, ex ipso carmine intelligitur (Il. B. 328). Quae vero res quave ratione et fortuna per annos hos gestae fuerint, poeta nusquam diserte exposuit; nonnulla tantum passim attigit; quae *Anteiliaca* appellare placet potius, quam *Antehomerica*. Monitum autem superiore Excursu de Acie Homerica, ad Il. Δ. debere hoc constitutum esse jam a principio, ex ipsa rerum natura et ex ipsa Aristotelis auctoritate: *de iis in poeta quaeri nec posse nec debere*, quae *extra carmen* (ἔξω τοῦ ἔπους) sunt. Quicquid itaque in his occurrat, quod mirationem faciat, ad poetam non spectare. Itaque neque aegre feras, ex eo decerni non posse, quo anno, et an nuper demum, obsideri Troja coeperit; fuisse jam ante Iliadem praelia facta, colligas ex tela Helenae Γ. 126 quorum adverso eventu in urbem se recipere et se muris tutari forte coacti sunt Trojani. Achivos, inprimis Achille duce, vicina loca et insulas esse depopulatos ex Homero ipso I. 328 sq. (Od. Γ. 105) constat; Achillem ex agro Priami filium Lycaonem captum abduxisse audimus Φ. 55 sq. non tamen additum, quo loco ille ager fuerit; longe autem ab urbe alia ejus praedia et armenta abfuere; tentatum quoque jam superiore tempore an urbs escensis muris capi posset; (Z. 433) si modo locus fidem certam habet, inclusos urbe Trojanos absumsisse opes congestas; (Σ. 287 sq.) adde loca Il. Γ. 126—8. item Υ. 90 sq. Φ. 35 sq. Sunt alia in Odyssea, ut de insidiis sub urbis moenia instructis Ξ. 469 sq. at ignoramus, an nono demum anno inter Rhoeteum et Sigeum classem appulerint et escensione facta, subductis navibus, castris eum locum designaverint Achivi, in quo eos in Iliade appulsos esse videmus. Si nuper demum littus insederant: multis difficultatibus carebimus; ita enim nec vernam nec hibernam amnium eluviem experti erant. Verum, ut dixi, ad ipsum poetam haec non spectant, multo minus, si poetae omnem fidem eleves et inde colligas, commentitia esse omnia, quae ab eo narrata sint; sed spectant ea ad belli Trojani historiam, quam poeta nec voluit exponere, nec debuit; aliunde autem ista disci nequeunt, adeoque nec vera ratio, qua haec gesta fuerint, sejunctis et abstersis iis, quae poetica et mythica elocutio narratioque allevit; quandoquidem in neutram partem ulla antiqua fama certior hisce de rebus ad posteritatem est propagata; nisi cyclicos, hoc est ea, quae ex iis enotata et memorata sunt, sequi placet; quibus utique talis fama innotescere potuit; per Tragicos autem et lyricos aliosque poetas, aut seriores, qui ex iis sua hauserunt, quia

narratione variata consiliis suis variis ac diversis inservierunt, nihil constituere licet.

Quando igitur, et, num nono demum anno, classis Achivorum ad hoc littus, in quo Homerus res constituit, appulerit, et in littus naves subductae fuerint, quae forma loci, quantum spatium fuerit, quod et naves et copiae occuparent, poeta nusquam satis diserte apposuit, liberumque ita reliquit, ex dictis colligere, quantum quisque illud esse putare vellet. Subductas in terram narrat naves, et quidem satis alte, ut plures essent earum ordines; atque in eo acquiescere satius est. Sunt tamen duo loca, Ξ. 30—36. et O. 653. 4. e quibus statuitur, tam alte in terram esse subductas naves, quia littoris angustia *inter duo promontoria* vetaret ordines late explicare. Illa tamen loca, valde vereor, ne a rhapsodis serioribus inserta sint, et justa interpretatione ne ista quidem, quae apposui, inde conficias; sed est omnino declaratio littoris, cujus os, h. e. ora (στόμα μακρὸν, simpliciter, *littoris ora*,) intra duo promontoria pertinebat (hic est sensus verborum ὅσον συνεέργαθον ἄκραι Ξ. 36). Potuere itaque aliae esse caussae, quae juberent naves per plures ordines disponere, ita ut αἰγιαλὸς, εὐρύς περ ἐὼν, tamen naves haud caperet uno ordine positas. Certe intervallum ab uno cornu castrorum ad alterum non nimis magnum fuisse arguunt nonnulla, quae sigillatim memorantur; v. c. quod Achilles, qui dextra tenebat, audit Hectorem vociferantem ad sinistram: Π. 77. Rectane an curva fuerit ora maris, et quam longo ab ea spatio abfuerit vallum castris praetentum, nemo dixerit; nam serioris commenti res est, quod ad V. stadia vallum a mari abfuisse tradiderat Aristarchus: ap. Eustath. ad Ψ. 358.

Quae copiarum in ipsis castris dispositio ac descriptio fuerit, definire non minoris difficultatis est, neque video quicquam esse, quod satis tutum ad pronuntiandum habeam. Cum naves aliae post alias subductae pluribus ordinibus starent, (πρόκροσσαι, ut gradus in scala Il. Ξ. 35.) copiae ad suas quaeque naves loca sortitae esse videntur, vicina maris aliae, aliae a mari remotiora. Multis tentatis, quas copias in primo, altero ac tertio ordine locarem, nusquam vidi esse fundum satis firmum ad aliquid pro certo statuendum, sive ad discursum Agamemnonis per ordines Il. Δ. sive ad ipsum navium recensum Il. B. loca assignare vellem, ita ut ii, qui primi in eo memorati sunt, primi quoque appulerint et primos inde a laeva ordines tenuerint; sive loca in vallo tuendo assignata pro norma haberi posse statuerem (quod sequi video Lenzium p. 190—

198), satis est, nonnulla rerum capita, quae poeta diserte memoravit, tenere, tanquam rerum cardines, quibus utaris; reliqua audientium quemque pro phantasiae suae seu ingenii judiciive modulo constituere, liberum esto. In dextro cornu Achillem tetendisse, laevas partes Ajacem tenuisse satis constat, vel ex Il. Λ. 7, 8. etsi quanto intervallo iste a Sigeo, hic a Rhoeteo abfuerit haud liqueat. Constat quoque Achillis stationem ipsum mare attigisse; videtur hoc idem de Ajace pronuntiari posse ex Il. N. 681 sq. etsi θῖν' ἐφ' ἁλὸς argumento vix esse potest, quoniam illud aliis quoque locis latiore sensu ponitur, saltem Ajacem non in ultimis, sed in primis ordinibus, ad ipsum vallum, stationem habuisse, multis locis apparet. Est quoque Il. N. 675. 681 sqq. enumeratio navium, quae in sinistra castrorum parte stabant; sunt eae Ajacis et Protesilai, tum Boeotorum, Ionum, Locrorum, Phthiorum, Epeorum; num autem poeta accurate locorum ordinem in nominibus sequutus sit, nolim affirmare. Omissi quoque Cretenses, qui Il. K. 113 cum Ajacis classe longissime, ἑκαστάτω, stabant. Et de totius loci auctoritate dubitari, jam ante monui. Agamemnon autem vix extrema ad mare loca occupare potuit; quis credat imperatorem in aversa ab hoste castrorum parte posuisse praetorium! immo vero anteriora occupare debuit aut media, principia Romanis dicta. Quod ii, qui ab Agamemnone ad Achillem missi παρὰ θῖν' ἁλὸς ἰέναι dicuntur, I. 182 sq. et A. 329 sq. me non movet; nam voces istae latiore sensu saepe dicuntur; et, qui ab anterioribus castrorum partibus versus mare missi erant, secundum littus flectere debebant iter, siquidem praeter littus incedendum erat, ut ad Achillem ad ipsam littoris oram tendentem pervenirent. Itaque nec confido locis T. 40 et Λ. 622. de Ulysse et Nestore, aut Ξ. 30 de Diomede, Ulysse et Agamemnone remotissimum locum in castris tenentibus; nam omnino de loco pugnae a castris longius remoto h. l. agitur; omninoque istis versibus parum auctoritatis tribuo: v. ad e. l. Obss. Porro si Ulyssis navis in medio stetit: (ἐν μεσσάτῳ ἔσκε, Λ. 6. qui idem locus Θ. 22 iteratur) ambiguum est, sitne medium inter duo latera castrorum, an medium inter anteriores et remotiores ordines navium; priusque illud videtur esse probabilius, quoniam cum respectu ad utrumque castrorum latus memoratio ista eo loco fit.

Qui situs castrorum ratione ad duo promontoria et ad amnes Scamandrum et Simoentem habita, fuerit, quaestio est omnium difficillima, vixque ullo modo satis expedienda; multo minus, si cum facie locorum praesentis aetatis com-

paratio instituitur. Ex hac enim Simois cum Scamandro conjunctus per media castra in mare exire, aut castra intra exiguum littoris spatium inter duo amnes, alterum castris praetentum, includi debuere, ita ut longo a Rhoeteo spatio abessent, Sigeum attingerent. Si meam opinionem, poetam vera accepta in majus auxisse, sequeris, potuit alterum locum habere, ut exercitus Achivorum non tot millibus constaret, et angustiore spatio contineri posset; sin poetam non auxisse, sed vera tradidisse contendas, locorum situm mutatum esse necesse est; ex praesenti facie constituere locum castris voluere viri docti, haud uno modo[a]. Verum sunt haec inter *ea, quae extra epos sunt;* et acquiescendum est in iis, quae in ipso carmine habentur; in his Scamandrum videmus cursum ante castra habuisse, ut is trajiciendus esset profecturis versus urbem; transversimne, per planitiem, ante castrorum ora, ut in Simoentem se immitteret, et cum eo praeter laevum castrorum cornu in mare perferretur, diserte memoratum non memini. Ad laevam tamen castrorum Simoentem amnem ad mare contendisse, manifestum fit in multis locis; at propiusne ad castrorum latus laevum, an remotius incesserit, nusquam ne obiter quidem memoratur.

Interior castrorum facies, etsi a Romanorum more et arte longe abfuit, satis tamen bene constituta fuisse videtur, ad discursus liberos et exitus expeditos; *vias* enim habuere castra plures: K. 66. Fuit *forum*, ἀγορὰ, ante stationem Ulyssis memoratum, in eoque *arae deorum*, Λ. 805. 6. 7. Θ. 222. 3. 249. Non tamen presse et ad certam rationem contiguae inter se videntur fuisse stationes; siquidem loca relicta fuere vacua, in quibus ludi funebres poterant haberi: Vid. Ψ. in quo omnino plura ad castrorum topographiam occurrunt. Potuit quoque in ipsis castris tumulus Patrocli exstrui; ita ut spatium satis magnum ei suppeteret. Tetendisse Achivos non in tentoriis linteis, sed in *tuguriis*, jam olim a me est monitum Exc. XVI ad Aen. Virg. I. cf. Northmore ad Tryphiod. 139. Erant κλισίαι, stipitibus vimine contextis exstructae, humo ad parietes aggesta et tecto junceo munitae. Spatiosiora et melius instructa fuisse principum tuguria, et per se intelligitur, et ex narratione de Achillis habitatione; in qua memoratur αὐλή, stipitibus septa et inclusa, cum foribus abiegnis validissimis, tum οἶκος, αἴθουσα, πρόδομος; aliis locis alia: quae nunc collecta v. ap. Lenzium p. 202.

Ab initio castra quaqua versus adeuntibus patuisse vi-

[a] Ueber das Local von Troja p. 250 sqq.

dentur, nulla in fronte ducta munitione; utrumque latus fortissimis inter ceteros Achilli et Ajaci assignatum pro statione. Cogitandum porro est, ante Iliadis tempora Trojanos intra muros se continuisse, nullumque adeo ab iis metum fuisse; qui ex quo subortus erat, statim de munitione est deliberatum. Nullum est vestigium muri seu valli antiquioris: nisi ex Υ. 145 vallum, in quo dii consederant, huc voces: quod parum tutum esset. Nam, ut Hercules post illud se recipere posset, bellua marina eum persequente, haud multum ab ora maris abesse illud potuit. Versus autem Ξ. 32 et N. 682. 3. nullo modo ad aliud, quam nostrum vallum, spectare possunt. Thucydides in loco vexato I. 11 poetas Cyclicos ante oculos habuit, non Homerum, a quo aliena memorat plura; ex iisdem *Argolicas* fossas Ovidii Met. XII, 148. si proprie loquutus est, ductas esse arbitror. Potuere sane pro munimenti genere ipsi navium ordines haberi; saltem pugna in castris serius facta hoc intellectum est; de vera tamen ac proprie dicta munitione cogitatum non est, ante datum a Nestore consilium, cum Achivi prima pugna facta, ut in castra se reciperent, compulsi fuissent: H. 327—343. 434 sq. Construitur nunc rogus ante naves communis, et combustione facta, eodem in loco tumulus in campo; juxtaque hunc educitur agger, seu vallum, e saxis, stipitibus, humoque aggesta (cf. M. 29. 258 sq.) quod τεῖχος et πύργους appellat poeta, H. 338. 436 sq. nam turres illud habebat, quas ligno eductas fuisse, e loco M. 36 male intellecto statuere nolim, verum trabes intertextis saxis terraque.

Obscurior vel sic est munimenti ratio et facies maxime in his: *primo*, quod *haud multum ante naves* rogus fit, quodque *circa rogum* (ἀμφὶ πυρὴν) *tumulus aggeritur*, et quod *vallum educitur juxta hunc tumulum* [a]. Accipio *ultimum* sic, ut continuatum fuerit vallum inde a decliviore tumuli parte; ita

[a] Il. H. 435. 6 τύμβον δ' ἀμφὶ πυρὴν ἕνα ποίεον ἐξαγαγόντες ἄκριτον ἐκ πεδίου, ποτὶ δ' αὐτὸν τεῖχος ἔδειμαν. add. 336, 7. *Coenotaphium* declarant illa: τύμβον ποίεον ἕνα ἐξαγαγόντες. Paullo ante 336 erat χεύομεν, pro ποιεῖν, quia terra aggesta tumulus educitur, ἐξάγεται. At quid est ἀμφὶ πυρήν? non *circa*, sed *in* rogo, eodem spatio in quo rogus fuerat, terra aggesta occupato. Me recte ita statuere, docet Ψ. 255. 6. 7. de Patrocli rogo: nec aliud est apud Virgil. Aen. VI, 292 *sepulcrum imponit*, h. e. ponit in illo loco tumulum. Mireris Quintum VII, 163. 4 πυρκαΐην καὶ τάφρον in simili coenotaphio memorare, ac si fossa circa tumulum ducta fuisset.—At quid sit ἐκ πεδίου, obscurius est; vs. 337 vulgatum erat ἐν πεδίῳ ex interpolatione. v. Obss. Tolerabile saltem est, esse dictum pro ἐκτὸς κατὰ τοῦ πεδίου non interiore versus castra, sed extrorsum inde a campo. Vix enim dicas, ἐκ πεδίου esse ex humo egesta tumulum eos exstruxisse; pro ἐκ γῆς τοῦ πεδίου. Sed usum hunc loquendi non teneo.

ut partem munitionis ipse tumulus constitueret; *alterum*, ut eodem in solo, in quo corpora cremata fuerant, ipso in rogi loco, tumulus aggestus esset; *et* ut haud multum ante naves, h. e. ante navium stationem, (Ξ. 32.) omninoque in fronte castrorum, tumulus, cum eoque ipsum vallum, sit eductum. Intervallo enim satis magno abfuisse a vallo naves, ex eo patet, quod in hoc loco inter Trojanos, qui in castra irruperant, et Achivos pugnatum est. Potest forte eo trahi τὸ στεῖνος O. 426. at alter locus Θ. 476 interpolatori debetur.

Porro tenendum est, non tota Achaeorum castra vallo circumdata fuisse; nam latus dextrum, quod Achilles tenebat, vallo non fuit inclusum; dubito quoque de extremo latere sinistro, quae Ajacis fuit statio; sed media tantum pars intra Ajacis et Achilles stationes, qua Trojanorum aditus et impetus maxime erant metuendi. Nisi haec ponas, multa in ipsa pugna, ante vallum et intra vallum vix assequi licet. Tumuli mentio in oppugnatione occurrit nulla, ut adeo ad eam partem, tanquam omnium extremam, pugna nulla facta sit.

In *vallo*, ut dictum est, erant *turres*, per intervalla eductae, cum *pinnis* (κρόσσαι, M. 258) pone quas stabant propugnatores, ut inferiora corporis tecta essent: et in vallo *propugnacula*, seu *loricae*, ἐπάλξεις, ad eundem usum corporum tuendorum[a], et vallum firmabatur passim per *projectas moles*, στήλας προβλῆτας. Nec vero vallum hoc ea altitudine esse potuit, ut justam hominis staturam multum superaret; certe aliqua parte; nam Sarpedon pinnas manu vellere narratur. Porta erat saltem una[b].

Extra vallum ducta erat *fossa*, τάφρος, e qua humus egesta ad vallum educendum suppetierat; inque ea defixi *stipites*, valli, σκόλοπες· H. 441. 2. quod ita videtur accipiendum, ut illi in ora fossae impacti essent M. 54—57. Itaque σκόλοπες ἐν αὐτῇ M. 63 et H. 441. dicti sunt pro ἐπ' αὐτῇ. Intervallum inter vallum et fossam fuisse, satis latum, ut excubialem cohortem reciperet, I. 67 sq. apparet; fuit idem ante portam: M. 131. excubias ante vallum memo-

[a] Nisi contendas κρόσσας pinnas fuisse in summa ἐπάλξεων parte, similes pinnaculis in fastigiis murorum nostrorum antiquioribus. Hinc vallum Lycophroni 259 σταυροῖσι κροσσωτὴ πτέρυξ dictum est, non κορσωτή. et in eo γεῖσα καὶ ἐπάλξεις sunt ναυλόχων σταθμῶν πρόβλημα.

[b] Aditus et portas in aggere fuisse relictas plures, ex H. 339. 340. 438. 9. M. 340 et al. statuitur vulgo; fallente, puto, voc. πύλαι. Quantum reperio, una tantum duxit in campum porta, per quam ἱππηλασία erat, h. e. currus agi poterant: M. 118. 119. cf. inf. ad M. Exc. de τειχομαχία.

ratas quoque videmus Ω. 444. De versibus Θ. 213 sqq. v. Obss.

Vallum cum fossa postea, Troja capta, terrae motu et aquarum in campos eluvie eversum et solo aequatum sabuloque obductum est, ita ut poetae aetate nullum vestigium extaret; quam rem sive ille sive alius serior ingeniose ad Neptuni iras revocavit M. 13 sq. Ceterum in his munimentis prima castrorum metationis initia deprehendi jam ante animadversum est, cum laude inventi Graecorum; cum contra Trojani in campo patente pernoctentur. Iidem nullis vigiliis sibi prospiciunt: K. 416 sq. contra quam Achivi faciunt Θ. 80. Sed videamus nunc ipsam *oppugnationem.*

Altero igitur die nova pugna (Θ. 1 sq.) in campo facta, forma varia, tandem Achivi intra fossam et vallum se recipere sunt coacti. (Θ. 213 sqq.) Iterum egressis supervenit Hector; (335.) ita pugnatur, donec nox ingruens finem pugnandi facit. Tum Hector copiis versus Scamandrum reductis (Θ. 490. 556) excubias ante navalia agere jubet, ignibus accensis, ne Achivi noctu navibus solutis evecti effugiant; altera ex parte Achivi Nestoris consilio inter vallum et fossam vigilias collocant I. 67. 87. K. 194. 8. Hac nocte fit legatio ad Achillem; legatisque re infecta reversis Ulysses et Diomedes speculatum missi Dolonem et mox Rhesum jugulant.

Postridie Achivi currus intra fossam tenent, ipsi pedites exeunt. Fit pugna tertia, de qua v. Exc. ad Il. Λ. Achivis autem hac quoque pugna in castra fugatis, Hector vallum oppugnat, unde fit τειχομαχία. de qua v. Excursus ad Il. M.

EXCURSUS II.

Ad H. 353.

ἵνα. μή. ἵνα μή.

H. 352. 353. τῷ οὔ νύ τι κέρδιον ἡμῖν ἔλπομαι ἐκτελέεσθαι, ἵνα μὴ ῥέξομεν ὧδε. ἵνα μὴ cum futuro indicativi junctum a sollenni usu recedere observatum est. Ut haberem certos canones, ad quos in singulis locis de lectione aut interpretatione judicium facere possem: quaesivi omnino de usu Homerico harum particularum.

Ἵνα quidem de caussa *finali* cum *subjunctivo* jungi, obvia res est. Quaeritur, num etiam *cum optativo?* et an in Homero? Jam primo, *si sententia est absoluta, certa ac definita:* fac hoc, ut: eo consilio ut: aut *si quid effectum est,* caussa antecedente, vel adjecta, requiri *subjunctivum,* per se

patet; at, *si sententia est dubitantis, si est obliqua, aut pendens ab alia sententia antecedente: optativus* videtur locum habere; ita tamen, judicio meo, ut subjunctivus non minus locum habeat, si scriptor hoc maluerit. Od. A. ubi praecesserat, collocavit hospitem seorsum a ceteris, ne strepitu offenderetur, μὴ ξεῖνος ἀδήσειεν—ἠδ' ἵνα μιν περὶ πατρὸς ἀποιχομένου ἐρέοιτο (ut legendum esse videbimus) et Γ. 77 Athene Telemacho ἐνὶ φρεσὶ θάρσος θῆχ', ἵνα μιν περὶ πατρὸς ἀποιχομένου ἐρέοιτο. ubi spurius versus subjectus: ἠδ' ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχῃσιν. Λ. 2 et T. 2 ἠὼς ὄρνυθ' ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι. ubi alii φέρῃ.

Jam video viros doctos non modo optativum praeferre, verum etiam subjunctivo recte ἵνα jungi posse negare. Sic Northmore ad Tryphiod. 187 versum B. 205 εἷς βασιλεύς, ᾧ δῶκε—ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ corrigendum esse contendit ἐμβασιλεύοι. T. 347. 8. ἀλλ' ἴθι οἱ νέκταρ τε καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν στάξον ἐνὶ στήθεσσ', ἵνα μή μιν λιμὸς ἵκηται. soloecum hoc esse et reponendum ἵκοιτο; sicque iterum mox 354. Od. Γ. 1 ἠέλιος δ' ἀνόρουσε—ἵν' ἀθανάτοισι φαείνῃ mutandum esse φανείη. Vereor ne haec critica ab Atticis alienis locis in Homerum sit illata.

Est tandem tertius usus τοῦ ἵνα *cum indicativo*, ut A. 363 ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Θ. 18 ἵνα εἴδετε πάντες. Φ. 314 ἵνα παύσομεν ἄγριον ἄνδρα. Varia comminiscuntur viri docti ad rationem hujus formae reperiendam. vide ad A. 363. Atticorum morem eum esse satis constat. Recte hoc; verum Homero nihil commune est cum Atticismis; sed antiquae in eo formae et usus antiqui sunt quaerendi. Mihi videtur hoc cum aliis ad imperfectam Homerici aevi grammaticam esse referendum; et esse illud serius servatum ab Atticis ita, ut etiam pro elegantiore loquendi modo haberetur. Propagatum inde est etiam ad scriptores non Atticos.

Restat usus τοῦ ἵνα juncti cum μή, ἵνα μή. Videamus prius de usu τοῦ μὴ nude positi: quem diversum esse quis miretur, prouti in oratione recta et absoluta an in obliqua, aliunde pendente, alio regimine, legatur. Si igitur

I. est particula *hortantis, dehortantis, monentis ne quid fiat, vetantis, prohibentis, suadentis, dissuadentis, minantis,* μὴ jungitur modo cum *imperativo*, A. 131 μηδ' οὕτω κλέπτε νόῳ, modo cum *subjunctivo:* ut fere subintelligi possit κελεύω, μή. κωλύω. ἀπαγορεύω. φυλάσσου μή. ὅρα μή. ut A. 26 μή σε, γέρον, κοίλῃσιν ἐγὼ παρὰ νηυσὶ κιχείω. Π. 545 ἀλλά, φίλοι, πάρστητε, νεμεσσήθητε δὲ θυμῷ, μὴ ἀπὸ τεύχε' ἕλωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν. hic usus latissime patet. Jungitur etiam cum infinitivo: Π. 89 μὴ σύγ' ἄνευθεν ἐμεῖο λιλαίεσθαι πολεμίζειν et 839

μή μοι πρὶν ἰέναι. obvia est in his ellipsis. *μὴ θέλε* aut simile quid. Tandem hoc singulare est, et Homericum, quod *μὴ* cum indicativo jungitur: M. 216 *μὴ ἴομεν.* de quo non aliter statuo, quam de *ἵνα* in simili usu.

II. *μὴ* est *metuentis, caventis, providentis* ac *curantis*, eoque positu modo cum *subjunctivo* modo cum *optativo* junctum. Cum subjunctivo: A. 555 *νῦν δ' αἰνῶς δείδοικα κατὰ φρένα, μή σε παρείπῃ.* T. 24 *δείδω, μὴ μυῖαι εὐλὰς ἐγγείνωνται, ἀεικίσσωσι δὲ νεκρόν.* O. 163. 4 *φραζέσθω, μή μ' ἐπιόντα ταλάσσῃ μεῖναι.* sic Π. 446. X. 358. E. 411 et al. Eodem modo *ἰδέσθαι·* K. 97 *δεῦρ' ἐς τοὺς φύλακας καταβείομεν, ὄφρα ἴδωμεν, μή τοι μὲν κοιμήσωνται, ἀτὰρ φυλακῆς ἐπὶ πάγχυ λάθωνται.* videamus, caveamus, ne. Continetur eadem notio in *αἰδέομαι. φυλάσσω* ac similibus.

Pro *μὴ* etiam *μήπως* saepe occurrit, *cum subjunctivo:* ubi optativum expectes. E. 250 *μηδέ μοι οὕτως θῦνε διὰ προμάχων* (*φυλασσόμενος*) *μήπως φίλον ἦτορ ὀλέσσῃς.* sic K. 347. 8. Υ. 377. 8. Ω. 671. 2. Od. Δ. 395. 6. I. 100. 1. 2. N. 208.

Interdum tamen omne verbum cavendi omittitur, eadem junctura, ut tamen facile suppleri possit: ut A. 28 *μή σε γέρον—κιχείω,* (quod est vetantis) *μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον.* Ω. 53 *μὴ—νεμεσσηθῶμέν οἱ ἡμεῖς.* Φ. 563. 4. praecedente quoque alio verbo, in quo vis cavendi tamen latet: A. 586 *τέτλαθι, μῆτερ ἐμή,* (*φυλασσομένη*) *μή σε ἴδωμαι θεινομένην.* Δ. 37. 38 *ἔρξον, ὅπως ἐθέλεις,* (modo id caveas) *μὴ τοῦτό γε νεῖκος ὀπίσσω γένηται.* Sic Γ. 414. 5. P. 16. 17. Z. 264. 5. de quo v. paullo post sub futuro indicativo.

Recedit in his usus Homericus ab Attico, qui amat ubique optativum: e quo tamen Homerus non est corrigendus.

Nec minus tamen *optativus* locum habet, multo magis, si oratio est obliqua, aut si est dubitantis, suspicantis, si animus sollicitudine pendet; tum vero etiam in oratione recta et certa. Et haec fere sunt loca, in quibus lectio variat, conjunctivo et optativo modo inaequali, modo pari jure locum obtinente. Sic E. 346 *τὸν μὲν ἐρύσατο,—μή τις ἐκ θυμὸν ἕληται,* alii *ἕλοιτο.* praetuli hoc; legebatur hoc sine varietate altero loco vs. 316. 7. Ψ. 190. 1 *κάλυψε δὲ χῶρον ἅπαντα, μὴ πρὶν μένος ἠελίοιο σκήλῃ* et *σκήλει'.* Sed manifesti optativi sunt v. c. Φ. 328 *Ἥρη δὲ μέγ' ἄϋσε, περιδείσασ' Ἀχιλῆι, μή μιν ἀποέρσειε μέγας ποταμός.* Δ. 113. 4 *πρόσθεν δὲ σάκεα σχέθον, μὴ πρὶν ἀναΐξειαν*—sic Λ. 508. 9. E. 845. M. 402. 3. Φ. 516.

Saepe hoc positu *πως* adjectum, ut sit *μήπως.* Sic Γ. 436 *κέλομαί σε παύσασθαι—μήπως τάχ' ὑπ' αὐτοῦ δουρὶ δαμείης.* Ψ. 434. 5. E. 297. 8.

Dixi in hoc positu lectionem saepe fluctuare inter optati-

vum et conjunctivum; interdum etiam illa haeret, ita ut de emendatione cogites: multo magis, quia notiones prohibendi et cavendi finitimae inter se et cognatae interdum judicium ambiguum faciant utrum praeferas. Sic Il. Θ. 512 praecesserat: ἐκ πόλιος δ' ἄξασθε βόας, ὥς κεν—καίωμεν—μήπως καὶ (an κεν?) διὰ νύκτα—φεύγειν ὁρμήσωνται· Sequitur: (caventes) μὴ μὰν ἀσπουδεί γε νεῶν ἐπιβαῖεν ἕκηλοι· ἀλλ' (curemus, provideamus, ut) ὥς τις πέσσῃ, ἵνα τις στυγέῃ τε καὶ ἄλλος (non στυγέοι?) et paullo post 521 φυλακὴ δέ τις ἔμπεδος ἔστω, μὴ λόχος εἰσέλθῃσι πόλιν. (non εἰσέλθοι.) quis ausit hic de praeceptis Atticismi cogitare?

Ita quoque notionem cavendi ac metuendi apud Atticos quibus est ὅπως μὴ, pro μήπως, *futurum indicativi* admittere, pervulgata res est, ex virorum doctorum observationibus, v. c. Valcken. ad Phoeniss. 93. p. 35. Videtur hoc quoque, quod subtilitati grammaticae repugnare putes, mansisse apud Atticos ex antiquiore sermone imperfecto, et ex ipsis Homericis: Sic K. 65 mane hic, αὖθι μένειν, μήπως ἀβροτάξομεν ἀλλήλοιϊν. Υ. 300. 1 ἀλλ' ἄγεθ', ἡμεῖς πέρ μιν ὑπ' ἐκ θανάτου ἀγάγωμεν, μήπως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται. et Ψ. 428 ἄνεχ' ἵππους, cave, μή πως ἀμφοτέρους δηλήσεαι. similiter Od. Ω. 543. —Indicativi aoristi unum exemplum memini Od. E. 300 δείδω, μὴ δὴ πάντα θεὰ νημερτέα εἶπεν.—Sed usum istum futuri aequiparandum esse usui subjunctivi apparet ex locis, in quibus juncta est utraque ratio: E. 233 Aenea, σὺ μὲν αὐτὸς ἔχ' ἡνία, (cavens sic) μὴ τὼ μὲν δείσαντε ματήσετον, οὐδ' ἐθέλητον ἐκφερέμεν πολέμοιο. Z. 264. 5 μή μοι οἶνον ἄειρε,—μή μ' ἀπογυιώσῃς, μένεος τ' ἀλκῆς τε λάθωμαι. ubi altera lectio est: μή μ' ἀπογυιώσεις, doctior illa, quia more Homerico sic iterum indicat. futurum cum subjunctivo copulatur. Hactenus hoc venit in censum eorum, quae attigi Exc. III ad Il. A.

III. Conjuncta cum metu est notio *dubitantis*, an quid eventurum sit: in qua optativum, etiam cum κεν, regnare, μή πώς κεν, nemo miretur. Habet tamen in his locum quoque subjunctivus, ut K. 100. 1 οὐδέ τι ἴδμεν, μή πως καὶ διὰ νύκτα μενοινήσωσι μάχεσθαι.

IV. Est tandem μὴ in formula *precantis, deprecantis, optantis, aversantis.* Ita fere optativum apponi, ex ipsa re patet, quae aliquid incerti eventus in se habet: ut in illo: μὴ τοῦτο θεὸς τελέσειεν.

Occurrit tamen in his quoque subjunctivi usus; quem ex hoc genere vix emoveris, nisi aut emendatione aut subtiliore interpretatione adhibita: Ξ. 127 τῷ οὐκ ἄν—μῦθον ἀτιμήσητε. non potest substitui φυλασσόμενοι, cum non sequatur μὴ, sed

οὐκ. ergo necesse est ἀτιμήσαιτε legere; et hoc suggerunt pars codd. Π. 30 μὴ ἐμὲ γοῦν οὗτός γε λάβοι χόλος. manebimus ne in hoc modo optantis, an putabimus fuisse: μὴ ἐμὲ γοῦν οὗτός κε λάβῃ χόλος. prohibeant dii, ne.

Restat ἵνα μὴ, quod eosdem utique quam simplex copula usus habere per se apparet. Sic *subjunctivi:* Ξ. 482 caesus est Promachus, ἵνα μή τι κασιγνήτοιό γε ποινὴ δηρὸν ἔῃ ἄτιτος. *optativi:* K. 367. 8 Diomedi μένος ἔμβαλ' Ἀθήνη (cavens) ἵνα μή τις Ἀχαιῶν φθαίη—ὁ δὲ δεύτερος ἔλθῃ. possis mutare in ἔλθοι, quod et nonnulli codd. habent, nisi teneas Homericum morem optativos et subjunctivos copulandi. Sic variat lectio N. 670 ἀλέεινε,—ἵνα μὴ πάθοι ἄλγεα θυμῷ. alii πάθῃ. *indicativi futuri:* Od. M. 25. 6. 7 αὐτὰρ ἐγὼ δείξω ὁδὸν ἠδὲ ἕκαστα σημανέω, ἵνα μή τι—ἀλγήσετε πῆμα παθόντες. qui quidem modus cum Attico convenit, qui omnino indicativum cum ἵνα μὴ jungunt: mos ille ad alios quoque scriptores transiit v. c. Polyb. XL, p. 417 ἵνα μὴ κατετόλμων.

Jam, si redimus ad locum, cujus caussa ad haec digressus sum, H. 352. 3 τῷ οὔ νύ τι κέρδιον ἡμῖν ἔλπομαι ἐκτελέεσθαι, ἵνά μὴ ῥέξομεν ὧδε· haberemus alterum exemplum futuri indicativi ex Odyssea paullo ante memoratum. Ita vero sensus esse deberet: *ne, ut ne, faciamus ita:* qui locum non habet, nisi interposueris: *quare cavendum nobis est, ne ita agamus.* quod cum durum sit: veteres in eam opinionem descenderunt, ut ex sententiae nexu: "nihil salutare a nobis effectum iri, nisi ita, ut jubeo, fecerimus, et Helenam cum opibus abductis reddiderimus" ἵνα pro ἐὰν positum esse clamarent: v. Obss. ubi de toto versu suspicio est injecta.

Convenit in multis cum usu τοῦ ἵνα, et τοῦ μὴ, usus particularum ὡς. ὥστε. ὅπως. ὄφρα. de quibus alio Excursu potiora, quae ad Homerum spectare puto, afferam.

EXCURSUS AD ILIAD. Θ.

EXCURSUS I.

Ad Θ. 18 sqq.

De mythis Homericis.

De Homericorum mythorum natura, origine et caussis egi a. LXXVII. in Commentatione recitata in Consessu Soc. R. Scient. inserta Vol. VIII. Novor. Commentar. Soc.

R. G. neque nunc habeo, quod me eorum, quae ibi disputata sunt, poeniteat. Saltem ea, quae illic universe de toto hoc mythorum genere proposui, ipso rerum usu per tot annorum continuata studia vidi firmata. Disputata ab eo inde tempore sunt alia, tum de mythis Hesiodeis, tum de mythorum natura, universe, de mythis historicis, et philosophicis; (Comment. Soc. R. G. To. XIII et XIV.) judicio meo ipse parum confisus coepi comparare aliorum judicia, etiam commenta; digladiari de his, aut pugnare pro meis, a persona mea, loco, aetate alienum esse duxi; defendere sigillatim apposita quomodo tandem ausim, cum versentur pleraque in opinando et conjectando! Visus tamen mihi sum recte animadvertisse summa rerum principia, a quibus omnis mythorum, inprimisque Homericorum, judicandorum et interpretandorum ratio sit ducenda.

Videtur itaque mihi recte poni posse: mythos, quos attingit poeta aut quibus ad consilia sua utitur, jam ante ipsum fuisse inventos et frequentatos; (ἐκ μηδενὸς δὲ ἀληθοῦς ἀνάπτειν καινὴν τερατολογίαν, οὐχ Ὁμηρικὸν, Strabo ait I, p. 38. Polybio idem statuente: quem locum nunc vide inter Polybiana libri XXXIV, 2. at auget Homerus et ad miraculum extollit accepta; ἐκτραγῳδεῖ, ut ait Aelian. V. H. VII, 2.) nec esse eos unius ejusdemque generis; subesse pro fundo mythos antiquiores alios aliis, partim res et facta a majoribus ad posteritatem tradita repetentes, partim opinata et de rerum naturis sensu percepta, phantasiae ope in rem factam aut gestam mutata, exponentes; utrumque sermone antiquo ac more; plerosque hujus generis mythos jam ante in variis carminibus, variatos quoque plurium ingeniis, innotuisse; hos ipsum acceptos consiliis suis accommodasse; et historicos quidem mythos commemorare multos, interdum obiter, aut alludendo attingere, alterum autem genus, quod opiniones de rebus physicis ac religiosis complectitur, seu exemplo aliorum, seu novo invento, ita in suam rem vertisse, ut, quae in illo essent animo cogitata, rerum proprietates, naturae phaenomena, vires, effectus, in personas mutata, a quibus peragerentur res intelligentia sola et judicio animi collectae et notatae, ipse nunc historice uteretur, hoc est, ut hi, dii dicti et habiti, rebus agendis et gerendis, quas narrare volebat, interessent, efficerentque id, quod in narratione epica est summum, ut mirationem res narratae facerent: quod sine interventu deorum consequi nequiisset. Novum genus in Odyssea constituit adsciscendo inter Ulyssis errores et fata carminum aliorum argumenta a mythis ethicis ducta, ut de Circe. Hanc tanquam rerum summam hic

apposuisse satis esto; non enim Excursus accuratam expositionem capere aut admittere potest.

Spectat ad hunc locum illud tantum mythorum genus, quo hominum antiquorum aliquam de rebus physicis opinionem, philosophema appellare liceat, a superioribus vatibus in phantasma mutatum, et carmine expositum, ipse arripuit sic, ut tanquam factam ac gestam rem illud adhibeat, ita quidem, ut aut rebus Trojanis illud inserat cum ceteris ad Trojam gestis, aut ut inter antiquorum temporum historias id commemoret, inter cetera eventa, aut ut quacunque alia ratione tale aliquid respiciat, ad illud alludat, inprimis inter deorum acta illud referat, tanquam historiam ac rem hominum memoria gestam, fama acceptam et ad posteritatem propagatam. Haec negare velle Homero esse antiquiora, carminibus superiorum poetarum tractata et ornata, ab ipso Homerico epico sermone diverso modo ac consilio narrata, pertinacis esset animi ad lubitum repugnantis iis quae per se sunt evidentissima in hoc genere, quod ultra probabilitatem assurgere nequit.

Ad declarandam Jovis potentiam viribus omnium ceterorum deorum superiorem quomodo hoc poetae in animum venire potuisset, ut catenam memoraret e caelo demissam, e qua penderent omnes dii deaeque, ita quidem ut Jovem detrahere loco non possent, a Jove autem una cum terra et mari sursum tractis in aere suspensi se librarent! Est hoc tam alienum ac remotum, tam abhorrens a solenni cogitandi more, ut non appareat, quomodo aliquis in id incidat. At suave hoc est et argutum, si sumseris, fuisse mythum antiquiorem, quo Homerus in rem suam, tanquam re vere ita gesta, usus sit. Constat autem, priscam hanc fuisse commemorationem de ordine, quem universi hujus partes obtineant, terra marique in imo positis, aere et aethere seu caelo superiora tenentibus, conjuncta tamen et nexa ut omnia inter se sint, ut nec loco cedere possint; esse itaque omnia tanquam mole sua librata. Nihil magis convenire potuit huic viso, quod pro priscorum hominum ingeniis non ineptum videri potuit, quam si illud per catenam desuper demissam declararetur, in Jovis manu habitam et ex Olympi parte aliqua religatam. Nunc video aliquid in isto commento, quod non omnino sit absurdum; et probo poetae ingenium, quod ille tam commode invento hoc usus sit in Jovis verbis h. l.

Convenit cum eo alterum illud de Junone ex aere suspensa, appensis ex pedibus binis massis ex ferro, incudes appellat poeta, Ξ. 18—22. quem quidem mythum a phy-

sico sensu avocatum jam alterius poetae exemplo adhibuit, qui eo usus erat in carmine suo de Herculis rebus. Spectant eodem jurgia inter Jovem et Junonem memorata A. 518 sq.

Spectasse haec ad illud carminum genus, quod sub nomine cosmogoniarum et theogoniarum comprehendimus, manifestum fit comparatione Theogoniae Hesiodeae, nisi contendere malis, omnia haec loca esse serius inserta; hoc autem esset, arripere quicquid in manus venerit, potius quam acquiescere eo, quod jam manu teneas. Ejicienda ita essent loca de Tartaro, hoc Il. Θ. 13—16. loca de Titanibus cum Crono in Tartarum detruso et incluso Θ. 478 sq. Ξ. 274. 279. 203. O. 225. de Thetide auxiliante Jovi cui vincula minabantur dii: A. 398 sq.

Fabulae ex Heracliis petitae produnt se toto habitu modoque narrandi, ut Ξ. 249 sq. O. 18 sqq. de naufragio ad Con insulam facto in reditu a Troja. E. 392 sq. de pugna ad Pylum, et de expugnata ab eo Troja E. 637 sq. de jurgiis cum Junone ortis ex his in Herculem odiis deae l. c. Ξ. 18. et A. 590 cum ira Jovis in Junonis filium, Vulcanum, exardesceret succurrentem matri. Ex Heraclia petita fabula de Ate et narratio de Junonis dolo invento ad morandum partum Alcmenae T. 91 sq. de Minerva comite Herculis et auxiliatrice in adducendo Cerbero Θ. 362 sq. Ex his luce clarius est, ante Homerum fuisse carmina, quibus Herculis res essent narratae, antiquo sermone et mythico more exornatae. Debuit quoque carmine aliquo exposita esse fabula de Aloidis, quam ille ita attingit, ut inter exempla referat, obscure tamen memoret E. 385 sq. repetita fabula ab Antimacho, ut ex Schol. discimus. Dubito de Veneris cesto. Num autem primus usus sit Minerva comite Diomedi data, caligine ab ejus oculis remota, in pugna cum Marte ac Venere, ambigere licet; mihi imitari potius antiquiorem poetam in his videtur, quandoquidem Minerva Herculi comes data fuit a poeta antiquiore. Haec et alia nonnulla ex antiquis carminibus petita esse apparet; non enim in hunc censum voco alia, quae auditu accepta esse poterant ex hominum narratione; ut de Tydeo Thebas misso; Δ. 372 sq. E. 800 sq. K. 285 sq. Ξ. 113 sq. et de Oeneo Z. 216 sq. aut de Nestore: A. 262 sq. Δ. 319 sq. H. 132 sq. Λ. 672 sq. Ψ. 629. Pugna Curetum et Aetolorum ad Calydonem I. 524 sq. de Bellerophonte, Z. 152 sq. add. Π. 328. 9. de pugna Centaurorum et Lapitharum B. 743. add. Od. Φ. 295 sq. Phoenicis res et casus I. 448 sq.

Sunt certae formae loquendi, narrandi, et fingendi my-

thicae, quas ex antiquioribus mutuatas esse probabile fit; sic de diis ad Aethiopes profectis Il. A. 423 sq. item eum, qui aliqua re excellit, edoctum esse a deo aliquo: esse viros praestantes ex diis natos. Dederunt ea locum novis narrationibus de amoribus deorum dearumque et mortalium virorum feminarumque; qui enarrati erant potissimum in carmine τῶν ἠοιῶν. Ex iisdem antiquis mythis et mythico sermone ad poetas manarunt epitheta illa antiqua, inprimis deorum, quorum vera vis ac notio, una cum vero etymo, nos plerumque fugit, ut Minerva Tritonia, Mercurius Acacetes, Argiphontes, Jupiter Aegiochus, Apollo Φοῖβος, Hades πυλάρτης; sicque alia. Cum poetae ad sensus oculorum quicquid commenti essent, revocarent, constitutae sunt mature certae deorum formae, aetates, species, attributa; materia parata iis, qui signa deorum exprimerent; eaque postea inter artium et elegantiae incrementa ingeniis, quae formam deorum ad formae alicujus praestantissimae mente conceptae speciem effingerent praeclare inserviit: sic βοῶπις Ἥρη. λευκώλενος Ἥρη. Ἀθήνη, κούρη Διὸς, γλαυκῶπις, ἠΰκομος. Ἀφροδίτη, θυγάτηρ Διὸς, φιλομμειδής. Ἑρμείας, Διὸς υἱὸς, διάκτορος, χρυσόῤῥαπις et al.

EXCURSUS II.

De φι paragogico seu in fine adjecto.

Θ. 300. ἀπὸ νευρῆφιν ἴαλλε. Frequens est in Homericis usus τοῦ φι in fine nominum, vi tamen et significatu nil mutato. Videtur hoc φι ortum esse ex antiquiore usu τοῦ σφισι, vel σφι, otiose interpositi, ut solet μοι, σοι et οἱ vacare. v. c. E. 249. 250 μηδέ μοι οὕτω θῦνε διὰ προμάχων. Aut dicendum est natum illud esse ex vetere usu τοῦ ϝι in fine adjecti, cum esset νευρηϝι. στηθεσϝι. conf. de his Slothouwer de orig. et caussis casuum p. 101. Quicquid est, usum τοῦ φι in fine nominum passim reperimus; interdum etiam nomen, quod φι adjectum habet, inter praepositionem et verbum est interjectum, ut in eo, quod supra apponitur ἀπὸ νευρῆφιν ἴαλλε. Quod negotium facessat, est tantum hoc, ut doceatur, quo casu nomen illud positum videri debeat.

Scribitur νευρῆφι et νευρῆφι. Si prius sequimur, junctura molesta est ὀϊστὸν ἀπίαλλε, (σὺν, ἐν) νευρῇ, h. e. διὰ, ἐκ νευρῆς. Sin cum ἀπὸ jungitur, dicendum erit νευρῆφιν esse pro νευρῆσφι, ἀπὸ νευρῆς ἴαλλεν ὀϊστόν. Atque haec et scripturae varietas et duplex expediendae rei ratio ubique occurrit, cum in νευρῆφι, ut Ψ. 113. Π. 773. Ο. 313 et al. tum in similibus, v. c. τὸν δ' ἐξ εὐνῆφι θορόντα Il. Θ. 580. ὤρνυτ' ἄρ' ἐξ εὐνῆφιν Od. B.

2. At in B. 363 ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ de tertio casu nemo ambigat.

Aliud nominum genus, cui φι adjici solet, est, cum antecedit sigma. Expeditum est I. 568 ἔκλυεν ἐξ 'Ερέβευσφι. At si illa legas: διὰ δὲ στήθεσφιν ἔλασσε, E. 41. Λ. 374 θώρηκα αἴνυτ' ἀπὸ στήθεσφι. Δ. 452 χείμαῤῥοι κατ' ὄρεσφι ῥέοντες, et similia, dubites, sitne pro διήλασεν (ἐν) στήθεσίφι, an pro διὰ στήθεόσφι. sicque ὀρεόσφι.

Atque hanc alteram rationem praeferendam esse haud dubito; inprimis cum satis constet, non modo tertio, sed et secundo et quarto casui, et vero casibus omnibus, τὸ φι adjectum reperiri. v. Etymol. in ὄχεσφι p. 645 et in φρήτρηφι p. 799. 800. Etymol. Gudian. MS. in νόσφι. Sch. A. ad Il. N. 588. Ex Eustath. nihil discas, quod frugi sit. Facile autem enasci potuit illa contractio στήθεσφι ex στήθεόσφι, si cogites fuisse στήθευσφι. Simili modo statuendum erit de ceteris: ἀπὸ χαλκόφι Λ. 351 pro χαλκοῦφι. Et N. 588 ἀπὸ πλατέος πτυόφι, pro πτυοῦ. Φ. 295 'Ιλιόφι pro 'Ιλίου. ἀπὸ στρατόφιν K. 347 pro ἀπὸ στρατοῦ est elisio: fit eodem modo, quo οὐρανόθεν pro οὐρανοῦθε. ἐξ Αἰσύμνηθεν, pro —ησθεν. Quartum casum observare licet in ἐπὶ δεξιόφιν ἢ ἐπ' ἀριστερόφιν N. 307. 8. pro ἐπὶ δεξιόνφι. Ita quoque in Excerpt. ex Apollon. Dysc. ad calc. Maittaire p. Reiz. 434. οὐρανία. οὐρανιόφιν παρὰ 'Αλκμᾶνι. δεξιὸν, δεξιόφιν. ἀριστερὸν, ἀριστερόφιν. Priora sic emendanda οὐρανία, ὠρανίαφι. Nam Alcmanis versus fuit: Μῶσα, Διὸς θυγάτηρ ὠρανίαφι, λίγ' ἀείσομαι. in Sch. A. ad Il. N. 588. Sicque facile expedias alia: nec haereas nisi in ναῦφι, de quo v. ad M. 225. ἐπ' ἐσχαρόφιν Od. E. 59. nisi fuit ἔσχαρον pro ἐσχάρα. De κράτεσφι v. ad K. 156. παρ' αὐτόφι pro αὐτοῖς v. ad M. 302. θεόφιν pro θεοῖσφι H. 366. ὀστεόφι pro ὀστέοις Od. Π. 145. at ὀστεόφιν Od. Ξ. 134 habetur pro ὀστέων.

EXCURSUS AD ILIAD. I.

EXCURSUS I.

Particularum ὡς, ὡς ἂν, ὥς κεν, ὡσεὶ, ὡς ὅτε, ὥστε, *usus Homericus.*

I. 111—3 ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν φραζώμεσθ', ὥς κέν μιν ἀρεσσάμενοι πεπίθοιμεν δώροισί τ' ἀγανοῖσιν ἔπεσσί τε μειλιχίοισι. Notata est ad h. v. Aristarchea lectio πεπίθωμεν. reddenda est ratio, cur ea lectio recepta non sit, videndumque ideo omnino de usu hujus particulae Homerico.

Jam primum satis constat, ὡς cum *indicativo, optativo* et

subjunctivo junctum occurrere, adjuncto modo κεν, modo sine κεν. Promiscue hoc ubique et temere fieri nemo dixerit; constituta quoque res est in Atticis, inprimisque in Comico et Tragicis a Brunckio sollerter; videamus nunc, quid in Homericis observatum sit.

ὡς finale, quod appellant, cum de *consilio certo* ejusque *effectu*, quem spectamus, agitur, cum *subjunctivo* jungi, obvium est, idque ipsa res postulat, eodem jure, quo ἵνα finale: v. c. Z. 258 ἀλλὰ μέν', ὄφρα κέ τοι μελιηδέα οἶνον ἐνείκω, ὡς σπείσῃς. mane dum attulero vinum, *ut libes*. Atque hoc, modo cum ἂν, κὲν, modo sine alterutro. B. 385 cogitate jam de pugna, ὥς κε πανημέριοι στυγερῷ κρινώμεθ' ἄρηϊ. Θ. 508 ἐκ πόλιος δ' ἄξασθε βόας,—ὥς κεν παννύχιοι καίωμεν πυρὰ πολλὰ, σέλας τ' εἰς οὐρανὸν ἵκῃ, μήπως—ὁρμήσωνται, ἀλλ' ὥς τις τούτων γε βέλος καὶ οἴκοθι πέσσῃ. Δ. 66. 67. Z. 69. 143. 364, etc. Convenit fere hic usus conjunctivi cum ἂν et sine ἂν post ὡς cum more Tragicorum; cum Aristophanes contra raro ἂν omittat; docente Brunck. ad Lysistr. 384. 1305.

Etiam subjunctivum exigit oratio, quoties verbum *jubendi, hortandi, statuendi, declarandi* finem, seu appositum est, seu subintelligitur. Il. A. 558. 9 τῇ σ' ὀΐω κατανεῦσαι ἐτήτυμον, ὡς Ἀχιλῆα τιμήσῃς, ὀλέσῃς δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν. ubi proprie est, *annuere fore ut*. Et cum κεν. A. 32 ἀλλ' ἴθι, μή μ' ἐρέθιζε, σαώτερος ὥς κε νέηαι. Od. A. 86 Nymphae perfer meum jussum, de reditu Ulyssis *ut ille redeat*, ὥς κε νέηται. Et, ubi subintelligitur, *volo, jubeo, rogo, ut*, Γ. 166 ὥς μοι καὶ τόνδ' ἄνδρα πελώριον ἐξονομήνῃς. quod Etymologus memorat in ὡς, ut declaret usum ejus pro ἵνα.

Contra quoties in oratione, imprimis obliqua, ὡς ita ponitur, ut sit potentiale, quod aiunt, ut habeat notionem adjunctam τοῦ *velle, posse* et similium, (nostrum, *dass er möge, könne, wolle, dürfe*,) *optativus* locum habet etiam in Homero; cum κεν et ἄν. Il I. 444 tibi pater me comitem addidit—ὡς ἂν ἔπειτ' ἀπὸ σεῖο—οὐκ ἐθέλοιμι λείπεσθαι· *ita ut nolim. quare nolim.* Etymol. reddit διὸ in ὡς. T. 331 speraveram, σὲ δὲ Φθίην τε νέεσθαι, ὡς ἄν μοι τὸν παῖδα—Σκυρόθεν ἐξαγάγοις καί οἱ δείξειας ἕκαστα. Od. B. 52 οἳ πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀπεῤῥίγασι νέεσθαι Ἰκαρίου, ὥς κ' αὐτὸς ἐεδνώσαιτο θύγατρα, δοίη δ' ᾧ κ' ἐθέλοι, καί οἱ κεχαρισμένος ἔλθοι. Od. Θ. 20 καί μιν μακρότερον καὶ πάσσονα θῆκεν ἰδέσθαι, ὥς κεν Φαιήκεσσι φίλος πάντεσσι γένοιτο,—καὶ ἐκτελέσειεν ἀέθλους. Sic Od. Ω. 80—84. 530. 531. Z. 129. Ψ. 135.

Multo magis, si *optantis* verba sunt; Z. 281. ὥς κεν οἱ αὖθι γαῖα χάνοι. Od. Γ. 346. 7 Ζεὺς τόδ' ἀλεξήσειε, prohibeat, ὡς ὑμεῖς παρ' ἐμεῖο θοὴν ἐπὶ νῆα κίοιτε.

Jam autem sunt sententiae, in quibus utrumque locum

habet, ut possint eae reddi et accipi utroque modo certo et incerto, recta et obliqua oratione; ita ambiguitas et varietas lectionis exoriri potest. Est voc. φράζεσθαι saepe obvium, saepe etiam facile subintelligendum, quod inprimis hanc ambiguitatem habet, cum usus ferat, ut et sit *deliberare ac videre an*, tum vero etiam, *excogitare, machinari, efficere ut;* O. 234. 5 κεῖθεν δ' αὐτὸς ἐγὼ φράσομαι ἔργον τε ἔπος τε, ὥς κε καὶ αὖτις Ἀχαιοὶ ἀναπνεύσωσι πόνοιο. Od. A. 205 φράσσεται, ὥς κε νέηται, inveniet modos et consilia reditus, *ut redeat.* Eodem sensu μνᾶσθαι· Od. H. 191 ἔπειτα δὲ καὶ περὶ πομπῆς μνησόμεθ', ὥς χ' ὁ ξεῖνος—ἣν πατρίδα γαῖαν ἵκηται. *ut redeat.* Jam si in loco, a quo processit disputatio, legitur I. 112 φραζώμεσθ' ὥς κέν μιν πεπίθοιμεν, recte se habet, si acceperis, *videamus, deliberemus, quomodo, an, eum placare possimus.* Sin est πεπίθωμεν, quod Aristarchus legit, erit sententia, *inveniamus viam et rationem, ut eum flectamus.* Ex quo apparet, caussam nullam esse, cur lectio recepta mutetur Aristarchi judicio; si modo ejus est emendatio; sin varie erat scriptum aut varie traditum erat, πεπίθοιμεν et πεπίθωμεν, redit res ad communem infinitarum lectionum fortunam, ut in neutram partem aliquid statui possit, si antiquior auctoritas defuerit. Nunquam enim in Critices genere hoc dimittendum est animo, nos habere fidem certam et tutam in paucis, in plerisque tantum in probabilitate versari, manere autem innumera, quorum caussas satis definitas et argumenta satis valida non habeamus; de quibus multi perperam pronuntiant, tanquam de exploratis.

Tandem non modo ὡς, sed et ὡς ἄν, ὥς κεν, *cum futuro indicativi,* pro *ut.* Π. 271 ἀνέρες ἐστὲ, φίλοι—ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν,—γνῷ δὲ καὶ Ἀτρείδης. ubi apparet eadem vi positum esse, quam subjunctivus habet; Od. H. 222 ὑμεῖς δ' ὀτρύνεσθε, operam date, ὥς κέ με τὸν δύστηνον ἐμῆς ἐπιβήσετε πάτρης. Od. B. 168 φραζώμεσθ', ὥς κεν καταπαύσομεν. In his sane ὡς potest accipi, qua ratione, quo modo, ut plerumque in Attico usu simili futuri.

Cum verbis *metuendi* junctum ὡς vel ὡς μὴ, in Atticis obvium, sequente futuro indicativi, in Homero non memini, sed est ἵνα μή. v. sup. p. 68. Nec occurrit simile quid ei, quod v. c. in Electra Sophoclis 1427 μήτ' ἐκφοβοῦ, μητρῷον ὥς σε λῆμ' ἀτιμάσει ποτέ. *ne metue,* fore ut *matris protervitas unquam te contumeliose habeat.*

Altera ex parte exemplum τοῦ ὡς ἂν cum praesenti indicativi: Od. Δ. 672 *navem parate, ut eum excipiam insidiis*—ὡς ἂν ἐπισμυγερῶς ναυτίλλεται, ἕνεκα πατρός. quae si ad grammaticam rudiorem retuleris, haud mirabor.

Ad vulgarem usum τοῦ κεν redeunt loca, cujusmodi est

Od. Γ. 255 ἤτοι μὲν, τόδε κ' αὐτὸς ὀΐεαι, ὥς κεν ἐτύχθη, ipse facile assequaris, *quomodo* res eventurae fuissent, εἰ ζώοντ' Αἴγισθον ἐνὶ μεγάροισιν ἔτετμεν Menelaus, et sic alia.

Superest usus τοῦ ὡς *in comparatione*, saepe cum *indicativo*, etiam cum futuro, ut K. 183 ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσονται· non raro tamen etiam cum *subjunctivo:* X. 93 ὡς δὲ δράκων—ἄνδρα μένησι, ὣς Ἕκτωρ οὐχ ὑπεχώρει. Itaque si in loco aliquo lectio variat, inter indicativum et conjunctivum, facile judices conjunctivum esse praeferendum, tanquam exquisitiore aliquo usu; quod tamen non faciam, quando *futurum* indicat. cum aoristo subjunct. variat, ut in K. 183. ubi in aliis fuit δυσωρήσωσι.

Pro ὡς est interdum ὡσεὶ, ὡς εἰ, ὡς εἴ τε, ὡσεί τε variis modis junctum: *cum subjunctivo* I. 477 καί με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ, ubi vulg. φιλήσει; possit et esse φιλήσει' pro—σειε. cum *optativo:* B. 780 οἱ δ' ἄρ' ἴσαν, ὡσεί τε πυρὶ χθὼν πᾶσα νέμοιτο. Λ. 467. Od. I. 314 et K. 416. 420. Verum haec continentur fere in doctrina usus τοῦ εἰ, εἴ κεν. v. Excurs. II. ad E. 212. ubi dixi, Homerum pariter uti optativo, in his ac similibus et subjunctivo, nec elegantiam usus Attici eum curasse.

Similiter ὡς ὅτε modo cum *indicativo*, modo cum *subjunctivo* junctum occurrit. Cum *indicativo:* B. 210 ὡς ὅτε—βρέμεται σμαραγεῖ τε. Γ. 33. 34. Δ. 130. I. 452. 3. cum *subjunctivo:* Ξ. 414 ὡς δ' ὅτ' ὑπὸ ῥιπῆς πατρὸς Διὸς ἐξερίπῃ δρῦς. O. 80 ὡς δ' ὅτ' ἀναΐξῃ νόος ἀνέρος. Proclive est et in hoc, si lectio variat, praeferre conjunctivum: E. 501 ὡς δ'—ὅτε τε ξανθὴ Δημήτηρ κρίνῃ. Ξ. 16 ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ. Sic quoque O. 263. 4, et 410. Oritur itaque dubitatio de vss. Θ. 338. 9. 340 ὡς δ' ὅτε τίς τε κύων—ἅπτηται—ἑλισσόμενόν τε δοκεύει. postulat enim grammatica aut δοκεύῃ, aut ut sejuncta sit sententia et interposita: ἑλισσόμενον δὲ δοκεύει.

Occurrit quoque ὡς ὅτε cum *futuro indicativi*, Il. B. 147 ὡς δ' ὅτε κινήσει. dubito an necesse sit κινήσῃ recipere, quum is futuri usus frequens sit, etiam cum aliis particulis, ut Π. 264 τοὺς δ' εἴπερ παρά τίς τε κινήσει. et sequatur ἐπί τ' ἠμύει ἀσταχύεσσιν. etsi antiquo more variari orationem bene teneam, ut in hoc: K. 360. 1. 2 ὡς δ' ὅτ' ἐπείγετον—ὁ δέ τε προθέῃσι.

Adjectum quoque ἂν, ut O. 170 ὡς δ' ὅτ' ἂν ἐκ νεφέων πτῆται νιφάς.

Nec mirum ὡς ὅτε variam juncturam admittere, cum etiam nudum ὅτε, *quando*, jungatur modo cum *indicativo*, modo cum *subjunctivo:* B. 782 ὅτε δ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ. Δ. 259. 260. modo cum *optativo:* Δ. 263 ὅτε θυμὸς ἀνώγοι. Γ. 216. 54. A. 610. ὅτε ἂν autem cum subjunctivo jungi

quis miretur, cum hoc idem sit ὅτ' ἄν, ὅταν. Verum de his v. Exc. I. ad Il. M. ubi etiam de εὖτ' ἄν dictum.

Usus vulgares τοῦ ὡς, etiam in Homero obvii, a me non notantur; monebo tantum, quod plerumque animis excidere video, in ὡς ὄφελον, quod *utinam* plerumque redditur, ὡς esse *quam;* ut sit *quam, quantopere, debebam! debueram! par erat ut!* Etiam ὡς εὐκτικὸν et ὡς θαυμαστικὸν in Homero occurrere, observatum est jam in libb. de particulis, ut in illo: ὡς Ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο! Si ὡς cum indicativo est, *siquidem, quandoquidem,* potest utique variis modis reddi, *quoniam, nam, scilicet,* sed graeca sibi constant. Potest sic etiam in *optativo* poni, cum ἄν, si conditio vel incertum quid ac potentiale subest; verum redit etiam hoc ad generalia de ἄν. et sine ἄν, v. c. Sophocl. Electra 571. Br. ed.

Monebo quoque verbo de ὡς cum aliis particulis juncto. Primo ὡς ἄν facile concesseris esse par τῷ ὥς κεν, ideoque admittere fere eandem juncturam cum *conjunctivo* Od. Π. 169 ὡς ἂν—ἔρχησθον προτὶ ἄστυ et *optativo:* Od. Θ. 239 ὡς ἂν σὴν ἀρετὴν βροτὸς οὔτις ὄνοιτο. ita ut tuam virtutem nemo incusaverit. similiter Od. O. 537 et al. Sic quoque Π. 84 πείθεο δ'—ὡς ἄν μοι τιμὴν μεγάλην καὶ κῦδος ἄροιο. Sic quoque ὡς ἂν μή, ut Od. B. 376 ὡς ἂν μὴ κλαίουσα κατὰ χρόα καλὸν ἰάπτῃ. Cum οὐκ et optativo junctum ὡς diversam habet notionem: Od. H. 293 ὡς οὐκ ἂν ἔλποιο νεώτερον ἐρξέμεν *quomodo* vix expectares juvenculam acturam esse. In hoc et similibus optativus non ab ὡς pendet, sed a sententiae obliquae seu potentialis vi.

ὥς περ nullam habet difficultatem; ponitur fere ita, ut in medio interjectum sit, ubique fere disjunctum: A. 211 ὡς ἔσεταί περ, *quomodo eveniet.* ὡς τὸ πάρος περ. ὡς καὶ ἐγώ περ et sic alia. Etiam ὥς τε περ Σ. 518. ὥς τε, in Homero perpetuo fere in comparatione occurrit; eodem fere usu, quo ὡς, *sicut, uti.* jungiturque vel vulgari modo, cum *indicativo*, ut Γ. 23 ὥς τε λέων ἐχάρη. B. 459 ὥς τ' ὀρνίθων ἔθνεα ποτῶνται. vel modo exquisitiore cum *subjunctivo:* B. 474 ὥς τ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν αἰπόλοι ἄνδρες ῥεῖα διακρίνεωσιν. Λ. 67. 68 ὥς τ' ἀμητῆρες—ἐλαύνωσι. Ergo quoties variabit oratio, praeferendus erit subjunctivus, ut O. 410 ὥς τε στάθμη δόρυ νήϊον ἐξιθύνῃ praestabit, et 323 ὥς τ' ἠὲ βοῶν ἀγέλην ἢ πῶϋ μέγ' οἰῶν θῆρε δύω κλονέωσι.

Non nisi duo sunt exempla usus pedestribus scriptoribus sollennis, ut sit ὡς cum infinitivo junctum: I. 42 εἰ δέ τοι αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται, ὥς τε νέεσθαι. et Od. P. 21. οὐ γὰρ τηλίκος εἰμί, ὥς τ' ἐπιτειλαμένῳ σημάντορι πάντα πιθέσθαι. Ita nec

usum τοῦ ὡς sine τε cum infinitivo in Homericis frequentari memini.

EXCURSUS II.

Ad I. 116.

ἀασάμην. ἀάτη. ἄατος, ἀάατος.

I. 116. ἀασάμην. οὐδ' αὐτὸς ἀναίνομαι. De vocis vi et variata flexione jam dictum est in Obss. Subjungenda nonnulla sunt de *prosodia vocis*, et de ejus caussis: in quas jam inquisiverat Eustath. tum Clarke. Confugiunt ad conjecturas Dawes et Knight, nuper quoque Hermann. de metris Gr. p. 82. 86. Proponam ea quae mihi simplicissima et analoga esse visa sunt; sequantur alii quod iis visum fuerit sequendum esse.

Scilicet fuisse ἄω, forte et ἄτω, βλάπτω, ex analogia linguae sequitur; sunt inde ducta ἄσω. ἄσομαι. ἀσάμην. Od. Λ. 61 ἆσέ με δαίμονος αἶσα. Et Il. Τ. 95 Ate Ζῆν' ἄσατο. Ex praeterito passivo ἦται, ἆται, ducta sunt ἆτος, (laesus, βλαφθεὶς) ἄτη. ἀτηρὸς, ἀταρτηρὸς, ἀτάω et sic alia.

Jam ἄω fuit et ἀάω. Θ. 237 τῇ δ' ἄτῃ ἄασας, καὶ—Τ. 191 ἣ πάντας ἀᾶται. et h. l. ἀασάμην. at inf. 533 ἢ λάθεν ἢ οὐκ ἐνόησεν· ἀάσσατο δὲ μέγα θυμῷ. Od. Φ. 297. 8 φρένας ἄασεν οἴνῳ. Od. Κ. 68 ἄασσάν μ' ἕταροί τε. Il. Τ. 137 ἀλλ' ἐπεὶ ἀασάμην. Λ. 340 ἐγγὺς ἔσαν προφυγεῖν· ἀάσσατο δὲ μέγα θυμῷ. Τ. 136 ἄτης ᾗ πρῶτον ἀάσθην. et sic priore brevi μέγ' ἀάσθη Π. 605. Τ. 113. 138. Od. Δ. 503. Φ. 301.

Vides in his syllabas easdem modo correptas, modo productas; ex parte, sibilo geminato; quaeritur de caussa. Est apud Pindarum αὐάτη pro ἄτη, P. II, 52. III, 42. haud dubie ex αϝατη. Probabile fit, hoc digamma locum habuisse jam in primitiva forma: αω, αϝω. αaω, αϝαϝω. Hoc ipsum digamma, quod pro adspirationis genere erat, duplicatum fuit in multis, eoque ipso syllaba brevis producta; unde factum αϝϝασω αϝϝασα αϝϝασαμην. Ita multiplex forma in Homericis obvia subnata est: quod nunc est ἄᾰσαμην, ἄϝᾰσαμην, factum est αϝϝασαμην, et inde ᾱᾰσαμην, et ᾱᾰσᾰτο, ἄασσατο. Potuit quoque esse ἀάζομαι; nihil tamen est quod cogat ita statuere. Est ap. Hesych. ἀγάζεσθαι, βλάπτεσθαι.

Ex iisdem patet, quomodo ἆτος, ἄατος et ἀάατος, in poetarum usum admitti potuerit. Duplex vocis traditur origo; videri quoque potest duplex fuisse vocabulum, eadem forma et sono, sed etymo et usu diverso. Si Mars dicitur ἆτος πολέμοιο, ἀκόρεστος, Ε. 388. ubi v. Obss. et Hesiod.

Theog. 714 Γύγης ἆτος πολέμοιο, ab ἄδω, satio, id ductum videri potest, et quidem priore brevi, ἀτὸς, ἄατος, ἆτος· *insatiabilis*, tumque omnino *ingens, immodicus, improbus*. cf. Excurs. I. ad Il. E. Sic enim dictum ἆσαι Ἄρηα αἵματος E. 289 ubi v. Obss. At alterius indolis est ἆτος, *exitiosus, noxius*, et hinc, *abominandus, horrendus*; ab ἄτη, βλάβη. Audiamus Etymologum: ἄατος, ἄνευ ἄτης. ὅ ἐστιν ἀβλαβής. δύναται δὲ καὶ ὁ χαλεπὸς καὶ ὁ βλαβερὸς, ἀκούεσθαι. ἴσως καὶ αὐτὸ παρὰ τὴν ἄτην, ἐπιτάσει τοῦ ā. Οὕτω Μεθόδιος. Adduntur alia ex aliis grammaticis: ἢ ἀπὸ τοῦ ἄω, τὸ βλάπτω, ἄσω, ἆτος, καὶ ἄατος, (excidit, καὶ ἀάατος.) ἄγρει καί μοι ὄμοσσον ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ. (Ξ. 271) ἢ τὸ ἀβλαβὲς ἢ πολυβλαβές· ἀβλαβὲς μὲν τοῖς εὐόρκοις, πολυβλαβὲς δὲ τοῖς ἐπιόρκοις. Occurrit ἄατος apud Apollon. Arg. I, 459 τερπνῶς ἑψιόωνται, ὅτ' ἄατος ὕβρις ἀπείη. ubi Schol. ἄατος, ἡ ἄγαν βλαπτική. τὸ γὰρ ā τὸ πρῶτον ἐπίτασίς ἐστιν. ὡς ἀχανὲς, καὶ ἀτενές. Alterum ἀάατον legitur ibid. Arg. II, 77 πυγμαχίην, ἢ κάρτος ἀάατος, ἦτε χερείων. Et Homer. Od. X. 5 ἄεθλος ἀάατος ἐκτετέλεσται. et Φ. 91 μνηστήρεσσιν ἄεθλον ἀάατον. οὐ γάρ ὀΐω—et Il. Ξ. 271 ἄγρει νῦν μοι ὄμοσσον ἀάατον Στυγὸς ὕδωρ. Mirationem in his facit prosodiae diversitas: quod ᾱᾰτος est et ᾰᾱᾰτος. Antiquitus fuisse putabimus Ϝᾰτος, inde αϜϜατος, et αϜαϜϜατος. Dixi, ᾰτος, priore brevi: quia ex analogia esse potuit duplici forma: ᾱω, ᾱσω. et ᾰω, unde ᾰῶ, futurum, quod aiunt, secundum, priore correpta.

EXCURSUS III.

Ad I. 251 et 677.

De particulae ὅπως usu Homerico.

I. 251. φράζευ, ὅπως Δαναοῖσιν ἀλεξήσεις κακὸν ἦμαρ. et inf. 677. αὐτόν σε φράζεσθαι ἄμ' Ἀργείοισιν ἄνωγεν, ὅππως κεν νῆάς τε σόῃς καὶ λαὸν Ἀχαιῶν. Cum antea de ὡς, ὥστε, et cognatis, dictum sit, restat, ut etiam de ὅπως dicam, inprimis cum viri docti, inque iis post Dawesium Brunckius ad Comicum et ad Tragicos, subtiliter de usu particulae in Atticis praeceperint; videamus itaque quem loquendi usum poeta Ionicus sequutus sit.

Itaque quoties caussa, ratio, finis et consilium agendi, consulendi, sperandi, sententiam constituit, etiam in apodosi, *subjunctivum* jungi facile expectes: Od. Ξ. 180. 1 τὸν δὲ μνηστῆρες ἀγαυοὶ οἴκαδ' ἰόντα λοχῶσιν, ὅπως ἀπὸ φῦλον ὄληται νώνυμον,—*ut tota stirps extinguatur*.

Attamen vel sic *optativus* locum habet, quoties oratio est indirecta, quam dicimus: Od. Z. 319 ἡ δὲ μάλ' ἡνιόχευεν, ὅπως ἅμ' ἑποίατο πεζοὶ *ut una incederent*. Ξ. 310. 1. 2. Ζεὺς

ἐμοὶ αὐτὸς ἱστὸν—ἐν χείρεσσιν ἔθηκεν, ὅπως ἔτι πῆμα φύγοιμι. effugere possem. Il. Φ. 548 παρέστη οἱ, ὅπως θανάτοιο βαρείας χεῖρας ἀλάλκοι. si ratio erat directa, fuisset ἀλάλκῃ. Cum sententia interdum utroque modo bene efferri possit ambiguum esse potest, utrum adoptandum sit, ut K. 224. 5 σύν τε δύ' ἐρχομένω καί τε πρὸ ὁ τοῦ ἐνόησεν, ὅππως κέρδος ἔοι et ἔῃ. utrumque locum haberet: ἔοι, *quomodo*, ἔῃ *ut sit.*

Quoties *oratio* est *incerta*, *obliqua*, *potentialis*, ut aiunt, *cum conditione*, *sollicitudine*, *dubitatione*, *deliberatione*, conjuncta: *optativus* sive cum ἂν sive sine ἂν ponitur; jungi ὅπως amat cum verbis φρονεῖν ὅπως. νοεῖν ὅπως. μερμηρίζειν ὅπως. ὁρμαίνειν ἀνὰ θυμὸν ὅπως. Verti haec possunt ac solent per *ut*; proprius tamen sensus est, *quomodo* aliquid fiat, *dispicere*, *prospicere*, *curare*, *deliberare*. habetque adeo locum *modo futurum indicativi*, *modo optativus*. Sic *optativum* videmus statim A. 344 οὐδέ τι οἶδε νοῆσαι—ὅππως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοιντο Ἀχαιοί. K. 491 τὰ φρονέων κατὰ θυμὸν, ὅπως καλλίτριχες ἵπποι ῥεῖα διέλθοιεν μηδὲ τρομεοίατο θυμῷ. Ξ. 159. 160 μερμήριξε δ' ἔπειτα—ὅππως ἐξαπάφοιτο Διὸς νόον. Φ. 137 ὅρμηνε δ' ἀνὰ θυμὸν ὅπως παύσειε πόνοιο δῖον Ἀχιλλῆα, et Ω. 680. 1 ὁρμαίνοντ' ἀνὰ θυμὸν, ὅπως Πρίαμον βασιλῆα νηῶν ἐκπέμψειε. Sic Od. I. 554. 5. Λ. 228. 478. 9. O. 169. 170. 202. 203.—

Porro de *precante*, Od. Θ. 344. 5 λίσσετο δ' αἰὲν, ὅπως λύσειεν. At hoc idem cum subjunctivo: Od. Γ. 19 λίσσεσθαι δέ μιν αὐτὸν, ὅπως νημερτέα εἴπῃ. quod Γ. 327 est: λίσσεσθαι δέ μιν αὐτὸν, ὅπως νημερτὲς ἐνίσπῃ. Diversa jungendi ratio caussam habet in diverso modo unum idemque cogitandi et eloquendi.

Jungi amat ὅπως cum φράζομαι; consentaneum esse videtur, ut cum *optativo* copuletur; sicque Od. I. 420 αὐτὰρ ἐγὼ βούλευον, ὅπως ὄχ' ἄριστα γένοιτο. atqui formula haec vicies forte recurrit, sed cum γένηται *subjunctivo*. Sic et similia: Od. A. 76. 77 περιφραζώμεθα πάντες νόστον, ὅπως ἔλθῃσι. Sic Od. Γ. 129. N. 365. Ψ. 117. Etiam cum κεν, Od. A. 294 φράζεσθαι, ὅππως κεν κτείνῃς. Δ. 545. et cum *aoristo primo:* φράζευ, ὅπως μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσῃς N. 376. Item Il. P. 144 φράζεο νῦν, ὅππως κε πόλιν καὶ ἄστυ σαώσῃς. Nisi tot exempla memorata essent, de σαώσεις cogitarem, de quo statim videbimus. Quod ambiguitatem in his facit, suspicor hoc esse: quod φράζεσθαι esse potest, *deliberare quomodo fiat* aliquid, ὅπως γένοιτο, et idem, deliberato *statuere*, *constituere ut fiat*, ὅπως γένηται. Sic Γ. 110 λεύσσει—ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται. Et I. 607 αὐτὸν σὲ φράζεσθαι ἄνωγεν, ὅππως κεν νῆάς τε σόῃς.

Est alius usus τοῦ ὅπως, *prouti*. Sic: Υ. 242 Ζεὺς δ' ἀρε-

τὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε, ὅππως κεν ἐθέλῃσιν. *prout voluerit*. At idem Σ. 473 spirabant folles, ὅππως Ἥφαιστός τ' ἐθέλοι καὶ ἔργον ἄνοιτο. Quid? quod eadem sententia per subjunctivum sine ἂν effertur Od. A. 348. 9 et Z. 189 Ζεὺς δίδωσιν—ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Praeter conjunctivum et optativum jungitur ὅπως cum *futuro indicativi*. Non jam loquor de vulgari usu, quando ὅπως est *quomodo, cum, postquam*, sed de junctura cum *futuro indicativi* duplici quidem ratione ac via; *alia* ut retineat notionem, *quomodo*, sic: οὐδέ τι πω σάφα ἴδμεν, ὅπως ἔσται τάδε ἔργα Il. B. 252. Δ. 14 ἡμεῖς δὲ φραζώμεθ' ὅπως ἔσται τάδε ἔργα. Et sic saepe: ut Ξ. 3. 61. T. 115. 116. *alia* autem, ut reddatur per *ut, eo consilio, fine, effectu;* Od. A. 56 αἰεὶ αὐτὸν θέλγει, ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται. N. 386 μῆτιν ὕφηνον, ὅπως ἀποτίσομαι αὐτούς. Sic statim Il. A. 136 εἰ δώσουσι γέρας—ἄρσαντες κατὰ θυμὸν, ὅπως ἀντάξιον ἔσται, ut sit par alteri muneri. Convenit hoc cum Attica ratione, ut in illo: νῦν οὖν ὅπως σώσεις με Aristoph. Nub. 1177. et putes, ut supra dixi, Il. P. 144 φράζεο ὅπως σαώσῃς eodem modo legendum esse σαώσεις, alterum autem inter soloeca esse referendum; quod tamen vetant alia exempla ibi memorata quae in Homero nec minus usum subjunctivi tuentur. In hoc tamen futuri usu, qui per *ut* reddi solet, si animum adverteris, videbis, subesse proprie eundem sensum: *quomodo;* ut in illo: αὐτὸν θέλγει ὅπως ἐπιλήσεται, *delinimenta adhibet, quo modo eum ab Ithaca retineat;* quod sane idem est ac, *ut retineat:* quo fere more ἵνα adhibetur, cum proprie sit quo loco, quomodo. Ad eundem ductum εἰ adhibetur: σὺ δὲ φράσαι, εἴ με σαώσεις A. 83. Adjicitur quoque κεν. Od. A. 269. 270 σὲ δὲ φράζεσθαι ἄνωγεν, ὅππως κεν μνηστῆρας ἀπώσεαι. Sic etiam μερμηρίζειν, Od. Υ. 28. 29 μερμηρίζων, ὅππως δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει.

Vides, hoc ultimum, ut jam dixi, accedere fere ad usum Atticorum, de quo post Dawes monuit multis locis (v. ad Ran. 378) Brunckius, cum aliis, ὅπως jungi *cum futuro indicativi*, et, quoties junctum reperiatur *cum aoristo* I. subjunctivi, loca esse corrupta et emendanda; v. c. Sophocl. Aj. 556 ὅταν δ' ἵκῃ πρὸς τοῦτο, δεῖ σ' ὅπως πατρὸς δείξεις ἐν ἐχθροῖς, οἷος ἐξ οἵου τράφης. non δείξῃς, quod ille inter soloeca refert. Scilicet in hoc positu est ὅπως *quomodo*, etsi latine eadem sententia reddi potest, *ut;* quia utique subintelligenda est vox alia, a qua ὅπως pendeat, δεῖ σ' ὁρᾶν, ὅπως. vel σκοπεῖν, ὅπως. vel, quod Homericum est, φράζεσθαι, ὅπως. Nunc si secundum haec licebit Homerica quoque constituere, 329 Od. Ξ. *abiit Dodonam*, ὄφρα — Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ, ὅππως

νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον, necesse erit corrigere νοστήσει eodem modo ac in loco, P. 144 ubi φράζεσθαι adjectum est: φράζεο ὅπως σαώσῃς, mutandum erit in σαώσεις, et N. 316 φράζεο, ὅπως—ἐφήσῃς, in ἐφήσεις. In his haereo, an ad elegantiam Atticam ea mutanda sint. Quid porro faciemus alteri loco Il. P. 713. 4 ἡμεῖς δ' αὐτοί περ φραζώμεθα,—ἠμὲν, ὅπως τὸν νεκρὸν ἐρύσσομεν, ἠδὲ, καὶ αὐτοὶ Τρώων ἐξ ἐνοπῆς θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν. habemus h. l. tanquam pari vi et usu junctum ὅπως ἐρύσσομεν et ὅπως φύγοιμεν, in aliis est φύγωμεν. et in altero loco P. 634. 5. ubi iidem fere versus leguntur: ἠμὲν ὅπως τὸν νεκρὸν ἐρύσσομεν, ἠδὲ καὶ αὐτοὶ χάρμα φίλοις ἑτάροισι γενώμεθα νοστήσαντες. hic alii, γενοίμεθα. Est tamen hic aoristi II. usus diversus ab eo, quem in Atticis observat Brunck. in Lysistr. 1182. 3. 4. in Not. ad Ran. 378. Juncturae autem duplices et variatae in ipsis tragicis occurrunt.

Ut nunc ad locos, quorum caussa haec digressio inita est, redeam: editur 1. 241 φράζευ ὅπως Δαναοῖσιν ἀλεξήσεις κακὸν ἦμαρ. Etsi in optimis codd. est ἀλεξήσῃς, judicium tamen nunc tuto fieri poterit, ex grammatica ratione melius retineri prius illud φράζευ, ὅπως—ἀλεξήσεις. Alterum autem locum, in quo se excipiunt φράζεσθαι ὅπως σόῃς κεν, recte se habere subjunctivum, nec necesse esse, ut substituamus optativum σόοις κεν, etsi et hoc bene se haberet.

Restat ὅπως μὴ, quod eodem modo, ac ὅπως, si est *quomodo*, (post φράζεσθαι et similia puta) nunquam cum aoristo I. subjunct. vocis vel activae vel mediae jungi pronuntiat Brunckius, sed cum futuro indicat. vel aor. II. subjunct. Subintelligitur et in his φράζεσθαι, ὅπως μή. aut simile verbum: ut in eo quod laudat Brunck. Lysistr. 704 κοὐχὶ μὴ παύσεσθε τῶν ψηφισμάτων τούτων etsi redditur et reddi potest, *ne desinite*, est tamen, φράζεσθε, ὅπως οὐ μὴ παύσεσθε. quod et adjectum est interdum; ut Aristoph. Vesp. 155 φύλαττέ θ', ὅπως μὴ τὴν βάλανον ἐκτρώξεται. Hoc tamen ὅπως μὴ in Homericis occurrere non memini; habet tamen parem usum τὸ μή πως, de quo v. dicta Exc. II. ad Il. H. 406. 407.

Alios usus vulgares τοῦ ὅπως non memoro; nisi unum locum Od. Δ. 109 memorabilem esse dixeris: ἐμοὶ δ' ἄχος κείνου, ὅπως δὴ δηρὸν ἀποίχεται. Est proprie, *quomodo* ille tamdiu abest, etsi recte redditur: *quoniam*, vel *quod*. Possunt haec a me disputata iis, qui grammatica non exigunt, levia et vix digna, in quibus bonam horam consumserim, videri; neque iis, qui ad ingenium fingendum et mentem bonis sententiis rerumque notitiis ornare volunt, auctor sim, ut in his otium consumant; ad constituendam tamen lectionem saepe vidi hanc grammatices partem esse difficillimam.

EXCURSUS IV.

De usu Homerico particulae ὁπότε.

I. 698. τότε δ' αὖτε μαχήσεται, ὁππότε κέν μιν θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγῃ καὶ θεὸς ὄρσῃ. Varietas lectionis in hoc versu, etsi ad sensum non magni momenti, est, cum et ἀνώγει, κελεύει, ὄρσοι, legatur, particulae tamen ὁπότε usum trinis modis variare videmus, cum subjunctivo, indicativo et optativo. Quo animadverso satius visum est, ut particulae hujus usum ad hunc librum adhuc subjicerem, ne in hac particularum classe aliquid neglectum esse videri possit.

Ὁπότε cum ὅτε, eundem fere morem sequi facile expectes. Attigi eum paullo ante in Exc. I. et de eo agam accurate Excursu ad Il. M. 41. Praeter sollennem itaque juncturam cum *indicativo*, nec minus comitem sibi adsciscit *subjunctivum* et *optativum*, nec facile caussam idoneam in multis reperias, cur altero modo uti maluerit poeta; ut nec illud in aperto est cur subjunctivo κεν et ἂν modo adjunctum sit, modo omissum, nisi ad metri necessitatem haec retuleris, cum vis eadem utrobique maneat. Expendat aliquis loca sequentia; cum *subjunctivo*: A. 163 ὁππότε—ἐκπέρσωσι. O. 382 ὁππότ' ἐπείγῃ ἲς ἀνέμου. Et cum κεν. Ξ. 505 ὁππότε κεν δὴ—νεώμεθα. Σ. 116 ὁππότε κεν δὴ Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι. ὁππότε κέν μιν γυῖα λάβῃ κάματος Δ. 229. ὁππότε κεν καὶ ἐγὼ—ἐθέλω, *voluero*. Od. Γ. 237 ὁππότε κεν δὴ Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι et al. Cum ἂν multo minus miraberis subjunctivum jungi, cum ὅταν et ὁπόταν aliter jungi nolint. O. 209 ὁππότ' ἂν ἐθέλῃ. Υ. 316 et al. Vitiosa ergo est lectio Il. Φ. 340. 1 ἀλλ' ὁπόταν δὴ φθέγξομ' ἐγὼν ἰάχουσα. Indocte interpolatum, cum esset φθέγξωμαι Ϝιάχουσα. Exempla usus τοῦ ὁπότε cum *optativo*: B. 794 δέγμενος, ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί. et I. 191 δέγμενος Αἰακίδην,—ὁπότε λήξειεν ἀείδων et sic saepe, ut Δ. 334. 5. et al. At cum κεν et ἂν nusquam optativus jungitur nec forte jungi potest; itaque sup. H. 415 ὁππότ' ἂν ἔλθοι non debebam lectionem retinere; ita enim legendum erat ὁππότ' ἂν ἔλθῃ· sed recipienda erat lectio ἄρ, ὁππότ' ἄρ' ἔλθοι. Etsi Il. Δ. 229 παρισχέμεν ἵππους, ὁππότε κέν μιν γυῖα λάβῃ κάματος boni codd. habent λάβοι. Occurrunt in his loca, in quibus lectio errat inter indicativum, optativum et subjunctivum; equidem praeferam in Homero subjunctivum, ut Il. P. 98. 99. At illud prorsus est Homericum, quod Od. A. 41 juncta sunt ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ τε καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης.

Etiam cum *futuro indicativi* ὁπότε junctum, non modo temporis et sententiae ratione id postulante, ut v. c. N. 817.

818. Od. O. 386. verum etiam ubi subjunctivum expectabas vel optativum: Il. I. 642 ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνου μνήσομαι. cum esset μνήσωμαι. O. 358. 9. Od. O. 195. 6.

In *comparatione* ὡς ὁπότε occurrit, ut ὡς ὅτε, de quo v. Exc. I. ad h. libr. cum indicativo, et subjunctivo. Λ. 305 ὡς ὁπότε Ζέφυρος νέφεα στυφελίξῃ.

EXCURSUS AD ILIAD. K.

De voc. ἀδέω. ἀδδέω.

K. 98 μὴ τοὶ μὲν καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ κοιμήσωνται. Cum ἀδδηκότες jungatur cum binis vocibus καμάτῳ et ὕπνῳ, quae non videntur ad notionem eandem communem adigi posse: grammatici in etymo ejus constituendo operam posuere, ut inde significatum constituerent. Errant autem potissimum inter duas sententias, ut aut ab ἀηδέω ducant, aut ab ἅδω. ἀδέω.

Schol. br. ὑπὸ τοῦ κόπου ἀηδῶς διακείμενοι, ὀκνήσαντες. ἠδὲ καὶ ὕπνῳ, τῇ ἀγρυπνίᾳ. Schol. A. nihil apposuit de etymo et significatu, ὕπνον tamen et ipse accepit de somno quo quis opprimitur. Schol. B. ἀηδισθέντες. ὕπνῳ δὲ τῇ ἀγρυπνίᾳ λέγει. "ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένοι·" (Od. Z. 2.) Hoc, cum Etymologo, Eustathius quoque sequitur; etsi et alterum habet: ἀντὶ τοῦ, κορεσθέντες. ἐπεὶ καὶ ἅδος ὁ κόρος, κατὰ τοὺς παλαιούς. Apponit quoque utrumque prior his Apollon. in Lex. ἀδηκότες, ἅδην ἔχοντες καὶ πεπληρωμένοι· "ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀδηκότες." ἀηδῶς διατεθειμένοι. τὸ δὲ παραπλήσιον ἐπὶ τοῦ· "δείπνου ἀδήσειεν" (Od. A. 134.) ἀντὶ τοῦ, ἀηδεσθείη. Ex Apollonio sua habet Hesych. in ἀδηκότες.

Jam in hac grammaticorum doctrina primo caret analogia, αη mutari in α, ut ex ἀηδέω fiat ἀδέω, et ex ἀηδὴν, ἀδήν. ex ἅδη, κατ' ἅδην. Tum vero, si ἀδέω ex contractione necessario habet priorem longam, necesse est etiam id, unde ducitur, ἅδην priorem productam habere. Jam autem Il. N. 315 videbimus οἵ μιν ἅδην et T. 423 Τρῶας ἅδην quod et ad Tragicos migravit, v. c. Eurip. Hel. 626 ἡμᾶς τόδ' αὖθις ὡς ἅδην ἐν Ἰλίῳ. Manifestum ex his fit, primam in ἅδην esse brevem, ergo et in ἀδέω. ut omnino omnis haec etymologia sit abjicienda.

Si constaret, ἀηδεῖν esse vocem Homericam (et possit comparari cum ἀηθέω, v. inf. ad K. 493 ἀήθεσσον) dicerem in loco

ex Od. A. 134 laudato scriptum fuisse non ἀδήσειεν, sed ἀηδήσειεν. μὴ ξεῖνος, ἀνιηθεὶς ὀρυμαγδῷ, δείπνῳ ἀηδήσειεν. ne inter convivandum molestiam ex clamoribus sentiat. At nec codd. nec grammatici ullam in loco eo suspicionem movent, et recte ἀδεῖν eo loco ad sollennem usum redit, dummodo scribatur ἀδδήσειεν.

Scilicet ad disputationem, quae supra ad E. 203 Excursu I. instituta est, referenda est tota quaestio: ubi erant equi εἰωθότες ἔδμεναι ἄδδην. Jam autem, uti ad e. l. comparatione multarum rerum similium apparuit, erat nomen ἄδη priore brevi, *satietas*, et quoties syllaba producenda esset, ἄδδη, ergo κατ' ἄδδην, et ἄδδην simpliciter, abunde. Etiam Hesych. ἄδδην, εἰς κόρον καὶ εἰς πλησμονὴν, τοῦ ἑνὸς δ πλεονάζοντος. Inde ἀδέω *satio*, et *satietate fastidium creo et molestiam*, et idem ἀδδέω, quoties prior syllaba producitur. Deserendum itaque veterum grammaticorum acumen, ac si ex ἀηδέω contractum sit ἀδέω. cujus rei neque analogia est.

De scriptura ex codicibus judicium haud facile faciam: veteres litteras geminasse pronuntiando, non scribendo, satis constat, et imperitos prosodiae grammaticos et librarios modo recte modo perperam geminasse infinitis exemplis in propatulo est. ἀδδηκότες editum est inde a Flor. Aldd. Rom. Etiam alibi, ut inf. 312. 399. 471. M. 281. Contra ἀδηκότες Ven. uterque, Barocc. Townl. Vrat. A. Schol. br. ed. Ald. Eustath. Etymol. Hesych. at hi sequuti sunt opinatam etymologiam ex ἀηδέω.

Nec tamen negare ausim, fuisse fundum aliquem judicii grammatici; potuit enim esse et fuisse videtur tale verbum: ἀηδέω. quod etiam factum est ἀαδέω. Ap. Hesych. ἀαδεῖν. ὀχλεῖν, λυπεῖσθαι, ἀδικεῖν, ἀπορεῖσθαι, ἀσιτεῖν (Emendandus hinc est, etiam litterarum ordine jubente, Apollon. Lex. p. 6. qui eadem habet in ἀδεῖν.) Et ἀαδές. ἀηδές. Ex adjecto ἀσιτεῖν possis tertium vocis usum statuere, ex ἄδη satietas, ut esset ἀαδεῖν, ut Laconibus fuit ἄαδα, ἔνδεια. Diversa tamen vel sic sunt τὸ ἄδος. ἄδω priore longa. Unde ἄδει, ἀνιᾶται ap. Hesych. et ἀδεῖ, λυπεῖ. ἄδεται, πίμπλαται. κοπιᾶται.

EXCURSUS AD ILIAD. Λ.

De praelio tertium facto, post alterum Il. Θ. una cum Achivorum fuga in castra, quae exinde oppugnantur.

De *prima* pugna ejusque fortuna vidimus ad Il. Δ. Exc.

II. *altera* pugna exposita est Il. Θ. 53—488. Facta et illa erat in medio inter urbem et navalia campo, Trojanis ex urbe, Achivis e castris, procurrentibus: Θ. 55 sq. Confligitur statim cominus (60—63). Sub meridiem perterrefacti repente Achivi fugiunt, (68 sq.) restituta autem a Diomede pugna, fugiunt Trojani (130 sq.) Receptis tamen animis hi Achivos iterum in fugam versos intra vallum compulsos incluserant, (230 sq.) cum nox pugnandi finem faceret (485.)

Succedit nunc pugna *tertia*, quae incredibili rerum gestarum et eventorum numero et varietate laborat, et a lib. hoc Λ. usque ad Σ. 242 continuatur: cum contra *secundae* illius *pugnae* narratio sit brevissima; in qua porro omnia fiunt ἐκ τοῦ θείου, administrantur interventu Jovis ex Ida prospicientis, modo per terrorem fulmine jacto immissum, (Θ. 75 sq. 132 sq. 169 sq.) modo per auguria, (247 sq.) modo imperio in deos et coercitione eorum, qui Achivis suppetias ferre conati erant. Verbo, habet hic narrandi ordo, et rerum narratarum species aliquid singulare et sibi proprium. Facto sub noctem pugnandi fine Jupiter ab Ida in Olympum redierat, (ibid. 438) nuntiabat tamen diis aliud praelium in crastinum diem multo acrius et pertinacius (470) futurum.

Non magno acumine opus est ad suspicandum, fuisse ab initio carmen istud (Il. Θ.) singulare et seorsum conditum; quod postea ceterorum compagi fuerit insertum et scite coagmentatum. Aliud tamen hujus ariolationis fundamentum quod afferri possit haud video. Conjecturis autem, quibus nihil aliud pronuntiatur, quam fieri aliquid *potuisse*, cum nihil tamen aliud subjiciatur, quod probabile fiat etiam illud *factum esse* aut *factum videri*, parum aut nihil tribuendum esse statuo.

Revocato a pugna exercitu etiam Hector pugnam in alterum diem iterandam edixerat (Θ. 497 sq.) nec redeundi in urbem copiam fecerat Trojanis, sed, sub dio pernoctare jussos, cibo potuque ex urbe apportato recreavit; ignibus multis incensis, vigiliisque indictis, ne Achivi navibus in altum eductis fugerent. Locus, in quo exercitus pernoctavit, accurate declaratur: νόσφι νεῶν,—ποταμῷ ἐπὶ δινήεντι, ἐν καθαρῷ, ὅθι δὴ νεκύων διεφαίνετο χῶρος (Θ. 490. 1. ad Scamandrum puta) ἐπὶ πολέμοιο γεφύρῃ (intervallo inter utramque aciem, quo pugnatum erat, 549) μεσσηγὺ νεῶν ἠδὲ Ξάνθοιο ῥοάων, Ἰλιόθι πρό (556. 7.) ἐν πεδίῳ (558) verbo: inter vallum et Scamandrum, qui castra praeterlabitur, saltem citra et ultra amnem, ut tamen cornu eorum dextrum ultra Si-

moentem protenderetur. Trojani pernoctantes Achivorum discessum speculabantur.

Insequuta est nox, (Il. I. K.) qua legatio ad Achillem facta est speculatumque missi Ulysses et Diomedes Dolonem et Rhesum occiderunt. Inde die orto Achivi, hostem antevertendum esse rati, in pugnam exeunt, curribus intra fossam relictis; Il. Λ. 48. Pelluntur Trojani fuganturque per medium campum praetervectique Ili sepulcrum et caprificum, ante portas Scaeas (166—171) consistunt animosque confirmant, dum fugientes insequutus erat Agamemnon magna eorum strage facta; cui imparem se esse videns Hector congressum cum eo vitat, copias ad pugnandúm concitare contentus. Multis virtutis speciminibus editis Agamemnon vulnere accepto pugna excedit; nunc Hector iterum inter promachos pugnat, 284 sq.

Pugna quae nunc fit, et acies, vix diserte satis exponi potest: tam varia enim et multiplex, et diversis locis ea commissa est, ut, si scriptoris modo ac more exponatur, parum fidei et jucunditatis narratio sit habitura. Locus pugnae priore diei parte fuit in Campo Scamandrio; fortuna usque ad medium diem in neutram partem inclinata: 67—85. Tum vero perrumpunt Achivi Trojanorum aciem: elucescente ante omnes Agamemnonis virtute, qui ante ordines prosiluerat: 86—149. Effusa fuga Trojani urbem petunt, praetergressi Ili tumulum et versus caprificum medio campo tendentes 166. 7. 8. ante urbem (170 ἀλλ' ὅτε δὴ Σκαιάς τε πύλας καὶ φηγὸν ἵκοντο) consistunt ac se recipiunt. Ordinibus mox restitutis ab Hectore pugna instauratur: 210 sqq. eminente etiamnum Agamemnonis virtute, donec ille vulnere accepto e pugna subducitur:—283. Nunc Hector iterum procurrit, et Achivos recedere cogit. Pugnatur inde circa Ili sepulcrum; nam ex eo loco Paris sagitta Diomedem vulnerat: 369 sq. quo pugna excedere coacto Ulysses solus relictus fortiter pugnans, vulnus et ipse accipit, quo inclamante Menelaus cum Ajace accurrit, Ulyssem pugna educit, Ajax vero Trojanos fugat et dissipat:—497.

Interea Hector, qui antea Diomedem cum Ulysse eodem curru invectum aggressus, hasta ab eo emissa galea percussa, recesserat et in mediam pugnantium turbam se immiscuerat (343—360), ad laevam pugnat juxta ripas Scamandri (μάχης ἐπ' ἀριστερὰ πάσης ὄχθαις πὰρ ποταμοῖο Σκαμάνδρου (498. 9.) Nestore in adversa ei acie stante cum Idomeneo. Mox Machaonem vulneratum Nestor in castra revehit—520. monitus a Cebrione Hector, dum ipse in extrema acie pugnet (ἐσχατιῇ πολέμοιο 524), fugari interea alio

loco Trojanos ab Ajace, eo accurrit, pugnaque restituta Ajacem loco cedere cogit—542. Necesse est a sinistra extrema ad dextram Hectorem esse digressum: hoc est, si in Trojanorum acie te versari fingas, a Scamandro versus Simoentem; ergo illa, quae supra usque ad vs. 497 gesta sunt, ad eandem dextram spectant, quae sinistrae Achivorum aciei ad Simoentem ex adverso stetit. Ajax tandem fugientibus Achivorum turmis circa se collectis, Eurypylo quoque vulnerato versus castra se recipit 543—595. Insequuntur Trojani et ipsa castra aggrediuntur, M. 1—34. Oritur τειχομαχία, de qua v. Excursum ad Il. M. pr. in quo reliqua hujus diei acta subjiciuntur.

EXCURSUS AD ILIAD. M.

EXCURSUS I.

De castrorum oppugnatione per Trojanos facta. Τειχομαχία (M—Π. 398) *et insequuta pugna diei reliqua ad* Σ. 242.

Postquam Achivi effusa fuga intra castra se receperant, Trojani in ipsa castra irrumpere conantur, ut caede eorum facta naves incendant. Exoritur inde pugna ad vallum, τειχομαχία, quam hunc in modum factam colligo.

Polydamantis consiliis usi Trojani (Il. M. 75) curribus descendunt, et uno Asio excepto, qui curru invehitur, pedites fossam quinis turmis superant. Asius portam patentem cernens, νηῶν ἐπ' ἀριστερὰ, (M. 118) irruendi cum fugientibus copiam sibi factam putans, impetum facit, infelici tamen cum eventu (M. 110 sq.) Quae hic sint *laevae navium partes*, et *porta sinistra*, in dubitationem venit; non accipi potest respectu Trojanorum; sed quod res docet, laeva est ναυστάθμου Achivorum (M. 118. ad quem locum vide; perperam olim tricas feceram in Soc. R. Commentat. Vol. VI.) Interea turmae reliquae alias valli partes tentabant: M. 175 sqq.

Trojanos necesse est curribus relictis pedites in fossam descendisse, et, stipitibus seu vallis in adversa fossae ora evulsis in eam escensu facto ad vallum processisse. M. 251. coll. 199. Nisi probabilius est, omnem Trojanorum processum ad castra factum esse in aggere seu via, quae ad portam castrorum ducebat, inde Trojanos in intervallo inter

vallum et fossam patente explicitis turmis vallum undique esse adortos. Nec aliter Achivos ipsos fuga se in castra recepisse putes Θ. 343. 4. αὐτὰρ ἐπεὶ διά τε σκόλοπας καὶ τάφρον ἔβησαν φεύγοντες.—Videntur verba parum accommodata esse; sed *inter fossam stipitibus vallatam* nihil aliud designare puto quam aggerem, pro via per fossam factum, fossa utrinque latera ambiente. Etiam Ulysses equos Rhesi τάφροιο διήλασε Χ. 564. non ut fossam superaret, sed hoc aditu ad portam. Simili modo accipio dicta de Trojanis fugientibus O. 1. Aliter se res habet in verbis Polydori M. 62 sqq. ubi ait fossam superari non posse. Aggeris angustia Achivos fugientes haud recipiens facit, ut illi ante fossam huc et illuc fugiant O. 344. 5. Ἀχαιοὶ τάφρῳ καὶ σκολόπεσσιν ἐνιπλήξαντες ὀρυκτῇ ἔνθα καὶ ἔνθα φέβοντο.—Itaque paullo post Trojanis insequentibus Apollo fossa aggesta latiorem facit aditum 355 sqq. Si Trojanos postea e castris iterum expulsos ὀρυκτὴ τάφρος ἔρυκε, πολλοί τ' ἐν τάφρῳ ἵπποι ἄξαντ' ἐν πρώτῳ ῥυμῷ λίπον ἅρματ' ἀνάκτων, Π. 369 sq. referendum hoc est ad loci angustias et turbam confertam, et ἐν τάφρῳ est, in aggere fossae.

Quinas turmas versus *quinas portas* ductas esse, vulgaris est opinio; numerum poeta haud suppeditat. Est tamen versus M. 175 ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο πύλῃσι, unde saltem *plures* aditus fuisse probari possit. Verum turbatur omnis narratio ac descriptio castrorum ceteris in locis; et deleverat istum versum jam olim Aristarchi sagacitas. (v. Obss. ad M. 175) In errorem induxerat interpolatorem alter locus H. 339. 340 repet. 438. 9. ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ποιήσομεν εὖ ἀραρυίας, ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη. cum non meminissent Homero ubique πύλας de una porta dici; nam sunt proprie πύλαι valvae, seu fores duplices. Contra me recte statuere arbitror, unum tantum fuisse aditum, portam castrorum unam. Nec si vallum pluribus locis oppugnatur, ubique ad portam pugnatum est, verum ad vallum et turres. Ita res se habet M. 256 sq. cum Hectore, cum Sarpedone 308. 332. 397. 416. 430 donec Hector ad portam accedens saxo fores diffringit: 445 sq. interea alii vallum escendunt 469. accommodandi sunt his enuntiatis ceteri versus 340. Est quoque una tantum eademque, de qua nunc agitur, porta in Ω. 443 sq. qua Priamus castra intrat.

Redeamus nunc ad narrationem τειχομαχίας, quam principio Excursus exorsi eramus. Itaque per istam portam ad sinistram castrorum, quae unica erat, patentem Asius curru invectus irrumpere in castra volebat; vano conatu, tutabantur enim aditum duo Lapithae M. 118 sq. Locis proximis

ab eadem porta copias duxerant Hector et Polydamas, frustra vallum convellere et labefactare parantes; M. 257 coll. 291. Interea Sarpedon ea parte vallum aggreditur (πύϱγον 332) qua Menestheus, Atheniensium ductor, illud propugnat; (nihil hic de porta aliqua memoratum video) is arcessit Ajacem cum Teucro; 292—436. His profectis in aliam partem Hector porta saxo perfracta in castra irrumpit; quo facto Achivi ad naves fugiunt; (470) unde eos mox revocatos Ajax uterque versus hostem ducunt. Consistunt circa eos densati in phalangis morem Achivorum ordines, (N. 1—126 sq.) reprimuntque Hectorem navibus imminentem. (143 sq.) Interea alio loco (156) a Deiphobo, qui alterum agmen ducebat, fortites res geritur; Meriones, hasta fracta, ad aliam petendam ad tentorium properat. Redit (170) ad Ajaces poeta, quo loco adversus Hectorem omnibus viribus enixe pugnatur. In *medio navium* hanc pugnam factam apparet ex 312 ἐν μέσσῃσι νηυσί. quod ad medium inter duo cornua ac latera castrorum spectare necesse est. Adversatur sane locus N. 679 sq. eum tamen adulterinum esse, multis de caussis probabile fit.

Cum Merione novis armis instructo Idomeneus in pugnam redit, et omissis mediis partibus *ad laeva* tendit: ἐπ' ἀριστερὰ στϱατοῦ 326. quae eadem ipsa statio esse videtur, qua jam ante ille constitutus pugnaverat. Occurrit Idomeneo Asius, qui curru tandem descenderat 384 sq. Ejus mortem ulciscitur Deiphobus, quem ad ea loca agmen ducere jam ante videramus. (N. 156.) Proxima Asio esse debuit turma Aeneae, nec non Paridis et Agenoris, nam hi cum Deiphobo memorantur (489 sq.) eo loco, quo adversus Idomeneum pugnatur; et cum iis Helenus 576. Jam autem Helenus una cum Deiphobo, Asio et aliis pugnasse dicitur uno loco; (758 sq. quod adjicitur: νηυσὶν ἐπὶ πρύμνῃσιν 'Αχαιῶν simpliciter accipe *ad navium stationem*, ναύσταθμον) et Paris pugnat μάχης ἐπ' ἀριστεϱὰ; ubi manifestum est de laeva Achivorum hoc accipiendum esse.

Trojanis tamen vel sic illa pugnae parte laborantibus, Polydamantis, qui eos ab hoste urgeri viderat, monitis (726) Hector, suis sub Polydamantis ductu fortiter pugnare jussis, (ἐν μεσάτῳ νηῶν puta) ad alteram pugnam, *laeva naustathmi parte* (νηῶν ἐπ' ἀριστερὰ 674. 5) profectus, an pugnam restituerit, non memoratur; sed Paride secum abducto, ad locum, unde venerat, redit, (781 βὰν δ' ἴμεν *duo illi.*) Hic (ἐν μεσάτῳ νηῶν) fortissimorum virorum globo facto Ajacem loco movere, frustra tamen annititur (789 ad f.)

Interea principes Achivorum, qui vulneribus acceptis

pugna excesserant, ad confirmandos suorum animos, Diomedis suasu, in pugnam redire constituunt (Ξ. 1—134.) Tum Achivi in turmam collecti et instructi in Trojanos irruunt. Hector cum Ajace congressus, saxo percussus, pugna asportatur,—440. Tandem Trojani fugam circumspiciunt, et extra vallum et fossam fugati apud currus suos iterum consistunt (O. 1 sq.)

Viribus refectis Hector in pugnam redit (O. 262) tum Achivi, multitudine ad naves recedere jussa, validiorum copiarum collecta et phalangis in morem densata turma, Trojanos adversus se ductos excipiunt—305. Mox tamen magna clade accepta fuga se in castra recipiunt—343 sq. Insequuntur Trojani ferocibus animis, et via, aggere ad portam castrorum ducente, ab Apolline latiore facta per fossam (O. 355—360) curribus quoque vecti; pugnatur tandem ad ipsas navium puppes—389. Pulsi Achivi intra priorum navium ordinem se recipiunt, et subeuntes Trojanos de navium tabulatis arcent contis; (653 sq.) Ajax quidem Hectorem.

Tandem Hector unius de Protesilai navibus puppim manu prehendit (704.) flammamque infert (Π. 124 sq.) Eo res jam adductae erant, ut extrema metuenda essent; cum Patroclus in pugnam progrederetur. Myrmidones cIↄ cIↄ Iↄ in quinque turmas descripti totidem ducibus praeeuntibus incedunt, et quidem ordinibus densis phalangis instar: (212 sq.) qua quidem re Achillis copiae ceteris praestitisse videntur. Agnoscunt in hac Myrmidonum distributione cohortium semina viri rei militaris periti; ipse Puysegur pr. Inclinata pugna Trojani perterriti ultra fossam fugantur (366 sq.) Debebat nunc victrices turmas in castra reducere Patroclus; at ille juveniliter exsultans fugientes persequitur usque ad muros et portam Scaeam; (712) tandem, cum Hectore congressus, caeditur. Achivi fuga effusa castra petunt, nec nisi intra vallum de salute confidunt, corpore tamen Patrocli reportato. (Il. P.) Trojanos insequentes, ne fossam tertio superarent, conspectus Achillis, etsi inermis, de vallo, deterruit. Supervenit nox, Σ. 1—242. et Trojani in campo Scamandrio ad quietem se componunt—314.

Quae in narratione hac mirationem faciunt, sunt potissimum duo: primum, quomodo unius diei tempus toties repetitas pugnas capere potuerit; alterum, quomodo tantum camporum intervallum inde a castris ad Trojam aliquoties percurri potuerit uno die a copiis incedentibus, pugnantibus, fugientibus. Ad haec, quae responderi possint, haec esse video. Primo, haec non esse in historiarum fidem et

rerum vere gestarum ordinem referenda, et immerito referri inter ea, quibus pro argumentis historicis positis omne bellum Trojanum cum ipso Ilio e priscorum eventorum ordine tollitur. Poetam haec narrare, non historicum, reputandum est; eumque ea, quae fama accepta erant universe, ornare et locupletare iis modis ac copiis, quas vis mentis vivida suppeditat. Itaque nec aequum esse censeo, revocare hujus diei acta ad censuram, quam recte in scriptore belli Trojani adhibeas, perperam autem in poetam inferas; neque bene carmini, cujus omne consilium propositum est, ut miratione rerum hominumque injecta delectet audientes, si rerum sigillatim expositarum subtilem recensum facias et singula collecta in computum voces et rationes singularum rerum exquiras: id quod esset, puto, poetam in ordinem cogere Quiritiumque jus et libertatem tollere.

Potest quoque dici, poetam variorum dierum acta pugnarumque diversarum narrationes fama majorum acceptas in unum diem inclusisse; itaque historiarum fidei detraxisse non ipsis rerum commentis, sed diversorum dierum factis uno die comprehensis. Hac tamen ratione poetae seu ingenio seu judicio seu fidei parum consultum esse videtur. Probabiliora diceres, si discursationem istam utriusque exercitus per tantum inter urbem et castra intervallum emensos esse nec totos exercitus nec intervallum integrum; verum procurrisse utrinque, ut fit, turmas instantium et fugientium, pugna latius sparsa, neque extremos locorum fines, inde urbem hinc castra exacte utrumque exercitum attigisse; sed locum utrinque medium a poeta ita declarari, ut extremas partes nuncupet. Commemorata sunt alia, quibus occurratur iis, quae has procursationes et fugas a reprehensione vindicent; quas in scriptore historiarum fidem servante praeclare dicta putabo; ad poetam tamen defendendum necessaria haud habebo; cum ille non iisdem legibus sit arguendus et judicandus.

Superest aliud judicium, cui equidem plus tribuerem, si ultra suspicionem et conjectationem assurgere possem. Scilicet fieri potuisse, ut, cum plura carmina singularia extarent, quorum argumenta essent pugnae ad Trojam factae, cum in alio Agamemnon, in alio Ajax, in alio Hector, in alio Patroclus, in alio τειχομαχία, summam rerum constitueret, collecta ea et coagmentata esse hoc uno carmine. Potest sane sic multarum rerum ratio reddi, inprimis aliarum discrepantia, aliarum iteratio, aut defendi aut excusari. Qua tamen vi negantem ac recusantem in partes meas pertraham, haud video.

EXCURSUS II.

Ad M. 41.

De ὅτε. ὅταν. ὅτε κεν. εὖτε. εὖτ' ἄν.

41. ὡς δ' ὅταν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσι κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται—οἱ δὲ—ἀντίοι ἵστανται καὶ ἀκοντίζουσι θαμειὰς αἰχμὰς ἐκ χειρῶν,—ὣς Ἕκτωρ ἀν' ὅμιλον ἰὼν εἱλίσσετο. Videmus h. l. ὅταν cum indicativo junctum, quod ex severiore grammatica et usu non nisi cum subjunctivo jungi potest.

Ὅτε per se cum *indicativo* jungitur, cum omnibus temporibus; etiam futuro, quod per subjunctivum aut optativum enuntiari poterat, v. c. P. 728 ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐν τοῖσιν ἑλίξεται etc. sin oratio obliqua, conditionalis, incerta, et sic porro, eodem modo, ut ὁπότε, (de quo v. Exc. IV, ad I.) cum *subjunctivo* jungitur idque saepissime, E. 90. 91 οὔτ' ἄρα ἕρκεα ἴσχει—ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὄμβρος. O. 207 ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ. Π. 385. 6 ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεὺς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ. Sic et ὅτε περ. Il. Δ. 209. 210 ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον—κέρωνται. interdum cum *optativo:* ut A. 610 ἔνθα πάρος κοιμᾶθ' ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι. Γ. 55 ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης. et 216 ὅτε δὴ —ἀναΐξαιεν Ὀδυσσεὺς, ubi antea fuerant, ὅτε δὴ ἔμιχθεν—ὅτε δὴ —ὕφαινον. Δ. 263 πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι et al. Saepe rationem idoneam haud reperias, cur optativus subjunctivo, aut hic isti, praelatus sit. Sic et P. 463. Σ. 465 et al. Si varietas lectionis occurrat, utrum praeferas, optativum an subjunctivum, difficilis est dubitatio. Brunck. in Apollon. I, 76 ὅτε κλίνωσι φάλαγγας praetulit ὅτε κλίνειε φάλαγγας. Etiam ὅτε μή. N. 319. 320 νῆας ἐνιπρῆσαι, ὅτε μὴ αὐτός γε Κρονίων ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῇσι. Ξ. 248 ὅτε μὴ αὐτός γε κελεύοι. add. Od. Ψ. 185. Π. 197. 198. Sic ὁππότε μή οἱ ἐπ' ἀκάματος πέλοι αἰὼν reposuit Brunck. in Apollon. IV, 1656 e codd. pro πέλει. ὡς δ' ὅτε v. sup. Exc. I, ad Il. I.

Ὅταν, ὅτ' ἂν, ὅτε κεν, ut etiamnum in codd. et edd. occurrit, cum *subjunctivo* sine controversia ponitur; et ineptum esset, exempla cumulare. A. 567 ὅτε κέν τοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω. Z. 225 ὅτε κεν τῶν δῆμον ἵκωμαι etc. et εἰς ὅτε κέν μιν μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι. K. 130. I. 138. et al. B. 397 ὅτ' ἂν ἔνθ' ἢ ἔνθα γένωνται. Z. 448 ἔσσεται ἦμαρ ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή. Etiam ὅταν cum subjunctivo, quando eadem sententia futuro indicativi efferri poterat, ut Θ. 373 ἔσται μὰν, ὅτ' ἂν αὖτε φίλην Γλαυκώπιδα εἴπῃ. Attamen vss. praescriptis huic Excursui ὅταν—στρέφεται jungi manifestum est.

Nisi igitur ὡς δ' ὁπότ' ἔν τε κύνεσσιν legimus, dicendum est,

etiam hunc locum ad monumenta rudioris grammaticae referendum esse. Probabilius tamen prius, cum toties ὡς δ' ὁπότ' in comparatione occurrat.

Erat aliud exemplum insolens cum optativo Il. T. 375 ὡς δ', ὅταν ἐκ πόντοιο σέλας ναύτῃσι φανείη. quod nunc melioribus e libris correximus φανήῃ. Erunt eodem modo emendanda loca in Hesiodo.

Attamen ὅτε κεν, quod idem est, cum optativo junctum sine ulla variatione est Il. I. 521 ὅτε κέν τιν' ἐπιζάφελος χόλος ἵκοι. Nullum alium locum vidi; proclivisque sum, ut rescribam ἵκῃ.

Εὖτε et εὖτ' ἄν, εὖτέ κεν prorsus eodem modo se habet et jungitur atque ὅτε, ὅταν. Sic εὖτε cum indicativo: E. 396 τλῆ δ' Ἀΐδης, εὖτέ μιν αὐτὸς ἀνὴρ—ὀδύνῃσιν ἔδωκε. A. 242 εὖτ' ἂν πολλοὶ πίπτωσι. B. 34 εὖτ' ἄν σε μελίφρων ὕπνος ἀνήῃ. et al. Od. A. 192 εὖτ' ἄν μιν κάματος κατὰ γυῖα λάβῃσιν. Itaque ap. Hesiod. Ἔργ. 458 εὖτ' ἂν δὴ πρώτιστ' ἄροτος θνητοῖσι φανείη, scribendum φανήῃ.

Similiter *in comparationibus* adhibitum εὖτε et ἠΰτε ad exemplum τοῦ ὅτε regimen suum constitutum habet: Sic Il. B. 87 ἠΰτε ἔθνεα εἶσι—ὣς τῶν ἑ. 455 ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει—ὥς. et Γ. 3. Π. 487 et al. In his ἠΰτε est idem ac ὡς ὅτε. cum subjunctivo P. 547 ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ. Etiam εὖτε aliquo loco ita positum. Γ. 10 εὖτ' ὄρεος κορυφῇσι νότος κατέχευεν ὁμίχλην—ὣς ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσσαλος ὤρνυτο, ubi εὖτε est ὡς ὅτε, ὣς ἄρα. nisi, quod suspicor, olim fuit scriptum, ὡς ὅτ' ὄρεος (ὄρους) κορυφῇσιν.

EXCURSUS AD ILIAD. Ξ.

De cesto Veneris.

214 ἦ καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα. et
219 τῆ, νῦν τοῦτον ἱμάντα τεῷ ἐγκάτθεο κόλπῳ.

Winckelman. Hist. artium (Dresd. ed. p. 199) ubi docuit, Venerem in marmoribus duplex cingulum habere, alterum superius, sub pectore et mammis, alterum inferius, supra femora, τὸν κεστὸν ἱμάντα de hoc, tanquam Veneri proprio, intelligit; idque se primum perspexisse; cum vulgo ad alterum cingulum sub mammis cestum Veneris transferant. In quibus duo sunt, quae, ut vera sint, diligentius sunt circumscribenda: primo quod Venerem vestitam ubique binis cingulis instructam asserit, quodque hoc illi pro-

prium esse ait, quandoquidem et alia signa mulierum ac dearum eodem duplici cingulo alia etiam unico illo femoribus admoto insignita sunt. Quid quod vulgatum illud, *zonam solvere*, ad nullum aliud, quam cingulum circa femora, spectat. Non haec ignorare potuit Winckelmannus: qui etiam assertum suum post haec in *Mon. ant. ined.* P. I. p. 37. (quod recte Vir doctus in ed. Rom. *Hist. art.* Tom. I. p. 412 monet) ad signa revocat Veneris, in quibus inferius hoc cingulum, alias sub undante sinu latens, palam adspectui subjicitur: etsi nec hoc in omnibus Veneris signis hujus generis occurrit; ut adeo hoc quoque universe praedicari nequeat. Videtur in his fraudem facere hoc, quod *cesti* nomen usu frequentari coepit de unius Veneris cingulo; cum tamen cinguli ejusdem usus communi feminarum more frequentaretur. Cestus itaque Veneris saepe dictus occurrit, nusquam vero, si bene memini, cestus feminae, nec deae alius, sed cingulum, balteus, zona, μίτρα. Hoc modo controversiam componere in promtu est. Superest alterum quod cestum Veneris Winckelmann ad cingulum inferius referri vult; in eo vero ipse poeta repugnat sententiae Winckelmanni: v. 214 ἦ καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα, *a pectore*, non a femore. Quod 219 τεῷ ἐγκάτθεο κόλπῳ subjicitur, saltem tanquam ambiguum, ex illo, tanquam certiore et apertiore, est interpretandum, non contra. κόλπος est *sinus vestis*, adeoque et ipse *circa mammas.* ut manifestum sit, ex Homeri mente mammis subjectum fuisse Veneris cestum non injectum femoribus; in quo consentientem quoque habeo idoneum arbitrum, Viscontium *Museo Pio Clement.* Tom. III. p. 9. qui etiam p. 69 docet cestum hunc pectori subjectum in Nympharum aliisque signis conspici. Nec aliter acceperat Antiphanes: Αὐτή σοι, Κυθέρεια τὸν ἱμερόεντ' ἀπὸ μαστῶν, Ἰνώ, λυσαμένη, κεστὸν ἔδωκεν ἔχειν in Anthol. Steph. p. 425. Brunck. Anal. Tom. II. p. 204. Etsi seriores poetae de cesto Veneris omnino parum subtiliter agunt; ita Christodorus in Anthol. Steph. p. 393. Analect. Tom. II. p. 467. recte cestum Veneris mammis subjectum cum narrasset: φάρεσι κόλπον ἔχουσαν ἐπίσκιον· ἀμφὶ δὲ μαζοῖς κεστὸς ἕλιξ κεχάλαστο, χάρις δ' ἐνενήχετο πολλή. idem alio loco Anthol. Steph. p. 386. Anal. p. 460 Venere conspecta nuda, sed *cingulo a cervice in obliquum supra pectus demisso ornata, cesti* nomine et hic utitur:—γυμνὴν παμφανόωσαν. ἐπὶ στέρνων δὲ θεαίνης αὐχένος ἐξ ὑπάτοιο χυθεὶς ἐλελίζετο κεστός. Suspicor fuisse Venerem arma Martis tractantem qualem in gemmis occurrere memini; ideoque balteo Martis ornatam. Video nunc ipsum Winckelman-

num alio loco (Monum. ined. p. 37. 38) idem epigramma laudare et comparare Venerem in Villa Borghesia nudam et cingulo instructam.

Est in sigillis Comitis de Caylus Tom. VI. pl. LXXI, 3. 4 puella seu Venus nuda cum strophio sub pectore, et alia similis pl. LXXII, 4. 5. Itaque nec magnam vim habet locus Nonni, quem Winckelmannus pro sententia sua laudabat Dionys. lib. XXXII. 31 (nam alter locus IV, 190 p. 150 nil ad rem facit.) Servili imitandi studio locum Homericum reddit Nonnus, et Junonem exhibet Veneris illecebris instructam: inter alia καὶ λαγόνας στεφανηδὸν ἀηθέϊ δήσατο κεστῷ. hic sane diserte femora cesto revincta memorantur; verum Nonni auctoritas expressum Homeri dictum elevare nequit. Vana esset disputatio omnis, nisi res ad artis priscae judicium spectaret.

EXCURSUS AD ILIAD. O.

De hiatu in Homericis.

O. 247. τίς δὲ σὺ ἐσσὶ, φέριστε θεῶν, ὅς μ' εἴρεαι οὕτως. In utramque partem disputari potest, sitne hoc cum ratione dictum σὺ ἐσσὶ, an librariorum vitio exciderit γ', τίς δὲ σύ γ' ἐσσί. Magnum jam versuum numerum vidimus, in quibus de hiatibus monitum est. Ne videar aliquid temere aut pro imperio statuere, utar hac occasione, ut tanquam diverticulo capto, ea quae passim adspersa sunt, uno in loco paucis colligam; dummodo praefatus fuero, habere me in his quoque auctorem, Bentleium, qui vestigia mea firmaret, cum et ipse versus ejusmodi multos modo atro sublevisset, modo correxisset. Ingenui hominis est dicere, per quem profecerit; interdum quoque obtrectantium studia hac tanquam aegide retundere consultum esse potest.

Veteres Homeri commentatores, cum omnino de prosodia tam parum diserte et accurate egerint, de hiatu nihil, quod magnopere nos juvet, tradiderunt[a]. Quae vero a metricis

[a] Universe quidem Eustath. ad Il. Π. 573 ἀτὰρ τότε γ' ἐσθλὸν ἀνεψιὸν ἐξεναρίξας p. 1076, 33 adscripsit τὸ δὲ "ἀτὰρ τότε γ' ἐσθλὸν" δηλοῖ τῇ ἐπενθέσει τοῦ "γε" συνδέσμου, φορτικὴν καὶ Ὁμήρῳ εἶναι τὴν σκληρὰν χασμῳδίαν. recte statuens, hiatus duros Homero ingratos fuisse; subjicit tamen: εἰ καὶ ἄλλως αὐτῇ χαίρει, ὅτε χασμᾶται καίρια. Etsi idem alio loco p. 12, 8 fuisse ait, qui τὴν χασμῳδίαν, ἤτοι κεχηνυῖαν στίχου σύνδεσιν, μίαν εἶπον τῶν πέντε, ἢ ἕξ, κακιῶν τοῦ ἔπους. At ille omnino voce χασμᾷν, χάσμησις latius utitur, etiam de iis, quae in hiatuum censum non veniunt, ut εω, Πηληιαδεω, ante Ἀχιλῆος.

observata sunt, non ubique ad poetas epicos referri possunt. Omnino autem omnis haec de hiatu disputatio ab aliorum poetarum usibus est secludenda, et ad solum Homerum a nobis revocatur; eum enim proprium aliquem usum servasse paullo diligentius inquirenti facile patet.

Homerum quidem hiatus diligentissime evitasse nemo neget, qui vel aliquot centenos versus legerit. Altera tamen ex parte multos hiatus relictos esse, non magis negari potest. Dicemusne id consilio poetae factum? an seu apographorum et librariorum, seu grammaticorum vitio?

In multis utique versibus á corruptelis hiatus profecti sunt, et magna versuum pars sanata est opera critica. Restant tamen vel sic versus, in quibus medela critica suppetere videtur nulla. Ingeniose nuper vir doctiss. Hermann in praeclaro libro de Metris Graecorum, ad metrum et accentum, eoque ad aurium judicium haec revocavit; ad hoc tamen, cum tam lubricum et arbitrarium sit, equidem non, nisi ubi aliud, quod opportunius sit, afferri nequeat, confugiam. Constitit quoque mihi, magnam eorum versuum, in quibus hiatum ex accentu tuitus est, partem eo tempore, quo conditi sunt, nullos hiatus habuisse.

Equidem cum jam a triginta inde, et quod excurrit, annis ad hanc prosodiae partem offendissem, et in omnes me partes verterem, nec quidquam, quod omni ex parte satisfaceret, reperissem, quandoquidem certa, liquida et explorata, non ficta et properata, quaerebam, nonnulla tamen, quae liquere viderentur, animadvertere mihi visus sum: eaque haud pigebit communicare cum aliis, ut ad alia, forte certiora, deducantur.

Verum constituendum est ante omnia, qui sint illi hiatus, de quibus hic quaeratur. Primum excludendi sunt illi, non recte hiatus appellati, quando diphthongus, vel vocalis longa, quae et ipsa e binis brevibus constare dicenda est, aliam vocalem seu diphthongum antecedit in fine vocis. Ea diphthongus modo corripitur; modo producitur, sive tonum habeat ex caesura, sive eo vacet; sic B. 231 ὅν κεν ἐγὼ δήσας ἀγάγω, ἢ ἄλλος Ἀχαιῶν. hic altero loco longa syllaba est sine caesura: ἢ ante ἄλλος, at —γω η— habet tonum. Ita in ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος nullus est hiatus proprie dictus. Veniunt in eundem censum vocales longae cum brevi coalescentes ῃ ex HI. ῳ ex ΩI. item εω in Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος. Possunt eaedem quoque diphthongi circumflexo notati esse, et tamen corripi, ut Ξ. 140 γηθεῖ ἐνὶ στήθεσσι. 309 νῦν δὲ σεῦ εἵνεκ'—Et quum brevis cum longa vocali conjuncta vocalem sequentis vocis antecedit, ut Γ. 152 δενδρέῳ ἐφεζόμενοι. A. 15

χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ. Ita nec erunt pro hiatibus habendi versus, quoties longa vocalis ex contractione duarum vocalium nata est: αὔδα ὅ τι φρονέεις. ex αὔδαε.

Hiatus proprie dictus habebitur, quando vocalis in fine vocabuli aliam vocem a vocali incipientem antecedit, nec elisa est: ut Il. A. 565 κάθησο ἐμῷ et 569 καί ῥ' ἀκέουσα καθῆστο ἐπιγνάμψασα φίλον κῆρ. Cum Graeci haud sequantur morem Latinorum, ut elisas vocales scribant, ut in *Ille ego;* tanto magis in oculos incurrunt hiatus in Graecis.

Eliduntur autem vocales sive acuantur sive non acuantur. De brevibus quidem, ε et ο, nemo dubitet; nec de α. Possit quaeri de ι et de υ. Si memineris v. c. Γ. 349 ἀσπίδι ἐν κρατερῇ qui versus eadem scriptura repetitur P. 45. E. 465 ἐς τί ἔτι. Z. 343 οὔ τι ἐγώ. P. 583 Φαίνοπι 'Ασιάδῃ. Communi tamen usu τὸ ι in fine elidi dubitare noli. E. 5 ἀστέρ' ὀπωρινῷ —304 οἷοι νῦν βροτοὶ εἰσ', ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἷος, pro εἰσί. Ω. 26 οὐδὲ Ποσειδάων' οὐδὲ γλαυκώπιδι κούρῃ. ἠδ' ἐν δαίθ', ὅτε περ—K. 277 χαῖρε δὲ τῷ ὄρνιθ' 'Οδυσεύς. (versus, quem ad e. l. apposui ex Eustathio: ἀλλὰ τεὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον, Praxillae est, ut idem Eustathius docet alio loco p. 12.) Quid quod usu quoque communi eliditur in επι, si composita reputes, ἐπέχω, ἐπέρχομαι.

At υ in fine vocis ante vocalem occurrere non memini, ita ut nec elidi nec hiatum facere dici possit. Nam A. 190 et alibi ὀξὺ ἐρυσσάμενος est ὀξὺ Fερυσσαμενος. Docent et composita εὐρύαλος, εὐρυαγυῖα. Merito itaque dubites, recte se habere: τίς δὲ σὺ ἐσσί.

Jam hiatus ingratos habitos esse, docet usus τοῦ ν in fine additi vocalibus ε et ι ante aliam vocem, quae et ipsa vocalem in capite habeat.

Videri poterat mollis Ionum sensus omnino ab hiatibus abhorruisse. Contrarium tamen colligas ex scriptore Ionico Herodoto, qui eas quoque particulas vel litteras neglexit, quae vocalibus interponi solent, ita ut nec ν interponatur. Facit hoc ipsum dubitationem, num antiquissimo usu ν in Homericis appositum fuerit. Verum omnino Ionismum Homeri ex Herodoti Ionismo metiri haud licet. Ita quod toties occurrit, τε ἰδὲ, in melioribus scriptum τ' ἠδέ.

Ex iis locis, qui hiatum habere videntur, primo numerus longe maximus vitio librariorum et grammaticorum carminibus Homericis insidet, partim jam sublatus, partim e codd. aut ratione grammatica subtiliore tollendus.

Ita in iis ipsis vocibus quae in ι exeunt Z. 343 οὔτι ἐγώ. fuit οὔτοι. Γ. 349 ἀσπίδι ἐν κρατερῇ, leg. ἀσπίδ' ἐνὶ κρ. v. Obss. et H. 272 ἀσπίδι ἐγχριμφθεὶς leg. ἀσπίδ' ἐνιχρ. O. 645 legeba-

tur in veteribus ὑπ' ἀσπίδος ἄντυγι ἆλτο. quod meliores exhibuere ἄντυγι πάλτο. Forte E. 465 ἐς τί ἔτι fuit ἐς τί τ' ἔτι ut inf. Σ. 6 ὤ μοι ἐγώ, τί τ' ἄρ' αὖτε Od. Ψ. 264 δαιμονίη, τί τ' ἄῤ αὖ με—Porro O. 247 τίς δὲ σὺ ἐσσὶ, φέριστε θεῶν. quidni fuisse credamus σύ γ' ἐσσί. ut saepe alibi: Ω. 290 ἀλλ' εὔχεο σύ γ' ἔπειτα. Z. 412 ἐπεὶ ἂν σύ γε πότμον ἐπίσπῃς. Itaque sic quoque corrigendum erit A. 786 πρεσβύτερος δὲ σὺ ἐσσί.

Vitii illati caussae fuere plures; maxima haud dubie ignoratio digammi; quo seu extrito seu omisso cum magnus hiatuum numerus subnatus esset, eos poetam decere, pro arbitrio adhiberi ac cum laude frequentari credidisse videntur. Accessit omnino rei metricae incuria apud grammaticos Alexandrinos. Quis enim probet v. c. judicium Aristarchi H. 452 legentis: τοῦ δ' ἐπιλήσονται τὸ ἐγὼ καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων. cum apertum sit fuisse: τό τ' vel ὅ τ' ἐγὼ καί. tum multo liberius grassata est librariorum socordia; quam vel in ν ἐφελκυστικῷ indocte modo interposito modo omisso agnoscas.

Vitii caussae repertae solent medelam aperire. Magna itaque pars hiatuum digammo apposito tollitur. Alia vitia tolluntur variis modis ex ipsa re ductis: quae in unum locum conferre velle fastidiosa res esset. Videnda sunt de his singula loca. Quoties accedebat libri alicujus auctoritas, verba in ipso carmine emendatius scribere haud dubitavi. Alibi sola ratio grammatica, analogia et similium exemplorum auctoritas suppetebat; in his locis ad Observationes monita seposui: quandoquidem bene intelligo, eum qui paullo pertinacior fuerit, in singulis fere locis pulverem movere posse, et aliquid, quod reponat, in promtu habere. Ita mihi haud indulsi in interponendis particulis expletivis, in quibus bene novi in utramque facile partem peccari posse; v. c. in particula γε interponenda. Cum tamen eam innumeris locis insertam videas, ubi bene omitti poterat, cur eam non temere excidisse putes, ubi, ea omissa, vitium illatum est? Sic Γ. 453 οὐ μὲν γὰῤ φιλότητι γ' ἐκεύθανον. cur non scriptum est φιλότητι ἐκεύθανον? Scilicet ita hiabat oratio. Quid ni igitur in similibus locis hoc γ', si desideratur, interponimus? Ergo N. 100 δεινὸν ὃ οὔποτ' ἐγώ. cur dubitem scriptum fuisse δεινὸν ὅγ' οὔποτ' ἐγώ. Et B. 107 pro αὐτὰρ ὁ αὖτε, αὐτὰρ ὅγ' αὖτε. sicque laudat versum Julianus. Λ. 109 Ἄντιφον αὖ παρὰ οὖς ἔλασε. cur non ausim reponere αὖτε παρ'. M. 311 pro κρέασίν τε ἰδὲ, quidni κρέασί τ' ἠδέ. in quo saepissime peccatum est, ut K. 573. Cum toties varient ἕκαστα et ἅπαντα, quidni scriptum esse putem διασκοπιᾶσθαι ἅπαντα K. 387 pro ἕκαστα. Verum singula persequi velle, infinitum esset.

In aliis locis caussa vitii erat exquisitior forma vocis: v. c. E. 538 πρὸ δὲ εἴσατο. fuit πρὸ δ' ἐείσατο. A. 532 εἰς ἅλα ἆλτο. fuit εἰς ἅλαδ' ἆλτο. Λ. 385 κέρα ἀγλαέ. meliores κέρᾳ. Interdum enim res revocari potest ad contractionem, ut Δ. 345 ἔνθα φίλ', ὀπταλέα κρέα ἔδμεναι. hic κρέα est ex κρέατα, κρέεα. E. 221 ἐμῶν ὀχέων ἐπιβήσεο, ὄφρα ἴδηαι. hic est εο pronuntiando contrahendum in diphthongum. A. 276 ἀλλ' ἔα, ὥς οἱ πρῶτα. nam ἔα est ex ἔαε. sic et Θ. 399. Π. 731 et al. At B. 165 μηδὲ ἔα νῆας, fuit μηδέ τ' ἔα. sic et v. 181. et al. Contra littera geminata excidit P. 16 τῷ με ἔα κλέος ἐσθλόν. leg. τῷ μ' ἐάα κ. uti Od. Θ. 509 est ἢ ἐάαν μέγ' ἄγαλμα. Interdum corrupta lectio grammaticorum acumine, v. c. Θ. 378 γηθήσει προφανέντε ἀνά. ubi v. Obss.

Quae cum ita sint, ut in tam multis locis hiatus, ex ignoratione vel ex depravatione natus, facile possit tolli: quoties hiatus occurrunt, ab Homerico more alieni, seriorum vero poetarum usui consentanei: probabilis oritur suspicio, serius aut lectiones aut ipsos versus in Homerica illatos esse; quae quidem suspicio tanto gravior est, si versus alia quoque indicia serioris fabricae habet; quod saepe locum habet in versibus ad explendas sententias vel ad syntaxin ellipticam locupletandam attextis vel subjectis.

Post omnia haec supersunt loca, in quibus hiatus in eam versus partem seu sectionem incidit, in qua aut caesura adjuvat pronuntiantem, aut pronuntiatio subsistit, ipsa sententia id postulante. Hoc est illud genus, in quo Hermanni, viri acutissimi, doctrinam lubenter admittam. Hujus generis alia sunt exempla, in quibus hiatus est in *medio* versu; ut A. 565 ἀλλ' ἀκέουσα κάθησο | ἐμῷ δ' ἐπιπείθεο μύθῳ. 569 καί ῥ' ἀκέουσα καθῆστο | ἐπιγνάμψασα φίλον κῆρ. Γ. 376 κεινὴ δὲ τρυφάλεια | ἅμ' ἕσπετο. E. 270 τῶν οἱ ἓξ ἐγένοντο | ἐνὶ μεγάροισι γενέθλης. Et sic porro Δ. 412. E. 343. 388. 424. H. 31. 63. I. 57. 426. K. 285. Λ. 256. N. 821. Ξ. 154. 209. O. 402. 447. Π. 848 videndae sunt ad e. l. Obss.

In aliis hiatus est in sede quarta: A. 578 πατρὶ φίλῳ ἐπίηρα φέρειν Διΐ | ὄφρα μὴ αὖτε. I. 238 μαίνεται ἐκπάγλως πίσυνος Διΐ | οὐδέ τι τίει. Λ. 76 οἷσιν ἐνὶ μεγάροισι καθείατο, | ἧχι ἑκάστῳ. Sic Λ. 790. Z. 422. P. 583 et al. Non tam commode, cum sententia nondum finita sit Θ. 66 ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξατο | ἱερὸν ἦμαρ.

Inter primum et secundum pedem: I. 247 ἀλλ' ἄνα, | εἰ μέμονάς γε. O. 227 ἔπλετο | ὅττι τάχιστα. P. 583 Φαίνοπι | Ἀσιάδῃ.

Dixi jam ab initio, ab hac disputatione sejunctos et exclusos esse ceteros post Homerum poetas; excepto He-

siodo, cui digammi usum familiarem ac perpetuum esse, non minus quam Homero, suo loco videbimus. In hoc miratus sum, hiatus, praeter eos, quos ignoratio digammi intulit, raro occurrere, et expeditam fere in his esse rationem. Lyricos autem et dramaticos, diversas carminis leges sequentes, etiam in hiatus usu ab Homero recedere, haud miraberis; mireris tamen hoc, quod, cum epicorum poetarum ratio ad Homericam omnino sit composita, in hiatibus tamen illi multo licentius sibi indulgent; ut difficile sit reperire, quas leges ii sibi hac in re constituerint. Si tamen satis acute video, a digammo mature ignorato prima fraudis ludibria processerunt. Videbant Alexandrini poetae innumeros in Homericis carminibus extrito semel digammo e codicibus versus, in quibus tanquam certo consilio relictos hiatus animadverterent; hos eosdem sibi quoque servandos esse putarunt; in aliis prorsus similibus, nec tamen in Homero tam frequentibus, sibi jus suum relictum esse crediderunt, ut hiatum modo admitterent, modo desererent. Verum de his disertiora tradere licebit in iis, quae de digammi usu disputabuntur. Sunt tamen praeter hos alii hiatus, quos partim ratione aliqua adhibitos, alios pro arbitrio receptos aut spretos, partim pravo exemplo arreptos, nonnullos quoque librariorum vitio illatos dixeris. ut ap. Apollon. II, 338 ἄψοῤῥοι στέλλεσθε, ἐπεὶ πολὺ βέλτερον εἶξαι. ubi ex ed. Flor. Brunckius probat στέλλεσθαι. III, 561 ἐρητύεσθε ἀέθλων. ubi reponendum ἐρητύεσθαι. Rationem assequor nullam v. c. in his: Apollon. I, 778 γάνυται δέ τε ἠϊθέοιο. 881 ἄλλοτε ἄλλον. Callimachus Del. 284 χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος. Verum in aliis ratio commode peti potest a numeris, a tono et caesura: v. c. Apollon. IV, 801 ὡς δή τοι πέπρωτο | ἀμείνονα πατρὸς ἑοῖο. II, 957 ἔνθα δὲ Τρικκαίοιο | ἀγαυοῦ Δηϊμάχοιο. III, 807 φάρμακα λέξασθαι θυμόφθορα | ὄφρα πάσαιτο. Minus commode I, 39 ἄμφω συμφορέονται ἀπόπροθι | εἰς ἓν Ἰόντες.

EXCURSUS AD ILIAD. Π.

EXCURSUS I.

De Harpyiis[a].

Il. 150, 151. τοὺς ἔτεκε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυια Ποδάργη Βοσκομένη λειμῶνι παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο.

De *Harpyiis* nolo repetere ea, quae ad Apollodorum et ad Virgil. Aen. III. Exc. VII. apposui; non quasi rem omnem me ita constituisse putem, ut nihil magis; verum, quod in liberali hac disciplina nostra facere licet cuivis, ut ea, quae observaverit quaeque secundum ista ipse statuat, ingenue exponat, eaque cujusvis alterius judicio liberali et aequo expendenda relinquat.

Hoc mihi liquido constare videtur primam notionem Harpyiae fuisse turbines et procellas vehementiores in personam mutatas; eodem modo, quo Typhonem priscus sermo progenuit. Attributa iis sunt convenienter ea, quae terrorem facere possint; serius multis modis aucta et variata. Hoc loco una, *Podarge*, memoratur; ediderunt duas alii, quarum nomina sunt Ἀελλὼ et Ὠκυπέτη, naturam turbinum respicientia, Hesiod. Theog. 267. Apollod. 1, 2, 6. Quod autem Harpyia in pratis pasci et equos partu edidisse narratur: ab antiquo usu loquendi profectum esse potest, quo celeritas equorum declararetur, si a ventis ac procellis equos prognatos esse dicerent; si vero tales natales tribuebantur, necesse erat, etiam parentes, matrem saltem, equina specie fuisse credere. An alata fuerit Podarge; ex Homero non apparet; verum ex Hesiodeo loco: αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται ὠκείῃς πτερύγεσσι, μεταχθόνιαι γὰρ ἴαλλον. de soleis utique ei induendis non cogitarunt boni illi viri. Cum sint in eodem Hesiodo ἠΰκομοι, credere licet, feminarum speciem eas habuisse; in Homero non aeque hoc apparet; at κοῦραι sunt in Od. Υ. 77. sed ibi diversa est species earum quam h. l.; non pascuntur, sed volant et Pandarei puellas rapiunt; eaedem paullo ante v. 66 appellatae puellae. Annon patet vel hoc exemplo, genus hoc mythorum, quod poetico ornatui inservit, ex prisco more loquendi, quem symbolicum appellare licet, cum notiones per

[a] Nunc de Harpyis subtiliter et ornate disseruit Böttiger V. C. *Furienmaske* p. 114.

rerum formas efferunt, diversum esse ab iis mythis qui antiqua fama accepti erant?

Cum tam foeda et ad ipsum sensum abominanda narratio sit, loco nostro, Podargen equam a Zephyro esse furto oppressam: Koeppen ingeniose suspicabatur cum Ventos equis vehi solitos legamus, Zephyrum usum esse Harpyiis equis, ut Sol, Eos, Lucifer, equis feruntur; et ipse Zephyrus ap. Eurip. Phoen. 220. et Eurus ap. Horatium. Ita dicendum foret, vs. 150 Ζεφύρῳ ἔτεκε, *in Zephyri gratiam* equa peperit, tanquam domini. Sed hoc est nimis argutum, et refellitur usu loquendi in τεκεῖν τινι. Habet potius locum hoc, Zephyrum in equum mutatum Podargen compressisse: uti alio loco, Il. Υ. 223. 4. Erichthonii equas.

Tandem ad Oceanum Podarge equa pascebatur: hoc est ad Occidentem: quod nullam aliam caussam habuisse videtur, quam quod a priscis hominibus in his terrae finibus, sub Noctis et Inferorum confinia monstra fere collocari solebant, ut passim notatum est ad Apollodorum et Virgilium. v. c. Hesiod. Theog. 274 sq. Hesperides. Seriores credidere, ad opinionem respici, qua putarunt equas a Zephyri flatu concipere, quia eum ore hiante excipiunt aestuantes; qua de re v. Virgil. Ge. III, 270. sq.

Quod ad Achillis equos attinet, eos a Neptuno Peleus acceperat, inf. Π. 381. Ψ. 277 sq. Apollod. III, 13, 5. Achille caeso lacrimati sunt et avolare voluere ad patrium solum, ὑπὲρ Ὠκεανοῖο ῥοὰς καὶ Τηθύος ἄντρα, verum servati sunt Neoptolemo: Quintus III, 740—762 cum eo autem in Elysium abierunt.

EXCURSUS II.

De Jovis Dodonaei religione secundum Homerum ejusque Interpretes veteres.

Π. 233. 4. 5. Ζεῦ ἄνα, Δωδωναῖε, Πελασγικὲ, τηλόθι ναίων, Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου· ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Multa de oraculo Jovis Dodonaeo disputata sunt, inprimis secundum fragmentum Stephani Byz. a Jac. Gronovio editum et illustratum, justis quoque commentationibus, in his ab elegante et docto scriptore des Brosses. (*Mémoires de l'Acad. des Inscr.* Tom. XXXV.) Nos tantum Homerica curamus. Ex his discimus haec: Jovem Dodonaeum ad religiones Pelasgorum spectasse, sacra curasse Sellos, homines austero vitae genere usos.

Grammatici A. B. (e quibus partes excerptae extant in

Schol. br. Schol. Lips. Victor. Leidens. ap. Valken. ad Ammon. p. 246 et Diss. de Scholiis p. 124 sq. add. Eustath. Primo tamen loco antiquiores historias collegit Strabo VII, p. 504.) observant haec: in Hyperboreis sitam esse Dodonam et duas fuisse eo nomine urbes: " Δωδωναῖε· ἐν χώρῳ " τῷ Ὑπερβορέῳ, τῇ Δωδώνῃ, τιμώμενε." Sane non nisi aetate antiquissima Epirus pro regione Hyperborea haberi potuit, quando omnes ad boream Graeciae sitas urbes eo nomine appellabant. " Δωδῶναι δὲ δύο· ἡ μὲν Θεσσαλίας, ἡ δὲ " Μολοσσίας." Ex Stephano Byz. disco, Philoxenum ita tradidisse: Φιλόξενος, ὁ τὴν Ὀδύσσειαν ὑπομνηματίζων. scilicet ad Odyss. Ξ. 327. 8. et Τ. 296. 7. Molossiae debuit haberi Dodona nostra Epiri: quae igitur esse potuit altera Thessaliae? Sane priscis temporibus nulla fuit Epiri et Thessaliae disjunctio; inter populos e Thessalia ductos vidimus in Recensu lib II, 750 etiam Dodonaeos; erat igitur Dodona tum Thessalicis locis accensa; v. Obss. ad e. l. Pelasgici populi habitabant dispersi nec semper iisdem sedibus, Molossi quidem in montibus ad occidentem: itaque eadem Dodona in Molossia sita; eoque modo ex una Dodona a serioribus fingi potuere Dodonae duae, alia Thessaliae, alia Molossiae. Adoptarunt tamen hoc duplicis Dodonae commentum alii, ut Dodonam nostram Thessaliae urbem haberent, (cf. Stephan. Byz. p. 320.) cum alioqui mirum videretur, numen peregrinum Epiri a Thessalo homine appellari. Ipse Apollon. Lex. Δωδωναῖε· ἐπιθετικῶς ὁ Ζεὺς ἀπὸ Δωδώνης τῆς ἐν Θεσσαλίᾳ, ἐν ᾗ ἱερὸν αὐτοῦ. Thessaliae quoque nomen latere suspicor in corruptela apud Stephan. Byz. " esse et aliam Dodonam ἐν Ἰταλίᾳ." immo ἐν Θετταλίᾳ. Inter eos, qui huic errori obviam iverunt, fuerat *Epaphroditus*, ἐν τῇ Π τῆς Ἰλιάδος apud Stephan. Byz. in Δωδώνῃ, ubi sequitur: ἐπικέκληκε δὲ Ἀχιλλεὺς τὸν ἐν Θεσσαλίᾳ γειτνιῶντα θεόν. Expunge ἐν. voluit dicere deum, cujus templum in vicinia Thessaliae esset: ὡς καὶ ὁ Πάνδαρος (non Πίνδαρος) εὔχεται τῷ Λυκηγενεῖ, καὶ ὁ Χρύσης τῷ Σμινθεῖ. Pandarum respicit precantem sup. Δ. 101. Fuit Epaphroditi ὑπόμνημα τῆς Ἰλιάδος. Apud Etymol. in Γάργαρος laudatur Ἐπαφρόδιτος ἐν ὑπομνήματι θ' Ἰλιάδος.

Sequitur in Schol. A. τινὲς δὲ, Δωδώνην τὴν γῆν, παρόσον πάντα δίδωσιν. ineptum acumen grammaticum, Dodonam dictam esse ἀπὸ τοῦ διδόναι. in quod jam Apollodorum incidisse disco e Stephano Byz. ὅτι δίδωσιν ἡμῖν τὰ ἀγαθά. Πελασγικὸν δὲ, ὅτι γῆς πέλας ἐστί. in Fragm. p. 1043. Alii junxerant ἀναδωδωναῖε, παρὰ τὴν ἀνάδοσιν τῶν ἀγαθῶν. Nugae hae auctorem habuere Cleanthem, ut Plutarch. de aud.

poet. p. 31 E. docere potest ἀλλὰ τὴν μὲν Κλεάνθους παιδιὰν παραιτεῖσθαι δεῖ· κατειρωνεύεται γάρ ἐστιν ὅτε, προσποιούμενος ἐξηγεῖσθαι τό· Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων· καὶ τὸ Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε. κελεύων ἀναγινώσκειν ὑφ' ἕν, ὡς τὸν ἐκ τῆς γῆς ἀναθυμιώμενον ἀέρα διὰ τὴν ἀνάδοσιν Ἀναδωδωναῖον ὄντα. Fuere qui Jovem Dodonaeum etiam νάϊον dictum assererent: ὁ δὲ Δωδωναῖος καὶ νάϊος. ὑδρηλὰ γὰρ τὰ ἐκεῖ χωρία. de quo multa disputat Valken. de Scholiis p. 126 etsi non intelligo, unde sic Δωδω natum credere potuerint; sed natus, puto, error ex scriptura lacunosa . . . ναιον, quam alii inutili doctrina exornarunt; certe ad Homerum ea nihil faciunt. Appellatus quoque est *Bodonaeus*, et ita scriptum h. l. οἱ δὲ γράφουσι Βωδωναῖε. ex antiqua, puta, pronuntiatione, Aeolum aiunt, ut Δελφοὺς dixere Βελφούς. at in Scholiis additur: πόλις γὰρ Θεσσαλίας ἡ Βώδων, οὗ τιμᾶται Ζεύς. Est haec urbs Βωδώνη, quam ex Apollodoro memorat Stephan. Byz. Vocarunt eam tanquam in subsidium grammatici ex eorum numero, qui Achillem Thessalum malebant numen patrium invocare, quam peregrinum; cum non viderent, etiam Dodonam, nunc Epiri, tum Thessaliae, populos autem Pelasgicos communi stirpe junctos fuisse.

Excidit haud dubie e Scholiis commentum Zenodoti qui Ζεῦ ἄνα Φηγωναῖε legerat; servatum illud a Stephano Byz. Ζηνόδοτος δὲ γράφει Φηγωναῖε, ἐπεὶ ἐν Δωδώνῃ πρῶτον φηγὸς ἐμαντεύετο· putes potius ductum nomen ἀπὸ τοῦ ναίειν ἐν φηγῷ. Additur ibid. eo nomine Jovis templum in Thessalia a Suida, rerum Thessalicarum auctore tradi. et Cineas memoraverat, urbem Thessaliae fuisse Phegum (Φηγὸν) et inde Jovis oraculum in Epirum translatum esse. Locus de oraculo in Strabon. lib. VII. extr. interiit, at ex Suida idem τὰ μυθευόμενα apposuit: ex quibus ipsis fabulose narratis apparet, omnino ea, quae de oraculo Dodonaeo, tanquam ex prisca fama, narrata legimus, ad antiquissima tempora referenda esse; mature enim ejus auctoritas intercidit.

Πελασγικέ. Pelasgicum Jovem Dodonaeum appellari, expeditum per se est, quod constat, Pelasgos Dodonam condidisse; v. Herodot. II, 52. Strab. VII. p. 504. 5. fuere enim ea ex gente Thesproti, Chaones et ceteri populi qui haec loca inhabitarunt. Iisdem locis circa Dodonam et Acheloum fluvium antiqua fuit *Graecia*, in qua Pelasgica stirpe orta gens *Graeci*, Γραικοὶ, primum innotuit, auctore Aristotele Meteorol. I, 14. Ex iis fuere *Selli* de quibus paullo post memorabo. At qui Thessalicam hanc Jovis religionem esse voluerant, quia Achilles ex Thessalia oriundus fuit, ad Pelasgos Thessaliae appellationem hanc Jovis in Homero re-

ferre maluere: Πελασγία γὰρ πρότερον ἡ Θεσσαλία ἐκαλεῖτο, ἐξ οὗ καὶ Πελασγικὸς, ὡς ὑπὸ Πελασγῶν τιμώμενος. (recte sic Schol. br. nam sunt corrupta in Schol. Ven. et Leid. et pro ἐξ οὗ καὶ Πελασγικὸς est ἐξ οὗ θαυμαστός) ἐπεὶ Πελασγοὶ κατῴκησαν τὴν Δωδώνην, ἐκβληθέντες [ἀπὸ Βοιωτίας] παρὰ Αἰολέων ἐξ Ἄρνης τῆς Φθιώτιδος. ἡ μέντοι πόλις, Πελασγία. Desiderant haec interpretem. Aeoli stirps tenebat Thessaliae partem, in qua Arne erat, a Boeoto condita, unde Boeoti dicti qui urbem inhabitarunt; recepti ab iis Cadmei Thebis profugi una cum ipsis habitarunt. Annis post Trojam captam LX hi Boeoti cum Cadmeis ejecti sedibus a Thessalis in Boeotiam concesserunt, quae ab iis Boeotiae nomen accepit: Diodor. IV, 67. XIX, 53. Strabo IX, p. 616 A. cf. sup. ad B. 494. 507. p. 292 et 300. Itaque ab Aeolibus, tum, cum Arnen occuparent, Pelasgi sedibus suis in Thessalia ejecti, concesserant Dodonam. Jam verba ἀπὸ Βοιωτίας, male illatum glossema, esse delendum apparet; forte etiam ultima ἡ μέντοι πόλις, Πελασγία. Quod igitur ad epitheton Jovis Dodonaei attinet, quatenus Pelasgicus dictus est, potuit id recte et ab iis, qui Dodonam condiderunt, et ab antiquioribus eorum sedibus ductum esse, cum Thessalia a variis Pelasgica stirpe oriundis populis, permixtis Thracicis gentibus, teneretur, inter quos posthaec Hellenica stirps inclaruit. Mansere Pelasgi et nomen Pelasgicum multis in locis Thessaliae; fuit regio Pelasgiotis, et regio circa Scotussam Pelasgia dicta, in qua templum Jovis fuisse, e quo religio Jovis Dodonam translata fuerit, Suidas tradiderat ap. Strabon. VII, p. 506 C.

Legerant alii in Homero Πελαργικὲ, esse enim intra septum templi Dodonaei collem candidum λόφον λευκὸν, (ἀργὸν,) appellatum *Pelargicum*.

Tandem fuere qui legerent Πελαστικὲ, οὗ πέλας ἐστὶν ὁ ἀήρ. Ζεὺς γάρ ἐστιν ἡ τοῦ κόσμου ψυχὴ, ἀερώδης οὖσα. Ineptientes hi seu grammatici seu philosophi opposita esse voluere πελαστικὸς et τηλόθι ναίων. Enimvero hoc adjectum τηλόθι ναίων ab Achille dictum respectu Trojae longe a Dodona dissitae.

Antiqua, pergunt Scholia A et B, fuit fabula, Deucalionem consuluisse deum: πελιάδος δὲ χρησμὸν αὐτῷ δούσης, κατοικίζει τὸν τόπον collectis iis qui e diluvio servati fuerant (quod alii ad Delphos revocarunt) et terram appellavit *Dodonam* ἀπὸ τοῦ Διὸς καὶ Δωδώνης, μιᾶς τῶν Ὠκεανίδων. Sane Oceanides cum Oceano ad antiquiores fabulas spectarunt. ἡ ἱστορία παρὰ Θρασυβούλῳ καὶ Ἀκεστοδώρῳ. *Thrasybulum* et *Acestodorum* auctores τῶν μυθικῶν fuisse apparet; alter qui-

dem hic, idem fuisse videri posset, qui *Acestorides* auctor τῶν κατὰ πόλιν μυθικῶν λόγοι δ' diserte ap. Photium Cod. 189 memoratus est. Fuisse tamen quoque *Acestodorum*, dubitari nequit: cum et sic legatur in Etymol. in quo hoc Scholion est exscriptum, et in Schol. Sophocl. Oed. Col. 1108 (Br. 1051. ubi Ἀκεσίδωρος corrig.) tum in Μεγαλήπολις apud Stephan. Byz. Ἀκεστόδωρος ὁ περὶ πόλεων συγγεγραφώς. Qui autem haec in Scholiis scripserat non ipse eos scriptores inspexerat, sed memorata sunt illa ex *Epaphrodito*, quod ex Steph. Byz. intelligitur: ὠνόμασται δὲ (Dodona) κατὰ Θρασύβουλον ὡς Ἐπαφρόδιτος ὑπομνηματίζων τὸ β' αἴτιον—quod dudum Bentl. ad Callimachi fragm. p. 424 mutavit in τὸ β' Αἰτίων. nam in Αἴτια Callimachi commentatus erat Epaphroditus, docente Schol. Aeschyli Eumen. 2. De illo homine v. Kuster. ad Suidam in Ἐπαφρόδιτος. Ex Stephano l. c. patet quoque minus accurate in Scholiis et Etymol. ea, quae superius memorata sunt, esse adscripta; habent enim illa se sic; ὠνόμασται δὲ κατὰ Θρασύβουλον—ἀπὸ Δωδώνης μιᾶς τῶν Ὠκεανίδων νυμφῶν. Ἀκεστόδωρος δὲ (λέγει ὠνομάσθαι) ἀπὸ Δωδώνου (f. Δώδωνος) τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης. ad quem locum v. Not. Ibidem p. 321 a *Dodone fluvio* nomen ductum erat apud Herodianum ἐν τῷ ā τῆς καθόλου. Subjiciuntur alia, in Schol. B. quae ad Homerica tempora non spectant: de oraculis per lebetes datis, (nam hoc serioris aetatis est) ex *Demone* et Aristotele. Μενέδημος ap. Steph. Byz. memoratur. Sed scriptor nomine Δήμων laudatur et alibi Sch. br. Od. Υ. 301. de Sardis. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Δήμωνι. (In verbis Sch. B. ὡς διὰ πολλοῦ χρόνου γίνεσθαι τῆς ψυχῆς τὴν περίοδον leg. τῆς ἠχῆς.) Mature etiam hunc per lebetes oraculi edendi morem exolevisse, hinc colligas, quod fama tam incerta traduntur omnia ap. Stephan. Byz. e Menedemo, Polemone, et, qui eum exscripserat, ab Aristide et (Lucillo) Tarrhaeo. De duabus mulieribus fatidicis, dictae erant Πελειάδες, Herodotus videndus est lib. II, 52. ab iis recepta erat Dione, Jovis σύνναος, ap. Strabon. p. 506 C. de qua cf. Jac. Gronov. ad Fragm. Steph. pr. Earum loco Homerus ὑποφήτας memorat: ut jam tum religionem priscam mutatam fuisse intelligas, cum pro feminis memorentur ὑποφῆται· nisi hi istarum interpretes fuerunt. At quercum idem norat: Od. Ξ. 327. 328. Est hoc τὸ χρηστήριον τὸ ναῖον ἐν πυθμένι φηγοῦ in fragm. Hesiodi ap. Schol. Sophocl. Trach. 1082. Ducta forte haec a feritate hominum cavis quercuum truncis pro tectis utentium; spectant haec omnia ad aetatem Pelasgorum antiquissimam.

Curam oraculi habuere Selli inter alios Pelasgicos po-

pulos ea loca incolentes. Ap. Eustath. p. 1057, 46. ex antiquo scriptore recitantur verba: Παίοσιν ὅμοροι Σελλοὶ καὶ Δόλοπες περὶ Δωδώνην μέχρις Ἀχελώου. Ex Sellorum medio fuere antistites sacrorum, ὑποφῆται, iidem ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι. Mature eorum memoriam intercidisse, ex eo patet, quod de iis et oraculo, quamdiu praefuerunt, nil nisi conjectando tradendum habuerunt veteres, quos grammatici consulerant, in quibus erat *Andron* ἐν ἱστορίαις (incertum quis ille inter plures ap. Voss. de hist. gr. fuerit) et Alexander Pleuronius apud Schol. A. ad vs. 235. et Schol. br. Selleentem fluvium ab iis dictum, alii a fluvio Sellos, ariolati erant ap. Apollon. Lex. Adjacebat mons *Tomarus* seu Tmarus, a quo qui norant antistites templi, τοὺς ὑποφήτας Διὸς, dictos Τομούρους, olim scripserant in Od. Π. 403 Διὸς μεγάλοιο τομοῦροι, ubi nunc θέμιστες legitur: v. Strabon. VII. p. 508. Iidem *Selli* ab aliis traditi sunt vero nomine dicti esse *Helli:* v. Obss. ad vs. 234. Reliqua, quae de iis tenemus, sunt pauca haec; hi Selli, Σελλοὶ, dicti quoque Ἑλλοὶ, esse debuere tribus seu gens, stirpis Pelasgicae; ei peculiaris fuit sacrorum cura; vitae genus et institutum affectarunt abhorrens a communi usu, vitae monachorum mendicantium haud absimile, cum sine vitae cultu viverent, nec corpus abluerent, et humi cubarent. Ita inter barbaros non modo, sed inter ipsas feras gentes intellectum est, eos, qui auctoritatem apud multitudinem consequi vellent, externa specie, vitae cultu austeriore, abstinentia et continentia, oculos hominum in se convertere et mirationem facere debere. Haec sunt, quae ex ipso poeta assequimur. Omnia alia inter ariolationes scriptorum referenda sunt. Unum est paullo notabilius; quod ex Alexandro Pleuronio narratur: Hellos fuisse populum Tyrrhenicum et patrio more deum ita coluisse. Fuere autem Tyrrheni e Pelasgicis, confusi a veteribus cum Tyrrhenis Etruscis: ut declaratum a me diligentius in Commentatione de Castoris epochis (*Nov. Commentar. Soc. Gotting.* T. I. p. 80 sq.)

Oraculo cum tota Epiro exitium attulere bellorum calamitates. Dodona vastata fuit Ol. CXL, 1. a. C. 220. ab Aetolis in bello Sociali; v. Polyb. IV, 67, 3. Diodor. Exc. p. 568. Insequuta est altera vastities a Romanis Perseo victo facta, Epiri urbibus LXX, quas videbant sine praesidiis numerosis in potestate se tenere non posse, una die eversis Liv. XLV, 34. Quercus excisa a latrone Illyrio: Servius ad Aen. III, 466.

EXCURSUS AD ILIAD. P.

EXCURSUS I.

Diphthongus elisa ante vocalem, cum aliis observationibus prosodicis ad Homerica.

P. 164 τοίου γὰρ θεράπων πέφατ' ἀνέρος. Esse πέφατ' a πέφαται, non a πέφατο, et in Homericis αι ante vocalem elidi, et ab aliis notatum est, et contra negantes assertum a Clarkio exemplis aliis laudatis ex M. 68. Δ. 235. 271. add. Barnes ad H. 30. Bentleium aegre id admisisse video; cum ubique tales elisiones e carmine eliminare studeat. De tragicis nos non agimus, in quibus, saltem in melicis, easdem tolerandas esse, inter viros doctos convenit; v. c. ad Eurip. Suppl. 786.

Interdum grammatici versum constituerunt alio modo, ut elisione ille haud egeret, v. c. B. 137 εἵατ' ἐνὶ μεγάροις, ubi ab aliis legitur εἵαται ἐν μεγάροις. Voluerunt quoque diphthongum cum vocali contractione colliquescere; quod interdum fieri potest, ut in versu apposito πέφαται 'νερος, ut non nisi una longa sit binis moris constans. Verum manifesta elisionis fides est in multis aliis; ut A. 117 βούλομ' ἐγώ. non enim stare posset βούλομαι 'γώ. 283 λίσσομ' Ἀχιλλῆϊ. E. 475. H. 30. 410. Λ. 272. O. 177. Σ. 294. X. 390. Notabile genus elisionis est in medio versu: N. 827 Τιοίμην δ' ὡς τίετ' | Ἀθηναίη. O. 110 ἤδη γὰρ νῦν ἔλπομ' | Ἄρηΐ γε. T. 136 οὐ δυνάμην λελαθέσθ' | ἄτης. Y. 422 δηρὸν ἑκὰς στρωφᾶσθ', | ἀλλ'. Caesura omnino parum suavis etiam in aliis vocibus occurrit cum elisione: Λ. 739 πρεσβυτάτην δὲ θύγατρ' | εἶχε. Σ. 141 ὀψόμεναί τε γέρονθ' | ἅλιον—καί οἱ πάντ' ἀγορεῦσατ'· | ἐγὼ δ'.

Nec magis de diphthongo οι elisa in fine ante vocalem dubitari potest. Non tamen memini exemplum aliud in Homericis occurrere, praeterquam μοι et τοι. quod tamen ipsum Bentleio tam durum esse visum est, ut mutare mallet; Sic Δ. 341 σφῶϊν μέντ' ἐπέοικε μετὰ πρώτοισιν ἐόντας. ubi μέντ' est μέν τοι. Z. 165 ὅς μ' ἔθελε φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ, pro ὅς μοι. I. 669 εἴπ', ἄγε, μ', ὦ πολύαιν' Ὀδυσεῦ. pro μοι ὦ. idem versus iteratus K. 544. Alias sollenne est diphthongos ante vocales modo correptas modo productas poni sine elisione. Sunt quoque exempla diphthongi circumflexo gravatae, correptae tamen: B. 138 οὕτως ἀκράαντον, οὗ εἵνεκα.— ubi in Obss. notata sunt alia; P. 277 μίνυνθα δὲ καὶ τοῦ Ἀχαιοί. Diphthongi in media voce correptae exempla rara

sunt; sunt tamen: v. c. ἐπειή. ἔμπαιον. Od. Υ. 379. ἔμπαιον, οὐδὲ βίης. βέβληαι Λ. 380. v. tamen Obs. Potest quoque quaeri de δηΐοιο· potest enim esse quoque una syllaba δηι. Potest quoque huc referri υἱός. v. c. Ἕκτορ, υἱὲ Πριάμοιο. Singulare est quod in binis versibus se excipientibus I. 406. 408 ληϊστὴ priore syllaba modo producitur, modo corripitur. An in media voce η et ω ante vocalem in Homericis corripiantur, dum haec scribebam, non memineram. (an η in fine elidatur, quaesitum est ad Ξ. 21. et Φ. 279. De ι elisa agit Schol. K. 277.) ζωὸς laudari nequit, est enim hoc scribendum ζώς. v. ad E. 887. Mirationem facit οἷος circumflexo notata, syllaba priore correpta tamen: οἷδ' ἀρετὴν οἷος ἐσσί N. 275. sic quoque Σ. 105. Od. H. 312.—Ut vero αι et οι ante consonam corripiatur, nullo pacto in Homericis effici vel admitti posse convenit. v. ad I. 414.

Cum autem semel ad observationem prosodicam descenderim: liceat subjungere hujus generis nonnullas alias, in disputatione de locis Homericis obvias; et, quandoquidem a Clarkio, viro docto et acuto, appositae sunt Observationes partim prosodicae partim etymologicae aliquot utilissimae per se, quas tamen ille ad nauseam usque sexcenties inculcat et recoquit, ipse tamen Homeri studiosis invidere nolim: rejiciam eas in summam collectas in hunc Excursum, prosodicas utique, servatis ceteris alium in Excursum; subjunctis tamen a me partim observationibus aliis, partim rationibus forte probabilioribus e quibus observationes istae peti, illustrari aut firmari possint.

Licentiae poeticae nomine vulgo scriptores prosodicos male usos esse recte observavit Clarke ad Il. A. 20 ubi de lectione vitiosa: παῖδα δέ μοι λύσαιτε agebat, et ad B. 43 ubi καλὸν in Homero semper priore producta, in Atticis correpta occurrere notabat: unde quoque argumentatur, Hymnum in Venerem Homeri non esse, nec epigrammata, Hesiodum autem Homero juniorem esse, in quibus similia occurrunt. Quae contra haec monenda sunt, non hujus sunt loci: in Hesiodo ante omnia videndum est, quae sint spuria et interpolata, antequam de carminis summa possit pronuntiari; ita versus Theog. 911 manifesto est mali commatis. Omnino autem *licentiae poeticae* notio est subtilius constituenda. Refertur vulgo ad eam, quodcunque a vocalium longarum et brevium usu communi recedit; enimvero non licenter variari ac mutari possunt multa pronuntiatione, tono, geminatione, positione, qua fit ut breves vocales producantur, longae corripiantur. Est porro diversorum poetarum, diversarum aetatum ac diversorum generum usus in nonnullis

diversus, ut in lyricis, et dramaticis nonnulla sunt diversa ab epicis. Inprimis multa ex dialectorum diversitate profecta sunt; alia inde servata, dum alia exoleverunt. Non itaque mirum, si Ionica et Attica memorari possunt diversam prosodiam sequentia; sunt talia quoque Dorica et Aeolica. Haec ac similia ad licentiam poeticam male referri solere, in propatulo est. Ea autem, quae omni rationi grammaticae et prosodicae repugnant, non tam licentiae poeticae nomine sunt tuenda, quam potius de corruptela ejusque emendatione est cogitandum.

Mihi vero ex ista diversitate, quam modo memoravi, longe alia praeceptio subnata est, multa in prosodicis pro diversis, abhorrentibus et insolentibus habita a duplici forma antiqua ejusdem vocis nata esse.

Ea enim est sermonis graeci poetici invidenda felicitas, quod ejusdem verbi tam varias formas habuit antiquitas, e quibus modo haec modo illa in usu communi permansit, e reliquis unum vel alterum tempus est servatum, quae tamen in poetis, inprimis in Homericis liberum usum pro lubitu aut necessitate habuerant. Habet haec observatio magnam utilitatem ad expediendas difficultates prosodicas. Ita cum ejusdem verbi alia tempora correpta syllaba, alia producta recitari solent; revocatur fere res ad aoristum II. et tempora a futuro secundo ducta. Profuit illa seu ratio seu commentum in multis; at in aliis haeret res: ut κρῖνω, κρῐνῶ bene; attamen a κρῖνω est κεκρῐται ductum. λῦω, λῦσω, λῦσασθαι, λῦσατο. et tamen σῇ δὲ βίῃ λελῦται Il. Θ. 103. τοῦ δ' αὖθι λῦθη E. 296 et alia. Dicitur ab ἴκω, ἴκετο esse imperfectum; ἵκετο aoristus II. At vero saepe occurrit ἴκετο, ubi imperfectum tempus prorsus alienum est: v. c. Σ. 63. 64 ἀλλ' εἶμ' ὄφρα ἴδοιμι—ὅττι μιν ἵκετο πένθος. sic iterum vs. 73 et in prima statim rhapsodia vs. 362 τέκνον, τί κλαίεις; τί δέ σε φρένας ἵκετο πένθος. Expedita in his est ratio, si statuamus, duplex fuisse verbum alterum producta, alterum correpta priore syllaba; etsi hoc alterum ἱκέσθαι nunc scribimus. Inde etiam fit ut ἱκάνω duplici forma occurrat ἴκανω et ἵκανω. ut A. 431 ἐς Χρύσην ἴκανε et 254 ἦ μέγα πένθος Ἀχαιΐδα γαῖαν ἵκανει. cf. ad Σ. 369.

Ita statuere quoque licet fuisse duas olim formas ἄνω et ἄνω. est enim ab hac altera forma ἄνυω. Sic Δ. 56 οὐκ ἀνύω φθονέουσα. At ᾱνω aliquoties: K. 251 ἀλλ' ἴομεν, μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται. Od. B. 58. P. 537 πολλὰ κατάνεται. Occurrit tamen nec minus Σ. 473 καὶ ἔργον ἄνοιτο. ubi v. Obss. et ad K. 251. Verum persequamur primo loco reliqua Clarkiana.

Ad A. 51 βέλος ἐχεπευκὲς ἐφιεὶς, quae apposuit de syllabis

brevibus et longis, sunt ea nunc inter vulgaria, neque nunc repetenda; inspicienda tamen iis, quibus de elementis prosodicis aliunde haud constat.

Ad A. 67. et Z. 434 observata non minus nunc sunt inter vulgaria, vera tamen ac gravia: I. quae, inquit, in α purum (alia vocali ante αω antecedente) desinunt, vel in ραω, ea omnia, ni fallor, penultimam in futuro et aoristo producunt: βοάω. γοάω. δράω. ἐάω, unde βοᾱσω. δρᾱσω. εᾱσω. de quo et saepe dictum est contra Barnes, et longa nota ad Δ. 42. II. Contra futura ab αζω, αζομαι, brevem habent penultimam in ασω. Ita πελάζω, πελᾰσω. ἐργάζομαι, εργᾰσομαι· μεταφρᾰσομεσθα A. 140. Servant eandem rationem verba in ιζω. ὁπλιζω. ὁπλῐσω. οζω, ἁρμόζω. ἁρμο̆σω. III. Servant prosodiam temporis thematici ea, quae inde ducta sunt: ειᾱσα. ἡρπᾰσα. Ergo quoque ιᾱομαι. ιᾱμα. ιᾱτρος. Contra εργᾰτις. In haec facile consentiant omnes; at quoties de iis agitur, quae a positis his recedunt: non ubique Clarkio accedere licet; in aliis meliores suppetunt rationes quam quas ipse apposuit.

Recte monetur, si occurrit v. c. αντιᾰσας, id non ab αντιαω duci posse, sed ab αντιαζω. At "βαινω, βᾰσις, αμβᾰτος, de- "fendit analogia" ait; nec tamen addit, quaenam illa sit. Scilicet manifestum fit, plures fuisse aliquando formas βᾱω, unde βῆμι. βῆσω. βῆμα, βᾱμα, et βᾰω, unde (βανω) βαινω, βᾰσις, βᾰτος et reliqua. Ex hoc βᾰω est praeteritum βεβᾰα. quod male olim per systolen ducebant a βεβηκα. Etsi et hoc recte dixeris: ex βῶ ductum esse βέβα, et interposita vocali βεβᾰα. ut μεμᾰα a μω, μεμα. θνῶ. τέθνα, τεθνᾰα. Ita etiam nonnulla verba brevem vocalem insertam recipiunt: εᾱω. εᾰαω. περᾱω. περᾰαω. μνᾰασθαι. εὐχετᾰασθαι. cf. ad Z. 268. Simile est φαίνω, quod olim erat φᾰω, φᾰνω, φαινω, φαεινω uti est φᾰος. Attamen etiam φᾱεα καλὰ legimus.

Si κερᾰσας et κερασσαμενος legitur: hoc non est a κεραννυμι ducendum; sed statuendum est, ut κερᾱω, ᾱσω, κρᾱω, κρᾱσω, unde κρᾱτηρ, ακρᾱτος, ita quoque fuisse κεραζω, unde κερασμα· ευκεραστος, tum κεραιω, κεραίνω, κεραννυω, κεραννυμι, κιρνω, κιρναω, κιρνημι, κιρνᾰμαι. κεραιρω Il. I. 203 ubi v. Obss. et primitivum κερω, Δ. 260.

Sunt alii modi, quibus poetae sibi consuluere, quoties resisteret metro syllaba longa: scilicet *primo* petierunt brevem a forma in μι. sic ερᾰται, ab ερημι, ερᾰμαι, cum contra sit ερᾱω, ερᾱει. ερᾱται. πιλνᾰται, ex πιλνημι. cum contra sit πιλνᾱω.

Alterum quod succurrebat est, quod nonnullorum verborum duplex extitit forma altera in ᾱω, altera in ᾰω. sic περᾱω et περᾰω. μᾱω, unde μαιμᾱω, et μᾰω, μῶ, unde μεμᾰα.

Ait Clarke πεǫᾶσῃ esse a πιπǫασκω (saltem dixisset a πρασκω) unde πεπρᾶκα, πρᾶσω, πρᾶσῃ, πεǫᾶσῃ. Longius hoc petitum, quam necesse erat. Atqui πεǫᾶω fuit, brevi syllaba, eadem significatione, ut sit trajicio, uti Il. Π. 367 οὐδὲ κατὰ μοῖραν περᾶον πόλιν, unde ad emtionem venditionem traductum est, επεǫασσε Φ. 40. 78. 102. et Od. Ξ. 297 κεῖθι δέ μ' ὡς περάσῃσι. Ergo περᾶω, περᾶσω est formae ejusdem cum γελᾶω, γελᾶσω. σπᾶω, εσπᾶσα. σπασσαμενος.

Tertium est, ut vox dissyllaba, cujus prior producta est, mutetur in trissyllabam priore correpta: Exemplum est φῖλομαι unde εφῖλατο E. 61. 117 ubi v. Clarke. et altera forma φῐλεω. ut φῐλος. Rectius hoc ita efferemus: jam ab initio fuisse duas formas, φῖλω et φῐλεω. (etiam φῖλημι. E. 117. K. 280 et φῐλημεναι X. 265. ad quae loca cf. Obss.) πειθω, πῐθεω, πιθῶ, επιθομην. φαινω, εφηνα, πεφηνα et φᾰνῶ, εφᾰνον. Pari modo, quo τυπω, τυπτω. et τυπω, ετυπον. τετυπα. βρῖθω. βεβρῖθα, et alia forma βρῐθῶ, εβρῐθον.

Nam ut hoc *quarto* loco adjiciam, si semel hoc admiseris, fuisse pristina aetate plures ejusdem verbi formas, dissipabuntur plerumque nebulae, quas alio modo haud facile dispellas: nam quod Clarke ait ad B. 314 " praeterita alia ab " aoristo II. alia aliunde ducta esse" haud multum satisfacit morosiori. Quod nunc πρασσω, πρησσω est, fuisse aliquando πρᾶγω, πρηγω, unde πǫηξω (πρηγσω) πεπǫᾶγω, πρῆξις, πρᾶξις, πǫᾶγμα, passim jam inter viros doctos convenit; Jam ex hoc, ut supra φῖλω, φῐλεω, ductum est πρᾰγεω, πǫᾰγῶ, επρᾰγον. Similiter se habent ea, de quibus Clarke disputat ad B. 67. κραζω, fuit quoque κρᾶγω. κρηγω. κεκǫᾶγα. Et idem κǫᾰγω, εκρᾰγον. Sic κλαζω, fuit quoque κλᾶγω, κληγω, κλᾰγω, εκλᾰγον. Nec aliter κǫῖγω. τǫῖγω. μῦκω et μῦκω μεμῦκα. φρισσω, φρῖκω, πεφρῖκα, et φρῐκω εφρῐκον. φραζω. φǫᾶδω, φρᾶσω. φρᾰδῶ, εφρᾰδον. πεφρᾰδα. Omnino plura praeterita perfecta in anomalis recensentur, quae supersunt ex antiquis formis: τετρηχει δ' αγορα, a τǫηχω. εǫǫῖγα a ǫῖγω, alia forma fuit ǫῐγω et ρῐγεω, εǫǫῐγον. Clarke cum aliis verba hujus generis a futuro ducit ad A. 51. n. 12. 314. 348. nulla justa de caussa. Et quid? si ait: " κρῖνω. εκǫῖνον. fut. secundum κρινῶ. unde " κǫῐσις. κρῐτης. κρῐτος." An vero et κεκρῐμαι ductum est a futuro II? Immo vero fuere duae formae: κρῖνω et κρῐνω. κῦρω, κῠρω. μαρτῡρομαι et μαρτῠρω, μαρτῠρεω. Recordandum est, omnem vocalem longam continere duas breves, seu duas moras; et omnino longa vocalis nihil aliud est quam brevis eadem duplicata: κρῐνω, κρῐῐνω, contracte κρῖνω. Simili modo statuendum erit de ceteris.

Est genus verborum, in quo judicium hoc inprimis locum

habet; scilicet verba desinentia in ιω et υω, penultima modo brevi, modo producta, modo, quod aiunt, ancipite. Si recte judico, utraque forma per se est brevis; eadem tamen quoque producitur vocali geminata; ιιω et υυω vel υιω. ita tamen ut usus variet. Videamus primo de verbis in ιω.

Verba in ιω utraque prosodia occurrunt sequentia: μηνΐω· ut A. 247 Ἀτρείδης δ' ἑτέρωθεν εμηνΐε. sic quoque 422. et al. et tamen B. 769 ὄφρ' Ἀχιλεὺς μηνῖεν. et vs. 772 κεῖτ' επιμηνῖσας Ἀγαμέμνονι. Fuit φθΐω, φθῖνω. et φθΐω. φθΐμι. φθΐνω. φθινῦθω. v. ad Σ. 446. τῖω. τῖνω. et τΐω. τΐνω. Apud Atticos etiam φθΐνω et τΐνω priore brevi. v. Obss. 258. Clarke ad B. 43 extr. Ex his diversis formis deducta tempora prosodia variare quis miretur! At alia modo parum sunt frequentata, modo una tantum forma, ā κτιω, κτιζω fuit κτΐμι, unde est ευκτΐμενος. αγακτΐμενος. et κτΐμενη τανύπεπλος. et κονΐω κονιζω, κονΐσω, quia a brevi κονις, κονΐος. κονΐη ducta sunt.

Verba in υω duplici prosodia in Homero obvia sunt: ut λῦω et λΰω· v. ad A. 314. Adde φύω, φῦσω, πεφυκα, φῦλον, φῦταλιη. et φΰω, Z. 148. πεφΰα, φΰη, φΰτον, φΰτευω, εὐφΰης et al. αλΰω, et tamen αλῦων I. 398. in Exc. IV, ad Il. T. itaque diversa prosodia sunt λῦσω. λελῦμαι. λΰθη. λΰθεις. (ut in nostro libro P. 298. 318.) Similia de θυω, ρυω, notat Etymologus in θύω. ρΰω, fluo, est Od. Γ. 455 τῆς δ' ὅταν ἐκ μέλαν αἷμα ῥΰη. et notum αμφιρΰτος. Notione diversa sunt ρῦω, tueor, servo, et ερΰω traho: de quibus v. Excurs. IV, ad A. μΰω et μῦω. Ω. 637 οὐ γάρ πω μῦσαν ὄσσε et vs. 420 σὺν δ' ἕλκεα πάντα μεμῦκεν.—ημΰω et ημῦω: B. 148 ἐπί τ' ημΰει ἀσταχύεσσι et 373 τῷ κε τάχ' ημῦσει πόλις.—αλΰω et αλῦω. ἦ αλῦεις; at αλῦων I. 398.—ὕω, pluo ΰω et ῦω. ῦε δ' ἄρα Ζεύς. et al. et ῦετος M. 133. at ab ΰω, αφΰω, αφυσσω. et ipsum ΰδωρ. ποιπνΰω et ποιπνῦω. Il. A. 600 et Σ. 421. ερητΰω et ερητῦω· v. c. B. 75 et 97.

Interea, quae una tantum forma leguntur sunt ανΰω. ηπΰω, βρΰω, ερΰω, contra ρῦω, ταρχῦω. Etiam εἰλῦω ubique productum occurrit; si tamen ειλΰφοων recte se habet, item ειλΰω esse debuit. de quo v. ad Λ. 156. M. 286. Interdum syllaba υω etiam pronuntiatur υνω. ιθΰω. et ιθῦω, ιθῦνω, ut Λ. 551. P. 661 ιθῦει, ἀλλ' οὔτι πρήσσει. de leone. M. 443 ἴθῦσαν δ' ἐπὶ τεῖχος et al. Σ. 175 Τρῶες ἐπιθῦουσι. et βέλος δ' ιθῦνεν Ἀθήνη. θῦω θῦνω, ruo, μαίνομαι. unde Θῦαδες Θῦωνη. A. 342 ὀλοῇσι φρεσὶ θῦει. E. 96 θῦνοντ' ἀν πεδίον. et θΰω. θΰω sacrifico, ut Od. O. 222. θῦε δ' Ἀθήνη et vs. 260 ἐπεί σε θΰοντα κιχάνω—λίσσομ' ὑπὲρ θυέων.—ξῦω, ξῦνω. ut γῆρας ἀποξῦσας I. 446. At exemplam τοῦ ξΰω non occurrit; est pro eo ξεω. ut nec τοῦ χΰω, unde κεχΰμαι, sunt aliae formae, χεω. χευω. ut ἔσσυμαι, non συω, sed σεύω. σείω. At ἱδρΰω pariter cum ἱδρῦω. ἱδρῦνω.

Sic ἵδρυε B. 191 καὶ ἄλλους ἵδρυε λαούς. et O. 142 ἵδρυσε λαόν et Γ. 78 ἱδρυνθη τε λαός.

Saepius verba in υω etiam variant forma in υμι· κλυω et κλυμι· unde apparet, fuisse quoque κλυω. Nunc occurrunt tantum: μαλα δ' εκλυον αὐτου. et κλυθι μου. κλυτε, φιλοι. et κεκλυθι. κεκλυτε.—δυω, δυνω. δυμι. ut in illis: ἀρήϊα τεύχεα δυω. Et tamen O. 345 φέβοντο δυοντο δέ. et Od. X. 114 τὼ δμῶε δυεσθην. πνυω. πνυμι. ut in πεπνυμενος. πεπνυσαι τε νόον. αμπνυτο. et tamen X. 222 αμπνυε, ergo πνυω. Sunt alia, ex quibus non nisi una forma in Homericis occurrit: ορνυω. ορνυμι. ρηγνυω. ρηγνυμι. (nam P. 751 σθένεϊ ρηγνυσι ρέοντες est ex ρηγνυασι.) Interdum tantum forma in μι. εννυμι, αγνυμι. nusquam αγνυω. αρνυμαι. αχνυμαι. ζωννυμαι. K. 78 ζωννυθ' ὅτ' ἐς πόλεμον. εἰλυω, ειλυμι. etsi et hoc ad unam formam υω revocari potest in ειλυτο, si fuit pro ειλυετο. Contra ειλυαται locum non habet: v. ad M. 286. Alia omnino non occurrunt, etsi serius frequentata μιγνυμι, cum tamen occurrant μιγω, μισγω, μιγῶ. μίγημεναι. τανυω, τανυμι, ut hoc ipso libro P. 393 τανυται δέ τε πᾶσα διὰ πρὸ. ολλυω. (ολλυσαι Θ. 449) et tamen ολλυμι. ολλυμενων ἀνδρῶν. δαινυμι. ἥμεθα δαινυμενοι. et tamen I. 70 δαινυ δαῖτα γέρουσιν. Od. Γ. 309 δαινυ τάφον Ἀργείοισιν.

In his omnibus videor mihi duplicem formam agnoscere diversa prosodia: cum υω natura esset brevis, produceretur tamen mora geminata: quod etiam in nonnullis ipsa scriptura arguit: ut οπυιειν. sicque veteres scripsisse αλυιειν pro αλυειν, observat Eustath. ad Od. I. 398. Rich. Payne Knight acute conjectabat in his syllabam brevem productam esse interposito digammo: λυω, λυϝω. κλυω, κλυϝω. δακρυον, δακρυϝω.

Foenerantur tandem ex his lucem aliquam verba in υμι. Clarke ad Γ. 260 ἵππους ζευγνύμεναι observat: "qua analogia fit δίδωμι, δίδως, δίδωσι, δίδομεν, δίδομαι, δίδου, διδόναι, δόμεναι; eadem fit ζευγυμι. ζευγνυς. ζευγνυσι. ζευγνυμεν. ζευγνυμαι. ζευγνυ. ζευγνυναι. ζευγνυμεναι. et similia in verbis istius formae omnibus; neque in his licentiae locus est ullus." In nota ad I. 70 addit exempla e tragicis. Recte haec observata; caussam vero grammaticam parum ita perspicies. Porro res ne quidem sic est expedita; nam eadem forma duplici prosodia occurrit: ἵππους ζευγνυμεναι Γ. 260 et al. at Π. 145 θοῶς ζευγνυμεν' ἄνωγε. Possis putare, fuisse duas formas ζευγνυμι et ζευγνυω. non enim reliqua his respondent. Praestat ergo dicere fuisse duas formas: ζευγνυω, ζευγνυμι. et ζευγνυω, ζευγνυμι. hoc quidem ex ζευγνυιω, ζευγνυιμι, et ducta ex his esse ea quae in poetis occurrunt, modo hoc ex una, modo illud ex altera forma. Omnino enim

verba in μι duplicis formae fuere: δοω. δομι et δοομι, δῶμι. quod docent tempora. θεμι, θεεμι, θημι, τιθημι. ergo et διδόαμεν, διδῶμεν, sicque ζευγνύιμεν, ζευγνῦμεν. et sic porro. Conveniunt alia: ομνῦω. ομνῦμι. (ut Ξ. 278 ωμνῦε δ' ὡς ἐκέλευε et Ψ. 585 ομνῦθι μή μιν ἑκών.) At ομνῦμι a tragicis frequentatur, ut ομνῦμι γαῖαν λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς Eurip. Med. 752.

Ab eodem principio puto caussas repeti posse, cur verbi ἵημι et ex eo compositorum, μεθίημι inprimis et ξυνίημι, tum et ἀνίημι, ἀφίημι, ἐνίημι, ἐφίημι, καθίημι, προίημι, tam varius et incertus usus syllabae ι reperiatur. Trepidavi et ipse in his vocibus, ut μεθιεῖς et μεθίεις vel μεθίης Z. 523. K. 121. N. 118. add. 234. O. 716. et ξύνιον A. 273. ad quae loca v. Obss. Expensis his diu multumque, nullam video meliorem esse expediendi viam, quam hoc ipso posito, adhiberi tempora a diversis formis; fuisse enim ῑω et ῑημι, et ἵεω, ἵημι. Ita vidi singula facile ad suas rationes revocari, si modo longa, modo brevis syllaba ι adhibetur. Ita: μεθῑετε Δ. 234. M. 409. N. 116. μεθῑεμεν' Δ. 351. N. 114. μεθῑεμεν Ξ. 364. Et tamen μεθῑῃς Od. Δ. 372. ὅστις—μεθῑῃσι μάχεσθαι Il. N. 234. μεθῑεντας Δ. 240. μεθῑεν pro μεθίεσαν Od. Φ. 377 et alia. A μεθῑεω, μεθῑῶ, ducta sunt Z. 523 ἀλλὰ ἑκὼν μεθιεῖς τε. K. 121 πολλάκι γὰρ μεθιεῖ. Sicque reliqua. Nec vidi, quod repugnet his a me positis, quam quod imperfecta in ῑει occurrunt quae esse debebant ἵει, quippe ab ἵεω ducenda, aut esse debebant ῑη ab ῑημι. Sic O. 716 ἐπεὶ λάβεν, οὐχὶ μεθῑει. Π. 762. Φ. 72 nisi dixeris, praesens a μεθίω, μεθῑει, esse in re praeterita positum. Apponam reliqua, quae in ordinem cogi recusant; ανῑει O. 24. εν—ῑει Π. 152. ῑει Γ. 221. In his equidem malim scriptum esse ῑη, ab ῑημι, ῑην, ῑης, ῑη. Pro his sunt innumera alia, in quibus observatio bene convenit, etiam in imperfectis: A. 25 ἀλλὰ κακῶς ἀφῑει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε. A. 326 ὡς εἰπὼν, προῑει. (a προίεον) 336 ὃς σφῶϊ προῑει. Γ. 118 αὐτὰρ ὁ Ταλθύβιον προῑει. et—προῑει δολιχόσκιον ἔγχος, ut saepe sic προῑει in imperfecto. Itaque B. 752, ubi est praesens: ὅς ῥ' ἐς Πηνειὸν προῑει καλλίῤῥοον ὕδωρ, video nunc scribendum esse προιεῖ ab ἵεω. Porro προῑεις Od. Ω. 332. (Recte tamen se quoque habet προῑῃν Od. I. 88. K. 100. M. 9.) Et ipsum primitivum ἵει ab ἵεω. A. 479 τοῖσιν δ' ἴκμενον οὖρον ἵει. et sic Δ. 397. M. 25. N. 650. X. 316. Contra recte quoque ex ἵημι, est M. 33 ᾗπερ πρόσθεν ἵεν καλλίῤῥοον ὕδωρ, pro ἵεσαν.

Inter haec manent intacta ista: quod ab εἶμι, (ex ἴμι) vado, omnia ducta sunt brevi syllaba, ἴον. ἴες. ἴε. ἴειην. ἴμεναι. unum est ῑομεν, Φ. 438 accentus vi in trinis brevibus. ἵημι autem, cupio, est Fιημι. Fιεμενοι et sic porro.

A pronuntiatione petenda est praeceptio de syllabis com-

positis, quae tamen corripi videntur: Ad B. 537 πολυστάφυλόν θ' Ἱστίαιαν. bene monet Clarke: syllabam natura brevem sequentibus duabus consonis, a quibus syllaba incipit, corripi tamen posse; esse enim dividendum: ρῠ—θμος. κᾰ—πνος. τĕ—κνον. In poemate tamen epico, in quo oratio grandis et sublimis esse debet, et a sermone vulgari quam maxime differre, hujusmodi syllabas multo rarius occurrere. Scilicet in pronuntiatione sermonis et dialogi vitae communis aut ad ejus usum adumbrati, aurium offensio obscuratur; non aeque in pronuntiatione modulata ac numerosa. Recte haec monita sunt, et disertius exposita a Dawes, Burgess et aliis; liberrimi usus in Comicis, at variis disputationibus jactata in Tragicis a recentioribus Criticis. In Homero tamen, non dicendum erat, rarius ea occurrere, sed *omnino non* reperiri; emendanda esse talia, si libris insideant. Nusquam καπνὸς, et τέκνον priore brevi reperiuntur; nec magis syllaba brevis ante στ. στρ. σκ. σμ. adde σπ. σφ. σχ. quod in tragicis quoque ita se habere asseruit Brunck. ad Sophocl. Aj. 1077. Contraria memorantur Σκάμανδρος, quod pronuntiatum, forte et scriptum fuisse videtur Κάμανδρος, (v. ad B. 465) Αἰγύπτιος I. 382 et aliquoties in Odyssea. Potuit tamen nec minus haud una tantum ratio ac via in his inita esse; ita Ἱστίαια trinis syllabis pronuntiari, ι in Iod mutato aut pronuntiando potuit σ tolli, ut in Σκαμανδρος et similibus. Ita quoque Αἰγυπτίας I. 382 pronuntiari potuit Αἰγυπτιας et Αἰγυπίας vel Αἰγυτίας.

In Homericis unum ex hoc genere est, quod difficultatem certi aliquid statuendi habet, voc. ἀνδρότης. Ter occurrit—λιποῦσ' ἀνδροτῆτα καὶ ἥβην Π. 857 ubi v. Obss. Volunt viri docti ουσ' ανδρο efficere dactylum. Quod si ἀδροτῆτα non admittitur, malim saltem dicere pronuntiando ν vel δ ejectum fuisse: ut in nostris recentibus linguis multae litterae scribuntur, nec pronuntiantur. In alio exemplo Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ expedita est ratio, pronuntiatum esse Ἐνυαλίῳ 'νδρειφόντῃ v. ad B. 651. quod et a Knightio probatum vidi p. 31. Idem docte observavit ante κν. πν. τμ. in Homero semper produci vocalem brevem; itaque ὤλκα τέμνει non est Homericum, sed τέμει, Il. N. 707. Porro ante duplices ζ, ξ, ψ, (ex δσ. κσ. et γσ. πσ.) produci vocalem; Corripi tamen, si per se pronuntietur, B. 824 οἱ δὲ Ζέλειαν. et Δ. 103. ubi v. Obss. Pronuntiandum erat idem de omni vocali, quae consonas duplices antecedit; sic ante βλ. βρ. πλ. πρ. δρ. δμ. et sic porro: v. c. ἔβλαψας μ' Ἑκάεργε. Enotabunt exempla contraria, in quibus syllaba, quae duas consonas antecedit,

corripitur. Mihi occurrebat tantum τρ. πρ. τοῖς δὲ τριήκοντα. aut οὐδ' ὅγε πρὶν A. 97. et Μοῖρα κραταιή.

A dialectorum diversitate peti possunt alia, atque ideo recte observatur, Ionica differre ab Atticis, ut in quarto casu in εα et ηα; quod facile concedam, dummodo malis dicere, antiquas fuisse duas formas, quarum altera in usu Ionum, altera in Atticorum usu est servata: Πηλῆᾰ, Ἀχιλλῆᾰ Ionica sunt, Attica vero Πηλεᾶ, Ἀχιλεᾶ. Quaerit Clarke ad A. 265. sitne ibi Θησεᾶ pro Homerico habendum. Nec tamen res eo loco expediri satis potest, ut nec T. 229 νηλέα θυμὸν ἔχοντες et A. 45 ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην. Probabilius fit, Atticam rationem esse ab Homericis alienam et esse habenda pro Homericis Θησεᾰ uti O. 202 est ἀπηνεᾰ. Leve, notabile tamen est, cum Ἀχιλεὺς, Ἀχιλεῦ, frequentetur, casus alios non reperiri, praeterquam Ἀχιλλεῖ Il. Ψ. 793. nusquam Ἀχιλλέα.

De vi pronuntiationis et toni inde a Clarkii tempore multa disputata sunt a viris doctis, primo Dawesio et Burgess, tum a Payne Knight, et ab aliis ad Tragicos et Comicos, nunc et ad Lyricos; quorum tamen pleraque, etsi docte et acute pronuntiata, ad Homerum haud spectant. In hoc multo magis obvia res est, *vocales breves produci*, quam longas corripi;

Vulgatissimum est *vocalem brevem produci consona sequente geminata:* id quod per poetas post Homerum multo magis increbuit; etiam a poetis Latinis frequentatum; neque id mirum fieri, tono, caesura et pronuntiatione adjuvante, quandoquidem hac sola vocales breves producuntur. Sunt in his voces quoque, quarum syllabae frequentius geminata consona producuntur, quam brevibus nudis adhibentur, ut, λίσσομαι pro λίσομαι· κνίσση pro κνίση. Mirum in his cum Ἀχιλεὺς, Ὀδυσεὺς, primitus fuerit, atque inde demum ductum Ἀχιλλεὺς, non inverse, obtinuisse in vulgari scriptione Ἀχιλλεὺς, Ὀδυσσεὺς, *Achilles* non, *Achiles*.

Est porro mira inconstantia in litteris his per scripturam geminandis, in codicibus scriptis et prelo excusis, cum in eadem pagina modo hoc modo alterum sequamur. Antiquiores pronuntiatione, non scriptione, litteras geminasse, mihi satis liquere videtur idque saepe pro explorato posui; Vetustiores utique non scripsere A. 344 ὅππως οἱ sed ὅπως, et pronuntiarunt ὅππως. serius invaluit mos scribendo quoque consonas geminare; at enim receptum id est primo in paucis, ab alio in aliis, et sic porro: codices, nec modo sequiores, sed ipsi antiquiores, sine judicio certo, variant in sin-

gulis et omnibus, et perperam jactatur in his antiquorum codicum auctoritas. Innumeris exemplis hoc mihi constitit, etiam in Aristarcheis ac similibus. Editores autem modo hoc retinuere, modo aliud rejecerunt, modo novarunt; neque video, quomodo certi aliquid in ullo scriptore haberi possit, nisi quis paullo audacior omnia ad unam normam novaverit. Neque ego severiora satis sequutus sum in Iliade; inprimis cum viderem, nimis multa alia servanda esse in scriptura, quae Homerica utique non sunt, ne antiquiora quidem; neque volebam malam sedulitatem adhibere in minutiis his, cum nimis multas alias, pro instituti ratione, mihi memorandas esse viderem. Sunt in istis nonnulla mira religione adservata: cum ὅππως, ἔμμεναι, ἔδδεισεν, omnes scribant, nemo tamen audet scribere Ἀππόλλωνι, Ἀππόλλωνα, quod toties factu opus erat. Ἆρες, Ἄρες, E. 31 apparet fuisse Ἄρης natura breve, pronuntiando longum; neque tamen scriptum Αρρης. Ita ἄλλοφος K. 258 scribere non audemus, at ἄλληκτον πολεμίζειν ubique; B. 452 et alibi.

Producitur vocalis brevis etiam in syllabis quae tonum non habent, sequentibus consonis, nec modo binis, quam positionem vocamus, verum etiam singulis consonis, inprimis λ, μ, ν, ρ, geminandis tamen pronuntiando[a], v. c. πολλὰ λισσομένη E. 358 pronuntiatum fuit haud dubie πολλαλλισσομενη. et hujus generis sunt multa; nemo tamen in his geminare consonam audet; quod tamen fieri solet in his verbis compositis, ἀπολλήξας. μεταλλῆξαι. ἀποῤῥῆξαι.

Revocavi ad hoc genus notum illud ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε, ut pronuntiatum sit ὡς ὁτταυθ'. v. A. 193. O. 539 ἕως ὁ τῷ πολέμιζε. ὡς ὀττω v. Obss. Od. H. 280 νῆχον πάλιν ἕως ἐπῆλθον pronuntiatum ὡς εππηλθον, nisi fuit ὥς ἄρ' ἐπῆλθον, ut Ξ. 457 νὺξ δ' ἄῤ ἐπῆλθε κακή. sic et Od. I. 233. Mirum autem in his ἕως esse servatum toties, cum in aliis eodem loco sit ὡς. ἤϊα de viatico et de palea mediam modo productam habet modo correptam. Clarke ad Od. B. 289 ὅπλισσον δ' ἤϊα, καὶ ἄγγεσιν ἄρσον ἅπαντα. mediam natura esse longam ait, reprehenso Barnes, qui anapaestum esse aiebat; Jam hoc quidem ut recte factum arbitror, prorsus enim anapaestos ex heroico versu proscribendos esse censeo; at alterum, quod fatetur, corripi quoque eandem mediam, non video, quomodo fieri possit cum ratione. Inverso modo bene intelligo, fieri posse, ut brevis producatur, tono aut alia caussa; statuo itaque ἤϊα mediam natura habere brevem. Nata vox ἀπὸ τοῦ ἰέναι. Od. Δ. 363 καί νύ κεν ἤϊα πάντα κατέφθιτο καὶ μένε' ἀνδρῶν. item Od.

[a] De geminatis litteris pronuntiando, cf. Burgess ad Dawes. p. 413. post p. 159. 168. καλλα Dores ap. Apollon. Reiz. p. 435, extr.

M. 329. Loca vero, in quibus producta est media, laborare suspicor vitio, cum ηἷα dissyllabum sit, uti est Od. I. 212— ἀσκὸν μέγαν ἠδὲ καὶ ηἷα. Sic E. 266 et ηἵων θημῶνα E. 368. forte Il. N. 103 θώων, πορδαλίων τε, λύκων τ' ἤϊα πέλονται, excidit particula interposita, cum esset v. c. λύκων τε τάχ' ηἷα πέλονται. et Od. B. 289. ubi legitur ὅπλισσον δ' ἤϊα, fuit ὅπλισσον δέ τοι ηἷα· vel ὅπλισσόν τ' ὦκ' ηἷα. Sic H. 417 ἀλλ' ὡπλίζοντο μάλ' ὦκα. Od. Ω. 494 ἀλλ' ὁπλιζώμεθα θᾶσσον. Od. B. 410 δεῦτε, φίλοι, ἤϊα φερώμεθα, probabile est fuisse καὶ ηἷα φερώμεθα, uti Il. N. 481 δεῦτε, φίλοι, καί μ' οἴῳ ἀμύνετε. Praestare sane horum nihil possum; speciosa modo sequimur.

Confidere his licet tanto minus, quoniam nondum expeditum habeo, quatenus in media voce vocalis modo produci modo corripi possit, etiam *ante vocalem*. In aliis enim verbis constanter video moram servari; in aliis variari. Sic ἄω *spiro*, vel ἀέω. putes natura brevem esse priorem; et est altera forma ἄημι, quae ubique priore correpta occurrit: ἄη. Od. M. 325 ἄλληκτος ἄη νότος. Il. I. 5 τὼ δὲ Θρῄκηθεν ἄητον. E. 526 ἄεντες. Od. E. 478 τοὺς μὲν ἄρ' οὔτ' ἀνέμων διάει μένος ὑγρὸν ἄεντων. Et ductum hinc ἄητης, utique priore correpta. Est quoque ἄεσαν Od. O. 40 ἔνθα δὲ νύκτ' ἀέσαι et 188 ἔνθα δὲ νύκτ' ἄεσαν. At Od. Π. 367 οὔποτ' ἐπ' ἠπείρου νύκτ' ᾅσαμεν potest quidem hoc videri contractum ex ἀέσαμεν. Attamen nec minus ᾱεσαν occurrit, ut Od. Γ. 151 νύκτα μὲν ἀέσαμεν. Od. T. 342 ᾱεσα καί τ' ἀνέμεινα. hic tono productam syllabam dicendum est; nisi mecum (Obss. ad O. 252 p. 50.) statuas, in his olim digammum interpositum fuisse αϝεσα. Ductum hinc ἀΐω *spiro*, *efflo*, semel tantum occurrit Il. O. 252 ἐπεὶ φίλον ᾱιον ἦτορ. ubi vid. Obss. Et tamen ex eadem stirpe Π. 468 θυμὸν ἄϊσθων. Necesse tamen est ab hoc ἄω, *spiro*, etiam formam fuisse αὔω vel ἀΰω, quandoquidem ductum hinc est ἀϋτμή, spiritus. v. c. K. 89 εἰσόκ' ἀϋτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ. At ἀΰω, *clamo*, sequitur communem usum, ut sit ἀῦω, ut saepe ἄῡσας. ἤῡσε. ἄῡτη.

Est similis vox ἀΐω audio: prima brevi frequentatissimum; οὐκ ἄϊεις; K. 160. O. 248 et al. sicque ἄϊε Λ. 463 ἄϊον. ἄϊοντες et al. Attamen K. 532 Νέστωρ δὲ πρῶτος κτύπον ᾱϊε φώνησέν τε, sic quoque Φ. 388. An et hoc αϝιε? cf. Obss. ad O. 252.

Inter verba ambiguae prosodiae refer quoque ῑανθην et ῐανθην. Ψ. 598. 600.

Sunt aliae Clarkii observationes prosodicae, partim nunc satis notae ac vulgares, partim ad loca singularia spectantes. Ad prius genus referas, quod contrahuntur duae vocales breves, vocalis brevis cum longa; ad B. 811. προπάροιθε πόλεος vel πόλεως, binis syllabis; non bene tamen me-

moratur quoque πόλιος. et χρύσεος, quod saepissime dissyllabum legitur; σκήπτρου ὑπὸ χρυσεου pro χρυσοῦ. Ad alterum notae ad E. 487. λίνου ἁλόντε. de ὕλη ad E. 708 de καρὸς αἴσῃ I. 378. ubi dicta de his v. in Obss.

Uti multorum quae ad prosodiam Graecam spectant, rationem reddere licet, sic satis idoneam: ita restant alia, de quorum caussis tantum ariolamur. Tribus brevibus se excipientibus primam produci, jam veterum monitis constat: v. Eustath. p. 566. At si legimus: διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε et sic alia: incerta res manet; v. Obss. ad Γ. 357. Mihi probabile fit excidisse in his ἄρ, et διὰ una syllaba esse pronuntiatum, quod analogiae in aliis convenit: διὰ μὲν ἄρ' ἀσπίδος. An ἀνέρες, ἱερὸς et similia cum Eustathio recte eodem referantur, videndum est; licet tamen suspicari, αννηρ et αννερες, ανρες, ανδρες. pronuntiando variatum esse. ὕδωρ primam habere brevem et longam dicitur; dicere malim primam esse non nisi brevem ὕδωρ ab ὕω, sed geminata littera factum ὕδδωρ. etsi scriptura non in usum venit. Qua vero analogia πῦρ faciat πῦρος, haud dixerim; nisi ab initio fuit forma vocis duplex πῦρ et πὔρ, e qua mansere casus obliqui in usu. ορνῖς ultimam habet brevem; v. c. M. 218. Ω. 219. et tamen est ορνῖθος, ut credas fuisse ορνιθς.

Suavissime affici aures lenitate mira dictionis Ionicae etiam indoctiorem sentire necesse est, et quantum ei studuerit poeta, si exemplum commemorandum est, vel ex supra observatis apparet, breves vocales ante duplices consonas ubique produci. Occurrunt tamen passim versus, qui aurium nostrarum judicium offendunt: ut A. 29 πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισι. 407 τῶν νῦν μιν μνήσασα. E. 500 ζωὸν γόον Ἕκτορα. Et sic saepe inprimis in monosyllabis cumulandis.

EXCURSUS II.

Observationes nonnullae grammaticae ad Homerica.

P. 706 αὐτὸς δ' αὐτ' ἐπὶ Πατρόκλῳ ἥρωϊ βεβήκει, στῆ δὲ παρ' Αἰάντεσσι κιὼν, εἶθαρ τε προσηύδα.

Cum paullo ante Excursum impenderim colligendis observationibus prosodicis sparsim a Clarkio allatis, subjectis inde aliis: non pigebit, alio Excursu complecti observationes nonnullas grammaticas, quas ille pro more suo sexcenties iteravit; subjunctoque judicio de iis meo subnectam quaedam alia ejus generis observata. Si enim haec per digressionem in loco separato afferuntur, possunt ea praeteriri facile ab iis, qui haec aut non curant, aut fastidiunt.

Laudatissima Clarkii observatio est ea, quam ad Il. A.

37 ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας apposuit de temporum vera natura et divisione; esse enim omnis verbi tempora tempus *praeteritum, praesens* et *futurum*, unumquodque iterum rei *imperfectae* et rei *perfectae;* ita v. c. abibat, abierat. abit, abiit. abibit, abierit. praestabat graeca addere: ἀπέβαινε, ἀποβεβήκει, ἀποβαίνει, ἀποβέβηκε et ἀπέβη. ἀποβήσει, ἀποβήσειεν ἄν. postremum nescio an usus probaverit. Res per se nunc est vulgata, impugnata ea ab illustri Monboddo, defensa ab aliis, etiam a viro acutissimo R. Payne Knight. Scilicet, logice recte se habet observatio; non vero usu vulgari ubique probata.

Subtilius si rem exsequaris, quodvis tempus momenta habet plura; at singula non possunt sermone distingui, nec ut distinguantur necesse est; sufficit tria esse omnino momenta, praeteritum, praesens et futurum; haec plerumque pinguius ponuntur; interdum tamen res ita ferre potest, ut in praeterito, praesenti et futuro iterum discernantur duo momenta, rei jam absolutae ac perfectae, et actionis adhuc durantis. Haec universe pronuntiata bene se habent, possunt etiam exemplis verborum declarari, ut ipse proposuit: *abierat, abibat; abiit, abit; abierit, abibit.* Enimvero ipso loquendi usu tum linguarum more et sermonis indole in multis subtilitas ista logica non observatur; omnino tempus praeteritum adhibetur promiscue, modo imperfectum, modo perfectum; praeterea eadem sententia et enuntiatio non uno modo potest cogitatione concipi, et potest actio aliqua non uno modo recte enarrari, diversis temporis momentis enuntiata: potest in tempus jam praeteritum rejici, modo tanquam finita modo tanquam durante actione, modo tanquam praesens res geratur; facit ea ipsa res ad fastidium tollendum, variata oratione. Licebit itaque saepe eandem propositionem diversis temporibus enuntiare. Interdum altera ratio alteri sermoni est accommodatior et usu magis frequentata. Quod ipse laudat e Sophocle: ὃς μετὰ ζώντων ὅτ' ἦν, ἤκου' ἄριστα, recte poterit latine reddi: *quamdiu vixit, bona fama floruit;* etsi graeca variata sunt: *quamdiu vivebat, bona fama utebatur.*

At sunt multa alia loca, in quibus temporum ratio majore subtilitate indiget, ut eorum se excipientium sequela et ordo ipsis rebus respondeat; ut, quae antecesserint et absoluta sint, alio tempore enuntientur, quam subsequentia vel durantia et imperfecta; ducuntur hinc praecepta de consequutione temporum.

Secundum haec, quae unicuique, qui animum ad haec adverterit, facile occurrent, poetae non tam licenter agunt,

quam, modo metri rationibus, modo auribus, modo variandae orationi, consulant, cum tempora mutant, modo vulgarius, modo exquisitius usurpent, et eadem vi adhibent diversa: ita ἀμφιβέβηκας et ἀμφιβαίνεις, eodem loco sunt habenda, et latine recte redduntur: tueris. τίπτ' αὖτε εἰλήλουθας; recte haberi potest idem ac si diceres ἔρχῃ, ἦλθες, pro diverso cogitandi modo; etsi hoc proprie, si grammaticam vim respexeris, sit, *venisti*, actione veniendi perfecta. Subtilitas itaque logica potius ad sensum cogitantis, quam ad sermonis rationem multum utilitatis habet.

Pendent inde fere ea, quae de *aoristis* memorari solent, denotare eos tempus praeteritum qualecunque indefinite; ita γέγραφα scribendi actu finito jam ac cessante, at ἔγραψα, quando nulla certa temporis notatione scripsisse me significo. Recte haec dicta per se. At in sententiarum positu et junctura, nolim otium consumi in expedienda subtiliter sensus vi simili ac discrimine. Usu loquendi pleraque confunduntur, interdum quoque mutantur: τέθνηκεν et ἔθανεν occurrunt eodem in loco, eadem vi: mortuus est; servatur propria vis in ἔθνησκε, moriebatur. Et sic in aliis. ἐληλυθὼς, quando advenit, seu, postquam advenerat, ἐλθὼν, cum veneris: At esset argutantis studium, qui discernere hoc vellet in hoc: προσελθὼν δὲ πρὸς αὐτὸν, εἶπε ταῦτα. Concidunt haec multo magis, in aoristis secundis, si verum est, quod equidem verum esse arbitror, aoristos hos nihil aliud esse, quam tempora praeteriti imperfecti verborum, quae olim usu habita sunt, post haec usu exciderunt, servato tantum imperfecto et iis quae inde ducta sunt; ita probabile fit olim frequentata esse κτάνω et κτανέω. θάνω et θανέω. unde superest ἔκτανον, ἔθανον. ἤλυθον ab ἐλύθω, quod et ἐλεύθω. Ita solo usu accepere ea notionem illam ἀοριστικήν. Ad tales argutias saepe nos revocant Clarkianae notulae. Recte monitum per se: βέβηκα et βέβαα esse, discessit, abiit, exiit, et βεβήκει, discesserat. Nec tamen negari potest, multis locis ea ita poni, ut de accurata temporum notatione quaeri omnino non possit, permutarique inter se eadem verba et per ἔβη aut reddi aut reddi posse: ut A. 221 ἡ δ' Οὔλυμπόνδε βεβήκει, quid ni recte ἔβη dixeris? Δ. 492 τοῦ μὲν ἅμαρθ', ὁ δὲ Λεῦκον βεβλήκει—ἤριπε. quid desideres, si ἔβαλε dixisset? Uno eodemque loco E. 587 ὄγε ἔκπεσεν—εἱστήκει, τύχε, βάλον. poterat quoque locum habere ἔστη. Nec video, quidni ἕστηκε et ipsum grammatice dictum esset: stetit enim per aliquod tempus. Licet argutias facere in Z. 313 Ἕκτωρ δὲ πρὸς δώματ' Ἀλεξάνδροιο βεβήκει—ἔνθ' Ἕκτωρ εἰσῆλθε vs. 318. quis tamen neget aeque bene dictum fuisse ἔβη? sequun-

tur: εὗρε, ἧστο, κέλευε, νείκεσσεν, et interposita sunt imperfecta ἔχε, λάμπετο, θέε, tam variis modis licuit tempus reddere, nulla subtilitatis logicae ratione habita Π. 855 ὣς ἄρα μιν εἰπόντα τέλος θανάτοιο κάλυψε. ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδός δε βεβήκει. etiam pro hoc locum habet ἔβη. P. 705. 6. 7 se excipiunt eadem in enuntiatione: ὅγε ἀνῆκεν—αὐτὸς δὲ βεβήκει, στῆ δὲ καὶ προσηύδα. N. 450 ὃς πρῶτος Μίνωα τέκε—Μίνως δ' αὖ τέκεθ' υἱὸν—Δευκαλίων δ' ἐμὲ τίκτε. prius τέκε poterat quoque esse ἐτετόκει. et alterum τέτοκε. variant haec orationem poetae, non discernunt diversa temporis momenta. Secundum haec nolim videri elevare ipsam praeceptionem, logicae consentaneam; sed intempestivam ejus iterationem, quoties ei locus non erat; etsi vel sic de his unumquemque pro suo ingenio et judicio statuere licere, justum esse censeo. Ad vertenda utique Homerica in latinum aliumve sermonem raro ea subtilitate uti licebit.

Accedit, quod in Homericis toties occurrit, cum videas tempora, etiam grammatica ratione neglecta, variari: qua de re agam peculiari Excursu de *grammatica Homerica imperfecta.*

Aliae Clarkii observationes ab eo tempore magis sunt expolitae, uti de anacolutho B. 353. de vi medii primitiva, etiam in Homericis obvia: ut Γ. 141 καλυψαμένη ὀθόνῃσι. Λ. 561 ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς. tum de aliis medii usibus: quae a multis exposita sunt, quaeque in singulis interdum locis ipse attigi; Dummodo teneas, multa alia esse loca, in quibus medii omnino vis sit nulla alia quam activi, unde et utrumque promiscue apponitur; quae res et ipsa est jam ab aliis observata.

Bona est observatio ad E. 778. femininis sive binis junctis, sive uni cum masculino conjuncto, addi adjectiva masculina; scilicet, nunc non ad genus proprium respici, sed ad personarum numerum indefinite, sine sexus notatione, expressum. Convenit quod etiam deabus adjungitur adjectivum vel participium masculinum, modo in duali, modo in plurali, ut in illo Hesiodi Ἔργ. 198 καλυψαμένω ἴτην Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Idem saepe notatum in choris feminarum apud Tragicos; v. c. ad Sophocl. Oed. Col. 1747. (1676) ubi juncta quoque sunt, ἰδόντε καὶ παθοῦσα. v. Schol. ad e. l.

Ad A. 566. 7. et I. 182. (add. ad B. 288. E. 487. 778. Alia loca video adscripta esse a Scheidio de Analogia p. 318.) de duali monetur: "substantivum duale recte adjungi adjectivo plurali; quia omne duale est necessarió "plurale: recte quoque substantivo plurali adjungi adjectivum duale, quoties de duobus agitur, (omninoque,

" quoties duo sunt, de quibus agitur, promiscue singularem " et pluralem adhiberi; v. c. E. 244 sq.) non vero, quoties " de pluribus." Repugnat Ernesti, et exempla ait memorari posse in contrarium, ita perspicua, ut nullo modo eludi possint. Ex serioribus exempla laudari posse, nemo neget; verum de Homero quaeritur; quod autem ille ex Il. Δ. 453 excitat, alienum est: nam dum χείμαῤῥοι ποταμοὶ poeta cum συμβάλλετον jungit, eo ipso declarat, se de duobus amnibus loqui ac cogitare, non de pluribus. At I. 67 quod aliquis in eandem rem laudare possit: φυλακτῆρες δὲ ἕκαστοι λεξάσθων verbum vix est duale, ut aiunt grammatici, v. c. ad Aristoph. Nub. 438 cum viris doctis, sed plurale contractum pro λεξάσθωσαν. Alii versus, qui ex Hesiodo possint laudari, sunt vitio contaminati: Ita Ἔργ. 186 μέμψονται δ' ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντ' ἐπέεσσι est in loco valde interpolato, et, si est serioris manus, fuit βάζοντες ἔπεσσι. At seriores poetas, qui hoc ipsum pro Homerico more habuerunt, dualem pro plurali adhibuisse, negari nequit; ut in Arato 1023 κοϱώνη νύκτερον ἀείδουσα καὶ ὀψὲ βοῶντε κολοιοί. Studiose haec efformata esse, apparet: nam versus bene se habebat ex vulgari more: νύκτερον ἀείδουσα, βοῶντες τ' ὀψὲ κολοιοί. Sic Apollon. Rh. III, 206. Theocr. XXV, 137.

Est quoque bona observatio inter alia in Nota ad B. 267 quoties de accentu quaeritur, quatenus ille a syllaba brevi vel longa pendeat, non nisi ad vocales respici, brevesne sint per se an longae, non autem ad syllabas positione longas. Itaque αὖλαξ, non αὔλαξ, scribitur, nam α est brevis, ut patet ex αυλᾰκος. sic χοῖνιξ. καλαῦροψ. At κήρυξ debet scribi, quia est κηϱῡκος. Φοίνιξ, Φοινῑκος. in quo video aliquoties in ipso poeta excuso esse peccatum.

Articulum ab Homero non agnosci, et esse ei ὁ pro αὐτὸς, ἐκεῖνος, satis nunc decantata est observatio; firmata disputationibus virorum doctorum, et nuper Wolfii V. C. praef. p. XXVII. Koeppen T. I. p. 303. Monitum de eo est jam a grammaticis, in his ab Apollonio de Syntaxi p. 43. et loco noto Plutarchi Plat. Quaest. p. 1010. notatum quoque est ibid. in locis nonnullis Homericis perperam articulum esse intrusum, idque mihi nunc multo magis constat exemplis, in quibus eum vidi a melioribus libris abesse; ut mihi ipse displiceam, quod eum non ubique constanter ejeci. Oblitus quoque sum monere Z. 41 ᾗ περ οἱ ἄλλοι ἀτυζόμενοι φοβέοντο, fuisse videri ᾗπερ ἄρ' vel ἂν ἄλλοι. hoc ut Od. M. 81 ᾗπερ ἂν ὑμεῖς νῆα παρὰ γλαφυρὴν ἰθύνετε. Etiam in locis, in quibus articulus sine versus vitio tolli nequit, gravis oritur suspicio de versu adventitio. Ita Δ. 42 μή τι διατρίβειν τὸν

ἐμὸν χόλον, ἀλλά μ' ἐᾶσαι vix dubitem versum esse spurium, quod et docet novus usus τοῦ διατρίβειν. Omiserat poeta apodosin ipsa pronuntiatione, nutu ac gestu supplendam: ut alibi eodem modo factum videmus; v. c. A. 135. 136. At Δ. 1 οἱ δὲ θεοὶ accipiendum est per interpretationem, at illi, dii inquam, οἱ δὲ, θεοὶ, πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι. praecesserant extremo libri tertii versu; ὣς ἔφατ' Ἀτρείδης. ἐπὶ δ' ᾔνεον ἄλλοι Ἀχαιοί. In aliis locis est fere, ut Latinum, *quod ad illud attinet*, Σ. 21. κεῖται Πάτροκλος—ἀτὰρ τά γε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος Ἕκτωρ.

Omnia loca, in quibus articulus occurrit, collegit Alter praef. ad Odyss. p. XXX sq. Versatur omnis haec opella in re tenui et jejuna; cui venia quaesita est ex eo, quod utilitatem habet ad nonnulla alia utiliora. Omnino enim litterarum dignitas censenda est ex mutuo fructu, quem aliae aliis impertiunt. Alioqui per se omne hoc studium philologicum et criticum est exile, nec satis dignum, in quo vitam consumamus.

An Attica forma loquendi οἱ ἀμφὶ Σωκράτην, pro ὁ Σωκράτης, jam ab Homero frequentata sit, etiamnum quaero. Nondum vidi exemplum, in quo non proprio modo accipi possit de iis qui alteri adstant. Sic I. 81 φυλακτῆρες—ἀμφί τε Νεστορίδην Θρασυμήδεα—Γ. 146 οἱ δ' ἀμφὶ Πρίαμον—sunt adstantes, nam sequuntur cum illis Οὐκαλέγων τε καὶ Ἀντήνωρ. M. 136 sq. οἱ δὲ—ἔκιον Ἄσιον ἀμφὶ ἄνακτα etc. At Z. 436 sq. sunt versus suspecti.

Proponuntur haec a me, non ut pro arbitrio quicquam pronuntiem, verum ut alii habeant, de quo amplius quaerant, num quid firmiter satis constitui possit.

EXCURSUS AD ILIAD. Σ.

EXCURSUS I.

De computatione dierum in Iliade et pugnarum per eos distributione.

Σ. 125 γνοῖεν δ', ὡς δὴ δηρὸν ἐγὼ πολέμοιο πέπαυμαι cum Schol. et Obss. ad h. v.

A poeta epico diligentem et exactam temporum notationem expectari non posse, per se patet, quia non annales condit, quibus fida rerum memoria tradatur, sed factum aliquod memorabile narrat, quod admirationem movendo

animos teneat. Hoc unum tamen jure postulatur, ne quid n narratione occurrat, quod rerum temporumque ordini aperte repugnet; ne praestigias, quibus audientem tam suaviter delinitum tenet, ipse dispellat, et de animi errore moneat. Postulari hoc potest tanto magis, si poeta, quam omittere potuerat, temporum notationem interposuit; ita enim ipse judicii severitatem in se provocavit. Hoc erat, quod me permovere potuit, ut in Virgilio in annos errorum Aeneae, (Excursu II ad Aen. III.) et in annorum post Aeneae adventum in Italiam computum, (Excursu III ad lib. XII.) accuratius inquirerem. Ita hoc quoque, quicquid est juris, indagandi temporum rationes in Iliade, permissum est lectori morosiori per temporum notas, passim carmini insertas et disertis verbis expressas. Quod nisi ita se haberet, omnem utique hanc disputationem a poeta semovendam esse dicerem. Nunc autem tanto aequius ferendam esse hanc quaestionem censeo, quoniam tam liberales, ac tantum non prodigi et effusi, fuere veteres in celebrando dispositionis artificio, artissimo narrationis nexu in Iliade accuratissimaque rerum temporumque descriptione et notatione; ut hoc uno vel maxime demonstratum esse autumarent, non nisi ab uno et a primo auctore, divini alicujus ingenii ope, incredibilem hanc epeos unitatem proficisci potuisse. Fuere viri docti, per omnes forte aetates, qui ad multa offenderent, nec tamen aut ad singula descendere aut receptam opinionem cum malo suo impugnare auderent. Interea, etsi a lacunis et confusionibus rerum narratarum epos hoc omnino immune non est, vel sic tamen Iliacum carmen, etiamsi solam rerum narratarum seriem et ordinem spectes, summae artis opus esse fatendum est. Non agimus de chronologia rerum Trojanarum universe, quae ab hac quaestione est aliena, nec quaerimus, ad quos annos, respectu reliquarum historiarum antiqui aevi, gestae et narratae res sint revocandae; multo minus de rerum narratarum fide. Etsi nolim persuadere aliquem sibi hoc, omne hoc quaestionum genus esse vanum et inane; magnam enim utilitatem habet ad recte constituendas notitias, de iisque judicium firmandum, si saltem probabilis aliqua ratio inventa est, qua certis temporum epochis illae sint affixae et assignatae. Sequimur in his judicium idem, quod inter Graecos viri docti, qui antiquos mythos et rerum memorias certis annis probabiliter innectere studuerunt; hinc judicia eorum tam diversa de Homeri aetate inter belli Trojani tempora et Olympiadum initia opportuno aliquo loco collo-

canda. Nos, si idem agimus, atque alia aliter, quam ipsi, constituimus, vestigiis eorum insistentes, non eorum judicium elevamus aut contemnimus, sed, rerum harum naturae convenienter, inchoata ab ipsis persequimur; versantur enim omnia haec in docta aliqua probabilitate: dummodo nemo sibi uni arroget judicium, irrisis omnibus, qui aliter sentiant; adeo abesse debet ab hoc litterarum genere omne dictatoris arbitrium, vultus, supercilium, sanna.

In Iliade temporum notatio potest singularem adhuc usum habere, ad indagandas carminis interpolationes, cum in singulis versibus et partibus, tum in ipso consilio jungendarum rerum plurium ad carminum summam; quid? quod forte ex his ipsis suspicari licebit, omnem hanc interpositam temporum notationem arguere manum seriorem, quae diversa seu carmina seu partes in magnum aliquod epos compingere allaboravit. Verum nihil horum est, cui opinione praejudicata indulgere licebit, antequam tempora diligenter eruta et digesta fuerint, quae in ipso carmine diserte notata sunt.

Nonus belli annus memoratur diserte in ipsis rerum gerendarum principiis ab Ulysse: B. 295 ἡμῖν δ' εἴνατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς ἐνθάδε μιμνόντεσσι, et ab Helena annus *vigesimus*, ex quo Trojam a Paride fuit abducta: hoc quidem Ω. 765 ἤδη γάρ νῦν μοι τόδε εἰκοστὸν ἔτος ἐστὶν, ἐξ οὗ κεῖθεν ἔβην, καὶ ἐμῆς ἀπελήλυθα πάτρης. Haec nemo a poeta requisivisset, nisi apposuisset is, qui haec narravit, nescio an satis caute. Iliadis actionem ad tempus vernum referre voluere multi ex Ξ. 346—351. v. Clarke et Ernesti ad A. 425. nimis acute; versibus enim inest poeticum phantasma, quo Jovis et Junonis amoribus respondisse narratur ipsa rerum natura e tellure procreans novas herbas et flores, quod alias illa facere solet tempore verno aut pluvia fecundata. quae res ipsa in amores Aetheris et Telluris a Marone versa est. v. Notam et Obss. ad vs. 346. Alii Iliadis tempora ad aestatem revocarunt, propter luem, quae caussas a calore aestivo, inprimis in terris paludosis, ducere solet. Sic Wood censuit p. 227. Fit quoque sic probabile, castra Achivorum ab amnium illuvie tuta mansisse, quae per auctumnum et hiemem camporum planitiem aquis obruere solet.

Alia disquisitio occupatur in *dierum actionis epicae numero:* eam jam Bossu, Dacier, Pope, instituerunt, et Wood attigit p. 223. In ea quidem duplex iniri potest ratio, alia, si omne poematis argumentum spectamus, alia, si e positis intervallis otii et induciarum, dies tantum, quibus res gestae

sunt, computamus. Utrumque genus non nisi ex disertis poetae verbis constituendum esse arbitror, quia has dierum notationes aperte in eo occurrere videmus.

Luem igitur, ex piaculo in sacerdotem Apollinis, eumque supplicem, ἱκέτην, factum commisso, Achivis immissam unus saltem dies antecedere debuit, quo Chryses in Achivorum castra venit et contumeliose ab Agamemnone habitus, mox domum redux Apollini supplicavit. En *diem primum!*

Lues *per IX dies* est grassata: A. 53 ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο.

X *die* concio ab Achille habita: vs. 54 τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς. in ea jurgia inter Agamemnonem et Achillem; missa Chryseis ad patrem, Briseis abducta ab Achille; qua injuria ille permotus secessionem ab Achivis facit, Thetidem matrem exorat, ut ultionem injuriae a Jove efflagitet; ait illa Jovem *hesterno die* ad Aethiopes abiisse, nec nisi *die duodecimo* rediturum esse ad Olympum vss. 423 sq. Ita a die nono computus processit ad diem

XXI. qua Thetis Jovem convenit: v. 493. Finitur ea dies in A. extr.

Nocte insequente somnium mendax immittitur Agamemnoni: B. 1. quo permotus ille

XXII die orto concionem habet [a]; tentat Achivorum animos stolide simulans belli taedium; represso concionis ad reditum festinantis impetu copias in aciem educit, paratque pugnam.

Ita *prima pugna* facta; primusque ad rerum summam spectans dies, qua res geritur: Il. Γ. ad H. 380. primo e provocatione pugnant Menelaus et Paris Il. Γ. inde commissae manus promiscue Δ. 446 sq. Pugnatur varia fortuna, ipsis diis pugnae se ingerentibus; pugna inter Ajacem et Hectorem diremta nox supervenit H. 293 νὺξ δ' ἤδη τελέθει. agitantur utrinque consilia de induciis paciscendis.

XXIII. Convenit de induciis: H. 381 ἠῶθεν δ' Ἰδαῖος ἔβη κατὰ νῆας Ἀχαιῶν. Inde a vs. 421 (v. Obss. ad h. v.) tolluntur corpora et noctu insequente cremantur—432. tum

XXIV illa humantur, simulque Achivi vallum ducunt vs. 433 sqq. usque ad vesperam—465 [b]. Ceterum haec est

[a] Schol. A. ad B. 48 computat dies XXIII. δέκα μὲν μέχρι τῆς μήνιδος, δώδεκα τῶν θεῶν ἐν Αἰθιοπίᾳ ὄντων· ἡ δὲ ἀνατολὴ αὕτη τρίτη καὶ εἰκοστή ἐστι.

[b] Non facile haec omnia die XXIII et XXIV perpetrata ad unum diem revocari possunt; cremantur corpora non nisi noctu; extrema nocte sub diluculum rogi deflagraverant: tunc demum de humatione cogitari pot-

unica ἀναίρεσις τῶν νεκρῶν, nec post sequentia praelia facta corporum sepultura alia memoratur. Observatio haec contra Istrum facta est in Schol. ad K. 298.

XXV. Orto die habetur concilium deorum (Θ. 1.) [c] quo diis a Jove interdicitur ne prodeant in pugnam; ad res inspiciendas ipse in Idam secedit; redintegratur praelium.

Pugna *altera* Θ. 53 sq. fugati Achivi in castra redeunt—349. supervenit nox vs. 485. ἐν δ' ἔπεσ' Ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο. Pernoctant Trojani sub dio ante castra. At Agamemnon cogit consilium principum et iterum descendit ad suasionem reditus; increpatur a Diomede; tum Nestoris suasu ad placandum Achillem legatio missa re infecta redit Il. I.

Nocte insequuta exploratum eunt castra Trojanorum Ulysses et Diomedes Il. K.

XXVI. Pugna *tertia* Il. Λ—Σ. post variam pugnae fortunam, repressis Achivis, irrumpunt in castra Trojani; injecto jam in unam navem igni Patroclus, exorato Achille, Myrmidones in aciem educit, Trojanos fugat, persequitur incautius et viribus exhaustus occiditur. Pugnatur de corpore Patrocli. Conspecto e vallo Achille fugiunt Trojani. Thetis arma filio procurat [d] fabricanda. Confecta res eadem nocte; quam Trojani sub armis ante Achivorum castra exigunt Σ. 298—303.

XXVII. Thetis apportat arma: T. 9 ἠὼς μὲν κροκόπεπλος etc. ex promisso Σ. 136 ἠῶθεν γὰρ νεῦμαι. Concione facta Achilles redit in gratiam cum Agamemnone a quo ipsi satisfit pro injuria illata: Σ. 40—137—154.

Pugna *quarta*, qua Hector cadit; corpus in castra abstrahitur—usque ad Il. X. extr. Facit lamenta Achilles et

erat: quomodo igitur et hoc et valli eductio ad eundem diem et noctem referri posset?

[c] Eustath. ad Θ. 1. p. 693. l. 51. observat diem hanc esse XIII inde ab Achillis ira; alteram praeliorum; sin quis novem pestilentiae dies annumeret, esse inde ab Iliadis primordiis dies XXII. hunc quidem in modum: decimam diem esse postridie profectionis Jovis ad Aethiopes, et primam irae Achillis; duodecima die Jove redeunte, Thetidem Jovi supplicasse; esse hanc diem irae undecimam; postridie, die XII irae, commissum esse praelium; quo, eodem die finito, (Il. H.) sequentem diem esse XIII τῆς μήνιδος, II τῆς κατὰ μῆνιν ἔριδος, XXII τῆς τοῦ βιβλίου τῆς Ἰλιάδος καταρχῆς. Debebat Eustathius haec commemorare sup. ad Il. H. 290 nam in istam diem haec conveniebant; intercessere post illam duo dies induciarum, de quibus ille non cogitasse videtur.

[d] Apud Eustath. p. 1054, 17. ad Π. 193 ἐν τούτοις δὲ κεῖται σημείωσις τῶν παλαιῶν, ὡς ὁ τῆς Ἀχιλλέως μήνιδος χρόνος μετὰ τῆς παρούσης ἡμέρας ἑκκαιδεκάτη ἦν. Recte; quippe inde a die decima Iliadis. Convenit fere Schol. A. ad Σ. 125. πῶς δὲ δηρόν φησι; δεκαπέντε γάρ εἰσιν ἡμέραι, σὺν αἷς οἱ θεοὶ εἰς Αἰθιοπίαν διέτριψαν. Memoratur hujus diei meridies, Π. 779. alieno puto loco.

Patroclo justa in diem alterum indicit Il. Ψ. ad vs. 109. Hoc die ultione de caede Patrocli ab Hectore sumta, cum Achilli ab Agamemnone satisfactum esset, finita est actio Iliadis primaria.

XXVIII mane rogus exstruitur; noctu corpus Patrocli crematur vs. 110—225.

XXIX Patrocli cineres et ossa leguntur. Ludi funebres habentur vs. 226 ad fin. libri.

Pergit Achilles per dies insequentes Hectoris corpus raptare circa Patrocli tumulum. Die *duodecimo* a diis ineuntur consilia de subtrahendo injuriae corpore: Ω. 31 ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς. Narrati erant ludi, itaque ἐκ τοῖο ad diem XXIX referendum putes. Corpus tamen Hectoris raptatum jam erat inde a die XXVII quo caesus fuerat: si XII dies inde computes, usque ad diem XL redemtio Hectoris prorogatur: At vs. 107 *novem* dies numerantur: ἐννῆμαρ δὴ νεῖκος ἐν ἀθανάτοισιν ὄρωρεν Ἕκτορος ἀμφὶ νέκυι. Scilicet contentio inter deos per plures dies agitata non ortum habere debuit, nisi postquam per aliquot dies expectatum fuerat, Achillem animo placato destiturum esse a foedando Hectoris corpore. Videtur itaque consentaneum esse, ut die XXXIX vel XL reliqua Iliadis ad exitum properasse dicamus; forte hunc in modum:

XL die Priamus ad castra Achivorum proficiscitur; adventu sub vesperam facto v. 351. Achillem exorat; muneribus pro redimendo corpore datis Achilli satisfacit, corpus filii impetrat: altero mane

XLI in urbem redit; pactis in diem XII induciis: qui esset dies Iliadis LII vel LIII. Consumti lamentis et funere instruendo dies IX, die X rogus exstructus et XI tumulus; ut inde die XII induciis finitis iterum bellandum esset: Ω. 664—670. 781. 784 et 785 sqq.

Haec quidem ex ipso poeta ducta vides, notatis ab ipso diserte diebus. Nolo persequi computum aliorum, nec admodum a nostro diversum. Bossu XLVII dierum gesta comprehendere Iliadem aiebat, alius vir doctus (in *Mémoires de Trévoux* 1708. *m. Maii Art.* 58) numerat dies XLIX. Wood in priore editione XL. in altera nil diserte pronuntiat p. 223.

Summa rerum et praelia non nisi a die XXII ad diem XXVII procedunt; ita ut vix sex dierum actio sit primaria. Nuper haec pro consilio suo persequutus est doctiss. Lenz (*Ebene von Troia* p. 267 sq.) exorsus inde a die quo Achivi in aciem educti sunt; quod est inde a d. XXII actionis Iliacae.

Jam huic rerum et temporum dispositioni inesse mirabile aliquod acumen, facile patet; haud multum tamen absum quin profitear, subtilitatem hanc esse majorem quam quae poetam deceat; nec nisi a grammatico, qui pro judice sedeat, expectandam. Altera tamen ex parte is, qui tempora sic dispescuit, sibi ipse pedicas et laqueos paravit in congerendis unum in diem rebus gestis, quae uno die evenisse aut evenire potuisse, omnem probabilitatem excedit. Vix ullus est dies, in quo non morosius inquirenti hoc in oculos incurrat; multo autem maxime in actis diei XXVI qua *tertia* pugna facta est.

EXCURSUS II.

De rebus in pugna tertia gestis temere in unum diem cumulatis.

Σ. 239. Ἠέλιον δ' ἀκάμαντα βοῶπις πότνια Ἥρη πέμψεν ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς ἀέκοντα νέεσθαι· ἠέλιος μὲν ἔδυ, παύσαντο δὲ δῖοι Ἀχαιοὶ φυλόπιδος κρατερῆς etc.

Narrationem actorum hujus diei exorsus poeta Il. Λ. usque ad h. l. continuavit. Agamemnon ἀριστεύει· pugnatur inter castra et θρωσμὸν; versus meridiem Il. Λ. 84 sq. perrupta Trojanorum acie fuga fit sub urbis moenia; receptis animis Trojani iterum fugant Achivos versus castra; oppugnant vallum; irruunt, Il. M. fit pugna intra castra; incensa tandem nave Patroclus in aciem prodit Il. Π. Trojanos foeda fuga ad urbis moenia rejicit; mox ipse cadit; pugnant Achivi de corpore ejus in castra reportando.

Exposita haec sunt diligenter in Excursu I. ad Il. Λ. et Excursu I. ad Il. M. simulque disputatum est p. 91 sq. de discursatione utriusque exercitus in tanto locorum intervallo et mira hac rerum varietate in unum diem cumulata. Dubitationes de fide narrantis nemini non, si semel ad temporis computum descenderit, occurrunt; Occurrunt quoque, ut ibi exposui, rationes variae et modi, quibus id evenire potuerit: omnis tamen res intra ariolationes subsistit. Lenz l. c. p. 273 sqq. ingeniose in plures dies acta diei dispescuit[a]; constituet ea alius aliter. Quod si ab initio hae rhapsodiae Λ—Σ. sine temporis notatione fuere narratae, nemo in hanc quaestionem incidere potuit. Potuit quoque carmen aliquod singulare extare, quod partem Trojani belli complecteretur, quae hoc loco interposita est. Omnis tamen haec interca-

[a] Ut primus dies finiatur Il. M. extr. castris expugnatis; alter Il. Π. 776 sub medium diem pugna Patrocli virtute egregie administrata; tertius Patrocli corpore in castra reportato Il. P. 735. 736.

latio mature satis tentata esse debuit, quandoquidem ejus rei memoria ita interciderat, ut Aristoteles nullam ne suspicionem quidem haberet. Etsi de hoc aliisque multa disputata et tradita esse potuere in libris de Homero Aristotelis aliorumque deperditis.

Interea mirationem facit hoc, quod quisquis haec tractavit, temporum notationes tam parum caute interposuit. Primo diei congressu fortunam pugnae ait fuisse parem utrinque usque *ad medium diem;* inde inclinatur pugna et fugantur Trojani. Il. Λ. 84 ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν καὶ ἀέξατο ἱερὸν ἦμαρ, τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο, πίπτε δὲ λαός· ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δόρπον οὔρεος ἐν βήσσῃσιν etc. post multas alias pugnae vicissitudines postmeridianum tempus jam ad vesperam vergens memoratur Il. Π. 777 sq. ὄφρα μὲν ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει, τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο, πίπτε δὲ λαός. Ἦμος δ' ἠέλιος μετενίσσετο βούλυτόνδε, καὶ τότε δὴ ὑπὲρ αἶσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν. v. ad eos vss. Obss. Patroclus nunc occumbit et pugna acris fit, ne ejus corpore potiantur Trojani. Achilles de vallo conspectus terret Trojanos ut recedant; corpus Patrocli intra castra recipitur. Nunc tandem ἠέλιον δ' ἀκάμαντα βοῶπις πότνια Ἥρη πέμψεν ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάς. Haud dubie haec interposita invitant legentem ad comparationem rerum in his intervallis gestarum. Porro Agamemnone orto die copias ducente cum Trojani sub urbis moenia se recepissent, praecipitur Hectori per Iridem a Jove, ut quamdiu Agamemnon pugnae intersit, ipse ne ei se objiciat; eo vero e vulnere accepto se recipiente iterum in pugnam prodeat: Il. Λ. 186—197. et 201—209. τότε, ait Jupiter, οἱ κράτος ἐγγυαλίξω, εἰσόκε νῆας ἐϋσσέλμους ἀφίκηται. Sufficiebant haec; vulneratur paullo post Agamemnon (Λ. 253) et e pugna recedit. (vs. 273 sq.) Nunc vertit Hector Achivos, compulsos in castra reprimit usque ad naves, quarum unam incendit; Il. O. sub f. Π. 112 sq. atque ita decretum esse a Jove, iteratur O. 596—602. At pergit poeta: δύῃ τ' ἠέλιος καὶ ἐπὶ κνέφας ἱερὸν ἔλθῃ. At quam multa intercesserunt inter haec! a Patroclo repressi Trojani, et ad urbem fugati; ubi nunc illud κράτος a Jove promissum? tum ipse Patroclus occumbit et in castra reportatur; Achille autem conspecto iterum fugiunt Trojani. Ad haec quis offenderet: nisi ista Jovis promissa meminisset. Multo magis importune, Il. P. et quod censeo in loco interpolato vss. 450—455 repetuntur iidem versus, Patroclo jam caeso.

EXCURSUS III.

De clipeo Achillis.

478 ποίει δὲ πρώτιστα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε sqq.

De clipeo hoc, nostris maxime temporibus, tam multa sunt disputata, [a] ut brevi commentatione ea persequi haud liceat, neque etiam ea res ad consilium nostrum pertineat, quod ea tantum postulat, quae cum *carmine ipso*, cum *carminis auctoritate*, cum *poetae invento*, ejusque *probabilitate*, conjuncta sunt. Nam ea quae ad carminis summam ejusque singulos versus jam monita sunt, in hac disputatione tanquam ei praemissa et inde nota omitto. Est inter haec, quae mihi omittenda sunt, illa quoque observatio, quod *descriptio*, etsi operis arte facti, tamen non ad ipsam artem est comparata, sed quod *poetica* est: hoc est, quod res a poeta narrantur non sic, ut ab arte redditae sunt ac reddi possunt, sed quomodo eaedem res in phantasma poeticum versae narrari possint ac debeant. Quae res generali illa observatione continetur, qua docemur, ab arte plastica, sculptoria et pictoria, rerum non nisi unam faciem, et unum momentum, reddi posse, eamque speciem permanere; at poetam cum oratore procedere posse in actionis momentis et progressibus, et succedere res in expositione alias aliis. Itaque in poeta, ut statim in binis urbibus, plura, diversis temporibus, alia ex aliis, memorari, cum ab ipsa arte unum tantum apponi et exprimi potuerit. Haec inter nos decantata sunt; veteres sensu ac judicio assecuti sunt; attamen quomodo haec constituerent et enuntiarent non habuisse videntur; ad artem poetae ea referre satis habent, et mirantur in clipeo rapidam rerum progressionem. Inter grammaticos ineptientes sunt, qui argutentur et ad divinam Vulcani artem hoc referant. Apud Eustath. p. 1148, 16 video fuisse Dionysium aliquem, qui putaret αὐτοκίνητα καὶ τὰ ἐπὶ τῆς ἀσπίδος ζῶα fuisse, quippe Ἡφαιστότευκτα, renuente Aristonico. Ridendum aliud commentum nescio cujus apud eund. p. 1160, 49. qui putaret, sigilla clipeo inserta fuisse ita ut intus moveri possent: ἴσως δὲ καὶ μηχανῇ τινι ἐκινοῦντο, ἔκκρουστα ὄντα,

[a] Inde a Boivino et Popio; quos olim lectos vel inspectos nunc iterum singulos excutere haud vacabat; et, si vacasset, alienum tamen a consilii summa fuisset. Insigniores sunt Comes de Caylus, (*Hist. de l'Acad. des Inscript.* Vol. XXVII.) Lessing in Laocoonte, Nast in diss. cum aliis a Koeppen memoratis; d'Hancarville, ingenio nimis indulgens (*Antiquités Etrusques* To. IV, p. 114 sqq.) Attigit haec Schlichtegroll in comparatione clipei Herculis ap. Hesiodum; adde dicta de clipeo Aeneae ad Virgil. Aen. VIII. Excursu.

καὶ οὐ διόλου προσηλωμένα τῷ σάκει. ita scilicet intelligi putavit, quod narrat poeta, nuptam ductam per forum, homines saltasse etc.

Etsi vero haec clipei *descriptio poetica* est: est ea tamen *operis arte facti*, ut jure quaeri possit, *quid* tandem *illud fuerit, quod ante oculos habuerit:* Aut dices fuisse verum aliquod opus, vel ei simile, quod viderat, aut esse merum ingenii commentum. Recte quidem; attamen vel hoc commentum ad artis normam et *ad exemplum*, quod animo sibi proposuerat, effinxisse poetam necesse est. Nam quicquid fingimus, ad similitudinem alicujus rei, quae natura vel arte naturam adumbrante, variante, perficiente, jam sensui objecta fuerat, animo conceptum est. Cogitur itaque ex his, jam tum, cum poeta clipeum Achillis animo conciperet, extitisse clipeos caelatos, magna argumentorum varietate, ideoque jam et elaborata arte; aut, si dixeris, non necesse fuisse, ut tales clipei extarent, potuisse caelaturam alicubi alio in opere conspectam ad clipeum a poeta transferri, sequitur, saltem tam doctae artis opera jam tum extitisse. Verbo, clipeus Achillis a poeta fingi nequiit, *nisi jam tum similis artificii opera extarent:* quaecunque tandem illa essent.

Jam autem, re ita constituta, quaestio suboritur et gravissima et difficillima, quae cum historia originis artium inter Graecos artissimo vinculo conjuncta est. Quicquid enim de ea disputatur, ex hac maxime clipei fabrica ductum est, ideoque ad Homeri auctoritatem provocatur. Pro explorato enim habitum est, quicquid in Homericis carminibus memoratur, quandoquidem Homerum auctorem habeat, ad tempora antiquissima esse referendum; itaque inventa artium ab iisdem aetatibus repetenda esse, quae in Iliade memorantur. Inde virorum doctorum consensu repeti coepere artium origines ab ipsis Trojanis temporibus, cumque iidem viri docti artium incrementa et profectus ad nostrorum temporum modulum metirentur, turbatum est mirifice in omni artium historia; fecitque res magnam mirationem, cum inter Trojana tempora et artium in Graecia auctus tot saeculorum intervallum esse viderent. Qui magis sobrie et caute de hisce rebus censebant, ad Homericam saltem aetatem haec retrahebant; potuisse eum inventa aetatis suae ad tempora rerum narratarum retrahere iisque inserere. Alii tamen substitere in ipsis Trojanis temporibus. Omnes in hoc studio referendi artium ortum ad primas rerum origines superavit d'Hancarville, ingeniosus et sagax vir, artiumque peritus, criticae seu historicae seu grammaticae parum cu-

riosus. Erat tamen ante omnia utraque haec critica adhibenda, et cum de carminis tum de singularum partium natura et ratione ac fide, tum de auctore, subtilius quaerendum; eo fere modo quo viri docti in exquirenda Mosaicorum reliquorumque librorum hebraicorum aetate et auctoritate versati sunt. Unde intelligitur, ab subtiliore carminis Homerici critica, cum multarum rerum, tum historiae artium inter Graecos antiquioris aetatis, fidem et auctoritatem fere omnem pendere.

Videamus igitur primo loco, cum clipeus hic variis metallis conflatus sit, variaeque in eo species expressae, quam perfecta et pene absoluta ars jam tum esse debuerit, sive *materiem* spectes, sive *rerum formas et argumenta*, sive *ingenium* ejus, a quo talis rerum compages proficisci potuerit, omninoque operis vim et rationem cum consilio seu artificis seu poetae.

Vestigia artis spectant alia ad *materiam* alia ad *ejus tractationem* pro certo consilio. Arma et clipeos Trojanis jam temporibus ex aere facta variisque ornamentis insignita fuisse nemo mirabitur. In hoc tamen Achillis clipeo non modo fundere metalla, sed fusa variis modis miscere, coloribus ea imbuere, eaque inter se consociare, norant. In clipeo ex aere coruscante videmus eminuisse ex auro factum Martem cum Minerva: 517. ἄμφω χρυσείω, χρύσεια δὲ εἵματα ἕσθην. Ager flavescente solo sulcis nigricantibus vs. 548. 9. (solum agri) μελαίνετ' ὄπισθεν ἀρηρομένῃ δὲ ἐῴκει χρυσείη περ οὖσα. vides solum rubricosum auro redditum esse, eique superinductum aliqua parte colorem fuscum: aliqua itaque arte aut ipsum aurum colore fuit imbutum, aut aliud metallum fusci coloris superadditum, forte fusura aliqua mixtum. Vinea est ex auro, uvis purpureis, palis argenteis, fossa caerulea, septo ex cassitero vss. 562 sq. Iterum novae fusurae ars occurrit; color purpureus et caeruleus: μέλανες βότρυες, et κυανέη κάπετος. Porro in loco de armentis boves auro et cassitero effícti, ut color fulvus et candidus redderetur, tum pastores ex auro vs. 574. 577. Tandem in choreis pugiones saltantium aurei ex argenteis balteis suspensi vs. 598.

Rudiorum hominum sensibus colorum, inprimis lucidorum, varietatem mirifice probari, etiam nullo judicio factam, nota res est; adstupuisse eos etiam metallis varie compositis consentaneum est; et metalla aliquando ea cum arte tractata esse, haud negamus; quaerimus tantum qua aetate. Sane etiam in Agamemnonis thorace Il. Λ. 19 sq. videmus virgas diversorum metallorum juxta se positas

cyani, auri, argenti. Narratur illud Cinyrae ex Cypro munus fuisse. Apparet Phoeniciae artis opus hoc fuisse, et diversa metalla jam tum fusa et per virgas ac strias a Phoenicibus saltem elaborata esse. Aere, auro et argento fusas multas res videmus in Alcinoi domo Odyss. H. 86 sq. At in Achillis clipeo habemus artem multo subtiliorem metallorum tractandorum in signis seu figuris exprimendis et ipso colore variandis; mirabiles itaque jam tum fuisse artium et ingeniorum profectus facile censeas, si metallorum tractandorum exempla expenderis hoc in clipeo prostantia.

At, quod majus est, hanc eandem metallorum tractandorum rationem non Phrygia aut Babylonica, sed Graecanica sollertia, invento, argumento, adhibitam videmus *ad ingentem rerum et signorum copiam et varietatem uno in hoc loco.* Qua tandem arte exquisitissima haec reddita esse putabimus? Verba poetam declarant artis aut prorsus ignarum aut parum curiosum, quum nihil aliud narret quam, metalla in fornace fusa, incudem et forcipem, deum operi assidentem, clipeum fabricantem; pergit statim vs. 481 αὐτὰρ ἐν αὐτῷ (τῷ σάκει) ποίει δαίδαλα πολλὰ ἰδυίῃσι πραπίδεσσι. agitur de opere anaglypho plurimarum figurarum ex aere reddendarum; quasi vero hoc incude posita, arrepta forcipe, confestim procudi possit. Enimvero si quis artifex tali operi fabricando se accingebat: primo loco delineationi operis erat opera danda; saltem protypum aliquod ad certam rationem et delineationem ex argilla aliave materia fictili factum. Quo facto, si fusione res efficienda erat, porro de forma ex argilla aliave materia erat videndum, cui aes liquescens erat infundendum. (seriores Graeci λίγδον appellarunt) Aere jam fuso, qua arte et ratione reliqua metalla inseri aut immisceri potuere? Non sane haec poetae erant enarranda; verum, si opus erat faciendum, haec eadem arte fabrili ac plastica erant procuranda. Ergo jam tum tanta artis fuere incrementa!

Qua quidem via tale opus tam antiqua aetate perfici potuerit, haud licet assequi. Verum dicamus non fusile opus fuisse anaglyphorum; probabiliorem esse alteram viam ac rationem, ut fuerit opus ductile; convenit hoc cum narratione: incude posita Vulcanum arripuisse malleum et forcipem. Cogitemus itaque ex aere fusas laminas seu plures, seu unam: in qua excusa sunt signa malleo. Convenit hoc arti etiam minus doctae; potuere sigilla diversorum metallorum singulatim procudi, et occultis hamulis ac fibulis jungi: potuere sigilla diversis laminae locis in superficie af-

figi, vel infigi, includi, vel aurum fusum incrustari, et sic porro. Vides ita opus ratione saltem aliqua probabiliore elaboratum, quam si fusione, multo magis, si una fusione, perfectum illud putaveris. Attamen tale quoque malleo ductum opus sine formis effici haud potuit, quibus imposita lamina accepta anaglypha plus minusve eminentia redderet. Vides itaque hac quoque via si ingressum esse putaverit poeta Vulcanum, quanta artis peritia jam tum inter Graecos vigere debuerit, cui simile quid opus inter barbaros, Asiaeve populos, haud memoratum meminimus.

Jam, si carminis auctor fuit Homerus, qui, quamvis incerta aetate, tamen aliquot saeculis, duobus saltem, prima artium inter Lydos et Iones rudimenta antecedere vita debuit, mirari subit, quomodo artium notitiae adeo non modo obscurari, sed tantum non extingui potuerint, ut a primis iterum elementis illam educi necesse esset, quantum quidem ex iis apparet, quae de primis plastices, sculpturae et picturae originibus et inventoribus inter Iones et Lydos narratum legimus; ad hos enim ea, quae de Graeciae cultura, in artibus quoque, memorantur, revocare necesse est. Dixeris, inter populos Asiae, Phoenices forte et Babylonios, artes floruisse, serius inter Iones innotuisse; poetam tamen inter barbaros similia opera vidisse, e quibus clipeum adumbraret. Atqui ex omni Asiae antiquitate opus tali cum sigillorum copia et artis elegantia ex metallis fusum, nullum opus anaglyphum, ex aere quidem, memoratur. Tum artem Graecanicam inesse operi vides; si barbarorum arte effictum fuisset, longe diversi generis figuras, monstra, terriculamenta, hieroglyphica expressa videremus. Quae autem prima e metallis opera inter Asiae littoralis populos memorantur, magna cum simplicitate artis sunt elaborata, nec nisi insigni pondere, magnitudine ac pretio metalli memorabilia; sunt vasa ex auro, rarius ex argento, sunt signa et simulacra, serius vasa ex aere cum signis in templo Junonis Samiae. Memorantur dona Delphos missa a Gyge, cujus anni procedunt inde ab Ol. XV, 3. ante C. N. 718. ducentis ad minimum ab Homeri aetate saltem anno ante C. N. 905. assignanda saeculis; primus ille talium apud Delphos munerum auctor dictus erat a Theopompo: Athenaeo ex eo narrante lib. VI, p. 231 E. et ab antiquiore auctore, Herodoto I, 14 qui munera ea enarrat, additque jam ante eum Phrygem, Midam, Gordii filium, thronum aureum Delphis dedicasse: aetate hominis saltem superiorem. Anaglyphorum autem mentio multo serior est; Corinthiorum arti debita esse videtur arca Cypseli, Olympiae

dedicata ante Ol. XLIX, 1. a. C. 584. attamen jam ante Ol. XXX, 3 elaborata, ex cedro facta, aureis et eburneis signis distincta; Apollinis Amyclaei thronus e saxo qua aetate sculptus fuerit, ignoratur. Ista quidem in lapide; simile autem anaglyphum plurium figurarum ex aere nusquam memoratur, nam Rhoeci et Theodori, qui primi aere fundendo inclaruerunt, aetas est incerta, nisi quod probabiliter ante Olymp. XXX, Rhoecus utique, vixisse censendi sunt; verum nec illi nec alii post eos anaglypha ex aere effinxisse memorantur. Subsequuntur tempora Ioniae opibus, litteris artibusque excultae, Lydorum metallis ad luxum et ad artium ministerium vocantibus, inprimis inde ab Ol. XL et multo magis a Croesi regno inde ab Ol. LIV, 3. a. C. 562.

Perventum nunc est ad ea tempora, in quibus in omnibus hisce oris Asiae littoralis, insularum et Graeciae ingenia ad novos nisus et conatus excitata videmus. Nunc saltem probabile videri potest, extitisse artis opus aliquod, quod complurium signorum anaglyphorum clipeum animo poetae alicujus objiceret; quandoquidem hoc sequi par est, poetae fingenda esse probabilia, atque ea ipsa, quae mirabilia sunt, protypum aliquod habere debere, unde phantasmatis lineae ductae sint; ubi enim nulla est probabilitas, nec ad oculorum sensum nec ad animum esse potest voluptas. In Cypseli arca plura erant argumenta mythica per areas ordine positas, etsi nullo inter se nexu, expressa; pariter in throno Apollinis Amyclaei. Potuit ars delineandi, protypa ex argilla fingendi et formas operis seu fundendum illud seu malleo procudendum erat, elaborandi passim frequentata esse.

Post haec tamen alia miratio animum subit, quomodo poeta aliquis eo devenire potuerit, ut *in clipeo* tale tam varium et multiplex, tamque alienum a natura et usu clipei argumentum expressum fingeret. Extant multorum clipeorum memorationes; at in illis sunt expressa signa singula, ut Gorgonis caput: ita in clipeis Minervae, Agamemnonis Il. Λ. tum in clipeis Tragicorum, ut Septem ad Thebas apud Aeschylum et Euripidem. At signorum tantus numerus, nusquam memoratur. Ipsa vero anaglypha quam otiosa, quam ἀπροσδιόνυσα in clipeo! quam aliena a persona Achillis, non minus quam ab Iliadis argumento! quomodo hoc poetae in animum venire potuit, ut in clipeo herois, etsi ornatissimum eum clipeum esse vellet, urbes, agros, pascua, choreas, cumulatissimis figuris excusas esse narraret!

Quisquis haec legerit, facile mihi concedet, probabilius

esse, artificem seorsum de tali anaglypho cogitasse; non vero in clipeo bellicis usibus destinato: quid enim? an putare potuit auctor hostem, contra quem clipeus tolleretur, aut perterritum figuris tam operosae artis, aut in iis contemplandis occupatum fore? At potuit artifex in opus anaglyphum tam variae artis et argumenti incidere, dumque orbem terrarum exprimere vellet, formam rotundam, clipeiformem arripere. Tale argumentum, tali opere expressum, nihil haberet, quod dilectu suo mirationem faceret.

Si tamen artifex ad ipsum opus accesserat, nullo modo probabile fit, eum ad illud eo modo, quo poeta exposuit, elaborandum aggressum esse. Sunt enim singulae areae tam numerosis figuris, ut aere eas seu fundere seu malleo extundere diuturni et immensi operis res fuisset; si autem effectum esset, oculorum delectationem nullam habiturum fuisset; tam parvae enim ac variae et obscurae figurae tam multis in areis, operis quamvis magni et lati, visu vix discerni potuissent.

Delati nunc tandem sumus eo, ut clipeus Homericus, etsi ad artis opera accommodatus, putandus sit esse *mere poeticus,* nec ex artis opere aliquo simili petitus aut ad artis morem et indolem, descriptus. Probabilius utique videbitur statuere: fuisse *carmen aliquod*, quo ingenium poetae alicujus se exercuisset in partibus nonnullis et casibus vitae humanae adumbrandis; orbem terrarum seu universum cum exprimere vellet, ad formam orbicularem facile ille fuit adductus.

Quomodo autem fieri potuerit, ut *ista aetate* aliquis tale argumentum carmine reddendum animo conciperet, sunt utique nonnulla, quibus doceri potest, haud improbabile illud videri. Graecorum philosophandi conatus ab ea, quam nos physicam generalem appellamus, a cosmogonia et theogonia, processisse satis constat, nec modo antiquiorum aevo, verum etiam ea aetate, qua in Italia et in Ionia ad rerum caussas investigandas excitata sunt sapientum ingenia, carmina de natura rerum scripta esse plura. Expressa sunt elementa cum eorum coagmentatione variis modis symbolicis aut tropicis, tum ipsa corpora caelestia et terrestria descripta variis modis, modo per lusus ingeniorum, modo per allegorias, modo etiam mystica aliqua adumbratione. Ita cum peplo variis coloribus picto prospectus mundi comparatus est, uti nos quoque coelum stellis consitum cum veste expansa comparamus; E Pherecyde superest versus: *Ζὰς ποιεῖ φᾶρος μέγα τε καὶ καλὸν* apud Clement. Alex. Strom. VI, p. 741. Pott. quod ille cum vss. 483. et 606 *ἀσπιδοποιΐας* no-

strae comparat. Notus est similis pepli usus in teletis Orphicis; notus quoque peplus Minervae Athenis in pompa Panathenaica duci solitus. Ita vero nec minus orbis terrarum in tabula seu in plano aliquo ex aere per artem expressus cogitari ab aliquo poeta potuit; ut formam rotundam praeferret, caelum et oceanus, qui terram includeret, invitare potuit, ex mente veterum poetarum; cum caelum memoraretur, necessario sidera quoque exhibita sunt. Multum a physica aliqua subtiliore hominum ingenia aberant; itaque hemisphaerium ita expressum legimus, ut una et eodem in plano memoret poeta diem et noctem, Solem et Lunam, cum astris nonnullis notabilioribus; ut tamen Ursae minoris notatio nulla facta sit; circumdat terram Oceanus in amnis morem ex antiquiorum opinione.

Quod si ita statuimus, plura inter se bene conveniunt: perventum erat ad illa tempora, in quibus et opera similia sculpturae edita jam erant, et poetarum ingenia ad ejusmodi argumenta ferebantur; erat quoque vitae cultus per Ioniam et insulas aliquis paullo elegantior et opulentia, qualem in anaglyphis clipei propositam spectamus; haud multum ante Pisistratidarum et Solonis tempora, cujus ἄρχοντος ἐπωνύμου annus est Ol. XLVI, 3 a. C. 594 ad quae tempora concinnandae rhapsodiarum compagis studium referri posse videtur non sine magna probabilitate. Tenue est, commemorandum tamen, quod fama acceptum tradiderat Ephorus, Anacharsidem rotam figulinam invenisse, hoc est, in Graecorum notitiam adduxisse; de quo v. Obss. ad 600. Adiit autem Anacharsis Graeciam Solonis aetate, circa Ol. XLVII, 1.

Jam si tale carmen extiterat, quod in clipei formam et speciem formatum universum orbem describeret: quid mirum, cum in Iliade insignis operis arma Achillis a deo facta memorarentur, et in his clipeus, aut rhapsodus aut ex iis, qui rhapsodias in corpus aliquod redegerunt, aliquis carmen illud antiquum, aut ejus partem, etsi alienissimo in loco, Iliadi inseruit! Assequi ita licet, quomodo haec assuta sint tantum ornatus et delectationis caussa, nullo respectu habito τοῦ πρέποντος. Si poeta jam ab initio clipeum Achillis, qualem Ilias desiderabat, effinxisset; an unquam ille ad tantam rerum copiam evagatus esset, ad quam nihil erat, quod duceret; repugnante contra carminis, rerum, narrationis, ordine et ratione. Substitisset ille in vs. 482. Sed δαίδαλα πολλὰ ingenium alterius hominis ad interpolationem moverant. Idem saltem non processisset ultra vs. 489. nisi jam elaboratissimum carmen de urbibus et reliquis ad manum

fuisset, quod coagmentari cum ceteris posse putasset. Sane quidem haec, ex multarum notitiarum nexu collecta, ultra probabilitatem haud assurgunt; verum nec improbabilia haec sunt, nec alia video probabiliora, ea autem quae vulgari opinione ac fide circumferri solent, omni, quod vidimus, antiquitati repugnant.

Ceterum ex his manifestum fit, omnem disputationem de clipeo tot tantarumque rerum capace, de arte, qua res expressae sint aut exprimi potuerint, disputationem esse vanam; poeticum esse ingenii lusum ab arte nunquam opere aliquo expressum, et nos alium ingenii lusum meditari, si quaerimus, quomodo nostra arte clipeus Achillis anaglypho effingi possit, aut quomodo ejus argumentum delineari. Quod vero gravius observatu est: cum carminis hanc partem Homerum auctorem vix habere posse constet, perperam artis inter Iones, aut omnino inter Graecos, alicujus exquisitae specimina tanta in decimo ante C. N. saeculo quaeri.

Veteres dulcedine carminis deliniti nihil nec de sculpturae probabilitate, nec de episodii ratione ad ipsum carmen, nec de carminis veritate quaesivisse videntur. Ex eo autem, quod Virgilius similem Aeneae clipeum adornavit, apparet, nec saeculum Augusteum ad rem tam parum probabilem et idoneam offendisse. Tam proclives sunt hominum animi ad probandum id, quod mirationem facit cum dulcedine aliqua, et tam tarda et timida sunt ingenia ad excutiendum id, quod mirantur. Spectatur tamen in hoc ipso summa poetices vis ad hominum animos, quod ipsis commentis suis eos delinit et phantasmatum ornamentorumque voluptate detinet, ut ne in ea quidem satis inquirere audeant; multoque magis si antiquitatis commendatione ea se insinuent. Hoc illud est, quod Pindarus pronuntiat: *καί πού τι καὶ βροτῶν φρένας ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις ἐξαπατῶντι μῦθοι.* Olymp. I. et Nem. VII, 31 ubi *τὸν ἀδυεπῆ Ὅμηρον* memorat, *ἐπεὶ ψευδέεσσίν οἱ, ποτανᾷ μαχανᾷ, σεμνὸν ἔπεστί τι. σοφία δὲ κλέπτει παράγοισα μύθοις.*

Recentiorum studia occupata fere fuere in clipei adspectu, rerum effictarum formis et arte, qua eae expressae fuisse creduntur. Inprimis quaesitum est, quomodo in clipei superficie tot rerum argumenta reddi ab arte possint. Itaque laboratum est in iis commode disponendis; quod pro suo quisque ingenio est expertus. Clipeus esse debuit oblongus, quippe *ἀνδρομήκης*, etsi formam *τοῦ σάκεος* diserte nusquam tradidit Homerus. Ad formam orbicularem accedere debuit plus minusve, quod ipse terraquei orbis et

Oceani circumfluentis habitus suadet. Nihil occurrit in carmine, unde colligi possit, quo situ ac positu expressas figuras apud animum suum finxerit poeta; utrum ita, ut, si Achilles clipeum rectum manu teneret, rectis pedibus illae starent; an ut circumductis orbibus figurae intra oram et umbonem ita starent, ut seu pedibus versus oram, seu ad umbonem conversis illae essent; probabilius visum postremum. Alia quaestio agitur, num signorum seu figurarum series in lineis ac striis rectis, an in fasciarum modum circumducta, an una area inter umbonem et oram latiore, sed per plures areolas ac septa distincta, pro argumentorum numero ac varietate res exhibitae fuerint. Probabilius habitum hoc ultimum. Nunc autem iterum in diversa itum est, in constituendo argumentorum, exinde arearum et septorum numero. Operis ratio videtur satis diserte esse declarata; exhibita est hominum vita, in pace et in bello; per duas urbes, alteram pacis bonis fruentem, alteram obsessam ab hoste; inde vitae rusticae studia per arationem, messem, vindemiam, pastionem; tandem per choreas saltantium; argumenti pars quae ceteris parum respondet. In reliquis judicium poetae probes et dilectum mireris. Dionys. Hal. de Homeri poesi 11. observat, Homerum in hoc clipeo proposuisse τὸν πολιτικὸν βίον vs. 491. τὸν στρατιωτικὸν 599. et τὸν γεωργικὸν 531 sq.

Noti quoque sunt virorum ingeniosorum conatus in adumbrandis his argumentis et ad certum numerum revocandis; praeiverat artis exemplo Philostratus jun. Imag. 10. parum tamen feliciter in hoc, quod Neoptolemum effictum esse narrat clipeum paternum manu tenentem; non autem ipsum clipeum picturae summam constituit; in clipeo tamen omnia expressa esse narrat, quae carmine narrata sunt. Alioqui pictura multo melius adumbrari possit clipei tale argumentum, quam in aere. Opportunior tamen vel sic est delineatio graphica, a pluribus tentata; superstructa fere conatui Boivini in clipei Achillei apologia, quem adoptavit Pope, emendavit Comes de Caylus, inde Lessingius, qui, numerum arearum nimis auctum a Boivino ad decem revocavit, computo fere ad formulas ἐν μὲν ἔτευξε, ἐν δὲ ποίησε, ἐν δὲ τίθει, ἐν δὲ ποίκιλλε inito. Iterum XVII argumenta diversa constituit d'Hancarville; alio modo Court de Gebelin, (*Monde primitif.* To. VIII,) qui Calendarium rebus per XII menses dispertitis exhibitum esse sibi persuaserat. Potest arearum numerus ad quatuor vel quinque reduci; sequamur tamen id, quod sponte se offerre videtur. Sub ora clipei ambire superiore plaga superficiem infra positam

debuit Oceanus; probabile fit ipsum umbonem occupare caelum cum Sole, Luna et astris. Mediam inter caelum et Oceanum superficiem Terrae Marique relictam putabimus, etsi, qua parte mare locum suum habuerit, haud dixero. In areas haec media superficies dispertita apud animum nostrum cogitari potest has, ut esset I. urbs pacatis rebus, vs. 490. II. urbs ab hostilibus copiis, binis castris, obsessa, et pugna ex insidiis commissa, vs. 509 sq. III. IV. V. aratio, messis, vindemia, 541. 550. 561. VI. VII. pascua armentorum et ovium, 573. 587. VIII. chorus cyclicus Creticus, 590.

In his tamen constituendis ne animo dimittamus, nos lusum ingeniosum exercere, in revocando lusu poetico antiquiorum aetatum ad artis opus aliquod ex nostris delineandi et plures figuras, actiones et rerum genera dispertiendi praeceptis et regulis.

Praeclara erat Lessingii observatio, multis laudibus commendata, quod clipeum descripsit poeta, non, qualis arte jam erat elaboratus, sed, quo operis progressu ille procudebatur; quod delectationem habet, cum ita singula deinceps cognoscantur discreta inter se et se deinceps excipientia; Quod aliter se habet in descriptione rerum jam una existentium, in quibus enarrandis ab alia ad aliam juxta positam procedere cogeris. Nec tamen haec tantam mirationem facere aut possunt aut debent. Ipsa enim res, narrandi modus et ordo, cum Vulcanus ad arma fabricanda assedisset, poetam eo adducebant; nec aliter ille narrationem instituere potuit, cum semel ita narrare exorsus esset, ut diceret, Vulcanum fecisse primum hoc, tum illud, et sic porro; nec magna ingenii subtilitate ad hanc rationem excogitandam opus erat.

Virgilianum clipeum Aeneae inferioris et artis et ingenii esse uno ore pronuntiarunt omnes. Lessingius quoque in eo inprimis Virgilium peccasse censuit, quod non fabricando per singulas partes clipeo legentes admonet, sed clipeum jam factum ante oculos ponit. Atqui diversissima utriusque poetae ratio est pro consilii diversitate. Virgilius ea, quae in clipeo expressa sunt, *animo tantum et mente fingi* a lectore vult, non ipse enarrat; itaque tantum potiora nonnulla subjicit commemorando, sed tanquam poeta, nec nisi in pugna Actiaca ad veram sculpturam animum revocat; in Homericis autem *sensui oculorum* singula cognoscenda proponuntur, ut in adspectu morari oculi possint. Quam diversa autem haec sunt! alterius clipei res *ad cogitationem* revocandae sunt, alterius *ante oculos positae.* Virgilius au-

tem hoc ipso laudem suo clipeo quaesivit, quod omnis historiae Romanae complexum aliquem cogitationi mentis subjicere voluit; mentione artis prorsus nulla facta. Habebat autem caussam gravissimam, cur hoc sequeretur, *argumenti* enim in clipeo expressi *voluit esse concentum aliquem cum argumento carminis:* res enim Romanae sculptura expressae a deo rerum futurarum provido habebant quod cum Aeneide conveniret; adducere porro ille voluit rerum seriem ad pugnam Actiacam, quae primarium sculpturae argumentum constitueret. At signa in Achilleo clipeo prorsus nihil habent, quod cum Iliade, cum Achillis rebus, commune sit; constituunt digressionem prorsus alienam a carmine, et abducunt animum a rerum summa, ideoque pro episodio quidem suavi per se et jucundo haberi possunt, sed alieno, inutili, et cum rerum tractandarum summa omni vinculo, cognatione, necessitate, destituto. Haec si Lessingii acumini se obtulissent, non ille de utroque clipeo ea judicasset, quae in Laocoonte XVIII sub f. p. 188. 189. pronuntiata sunt. Verum de Virgiliano clipeo satis dictum est in Exc. IV. ad Aen. VIII.

EXCURSUS AD ILIAD. Τ.

EXCURSUS I.

De Ate.

Τ. 90. θεὸς διὰ πάντα τελευτᾷ πρέσβα, Διὸς θυγάτηρ, Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται, οὐλομένη, τῆς μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες—

Quandoquidem inter primarios fructus, quos ex Homeri lectione reportare volumus, est sermonis antiqui ratio, priscorumque hominum mos et usus novas rerum notiones concipiendi et declarandi, maxime si mente tantum et animi judicio percipi res possunt: de *Ate* licebit pauca monere, etsi de ea jam olim a me tum ab aliis actum, et supra quoque ad I. 115 in Notis de ea universe monitum est. Est enim ea pro exemplo exoptato sermonis antiquioris, symbolice mentis cogitata declarantis, e quo nati sunt mythi, tropi, phantasmata et ornamenta poetica et rhetorica. Porro hoc exemplo declaratum habemus, quomodo in hominum sermone fingendo ab aliqua notione voci subjecta non tam

animi judicium, quam phantasia et fingendi licentia procedat ad similes notiones, quarum tamen jungendarum et copulandarum mira est sollertia hominum etiam rudiorum.

Ἄτη igitur, si loca Homerica compares, I. primo loco est *vecordia animi* sive ira exasperati sive superbia inflati, sive ex alio mentis occaecatae affectu, quo quis praeceps consilium capit, judicium pravum impulsumve cupiditatis, vel odii et irae temere sequitur, inde ex reatu et culpa aerumnis se implicat, quae interdum alios casus infaustos arcessunt. A. 412 γνῷ δὲ καὶ Ἀτρείδης ἣν ἄτην. et nostro loco T. 88 οἵ τε μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην. 135 οὐ δύναμαι λελαθέσθ' ἄτης, ᾗ πρῶτον ἀάσθην. Od. Δ. 261 Helena de se: ἄτην δὲ μετέστενον, ἣν Ἀφροδίτη δῶχ', ὅτε μ' ἤγαγε κεῖθι. et de eadem Od. Ψ. 223 τὴν δ' ἄτην οὐ πρόσθεν ἑῷ ἐγκάτθετο θυμῷ λυγρὴν etc. vecordiam alieni amoris nunquam antea in animum suum admiserat. et de Melampodis armenta Iphiti abducturi, sed capti et vinculis habiti, vecordia, Od. O. 233 δεσμῷ ἐν ἀργαλέῳ δέδετο, κρατέρ' ἄλγεα πάσχων, εἵνεκα Νηλῆος κούρης ἄτης τε βαρείης, τήν οἱ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ δασπλῆτις Ἐρινύς. Potest ita accipi de Dolone profitente haec: Il. K. 391 πολλῇσι μ' ἄτῃσι παρὲκ νόον ἤγαγεν Ἕκτωρ, ut sit σὺν πολλῇ ἄτῃ, magna cum animi stultitia, cum splendidis Hectoris promissis in fraudem esset inductus. etsi ibi quoque locum habet alia interpretatio. Est haec quoque Jovis stultitia et error praeceps, cum a Junone pateretur se induci ut juraret T. 95 sq.

II. Cum autem interdum difficile ad assequendum sit, quomodo aliquis, alioqui prudens et σώφρων, praeceps ferri potuerit ad tantam mentis occaecatae stultitiam: res saepe referri coepit ad *fatalem* aliquam *necessitatem*, aut ad *dei alicujus invidiam* vel *fraudem;* quod Agamemnon profitetur T. 86. 87 ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι, ἀλλὰ Ζεὺς καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐριννύς, οἵ τε μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην. Adjuncta hinc plerumque haec notio, ut sit stultitia et vecordia *divinitus immissa.* Ita de ipsa Helena loco supra memorato: Od. Ψ. 223 τὴν δ' ἤτοι ῥέξαι θεὸς ὤρορεν ἔργον ἀεικές· τὴν δ' ἄτην οὐ πρόσθεν ἑῷ ἐγκάτθετο θυμῷ. Inde quoque torpor animi et stupor, quo percussus repente fuerat Patroclus, ut sui potens non esset, redditur per ἄτην· τὸν δ' ἄτη φρένας εἷλε, λύθεν δ' ὕπο φαίδιμα γυῖα. στῆ δὲ ταφών. Il. Π. 805. 6. stuporem inflixerat Apollo, qui eum manu percusserat vss. 791 sq.

III. ἄτη est *injuria*, ὕβρις, quam quis, tali mentis errore abreptus, infert aliis. Talis est Ἄτη in personam mutata Il. I. 500. 1. 2. quam subsequuntur Λιταὶ, injuriam illatam

deprecantes cum vecorditer actorum poenitentia. Convenit notio, ut

IV. ἄτη sit *flagitium* occaecata mente perpetratum. Hoc sensu aliquoties occurrit Paridis ἄτη Z. 356. Ω. 28.

V. ἄτη est facinore vel injuria contractus *reatus*, et debita ex reatu *poena*, quae talem injuriam manet. Haec est Ἄτη, quae premit eum, qui mala perpetravit vel intulit, ut pro injuria satisfaciat aut poenam luat: I. 508 Preces supplices, Λιταὶ, Jovem orant, τῷ ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ, ut reus injuriae poenam solvat ipse aliud malum expertus. Ita est

VI. ἄτη *malum, calamitas* errore animi et fraude arcessita. Sic Agamemnon queritur B. 111 Ζεύς με ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ. Θ. 237 idem cum indignatione: an tu unquam, Jupiter, alium regem τῇδ' ἄτῃ ἄασας καί μιν μέγα κῦδος ἀπηύρας, in talem calamitatem immisisti, ut tanto se dedecore affectum videret! Et ipse Achilles T. 270 Ζεῦ πάτερ, ἦ μεγάλας ἄτας ἄνδρεσσι διδοῖσθα. Ulysses in insula Solis evigilans, O Jupiter et dii, ἦ με μάλ' εἰς ἄτην κοιμήσατε. Eaque sollennis fere hinc mansit notio vocis, cujus similem usum postea nacta est vox νόσος apud Tragicos v. c. ap. Eurip. Troad. 27. 1042.

VII. Cum vix aliter fieri potuerit, quam ut in animis seu perturbatis affectu, seu sensu et phantasmate abreptis cum aliqua notione τῆς ἄτης altera se implicaret et copularet: mirandum non est, inesse interdum voci *complexum plurium notionum*, ut interpretatio haud una modo locum habeat: idque maxime intelligas in locis in quibus *Ate dea* a poeta exhibetur I. 500 sq. et T. 90 sqq. Verum et in aliis: Il. Ω. 480 ὡς δ' ὅταν ἄνδρ' ἄτη πυκινὴ λάβῃ, ὅστ' ἐνὶ πάτρῃ φῶτα κατακτείνας ἄλλον ἐξίκετο δῆμον, ἀνδρὸς ἐς ἀφνειοῦ, θάμβος δ' ἔχει εἰσορόωντας. hic est scelus ipsum caedis perpetratae, cum reatu, et calamitate gravissima exulantis. Od. Φ. 302 ubi praecesserat 293 οἶνός σε τρώει μελιηδὴς, ὅς τε καὶ ἄλλους βλάπτει— οἶνος καὶ Κένταυρον ἀγακλυτὸν Εὐρυτίωνα ἄασεν apud Pirithoum: ὁ δ' ἐπεὶ φρένας ἄασεν οἴνῳ, μαινόμενος κάκ' ἔρεξε. tum heroes eum aedibus proturbarunt auribus et naribus rescissis: ita ille abiit suam vecordiam et malum inde contractum secum auferens: ὁ δὲ φρεσὶν ᾗσιν ἀασθεὶς ἤϊεν ἣν ἄτην ὀχέων ἀεσίφρονι θυμῷ.

Cum haec sit propria animi humani seu imbecillitas seu perversitas, ut erroris et perperam facti caussas ad alios transferre et a nobis avertere studeamus: rudioribus ingeniis antiquiorum aetatum ea ubique inusta fuit stoliditas, ut ad deos auctores referrent, ea, quae quis ira, animi ar-

dore, cupiditate, scelere abreptus commiserat. Res est nunc inter vulgaria, etiam ex libris sacris declarata. Monebo tantum verbo de notione multis modis variata. Cum primo θεοὶ vel δαίμονες vel θεὸς universe, δαίμων, τὸ θεῖον, aliquem impulisse dictum esset: successit postea Fatum, fatalis aliqua necessitas, quae ad flagitium, et per hoc ad perniciem, adduceret; haec est ἡ Μοῖρα, postea εἱμαρμένη. Melius huic substituta est Ἐριννύς, quae eadem commissum scelus ulciscitur. Comprehendit plura in se vocabulum Ates, cujus usus vulgaris postea abiit ad notionem communem mali, damni, calamitatis. Vestigia ejus adhuc sunt in Pindaro Pyth. III, 42 de Coronide Apollinem posthabente mortalis amori: ἔσχε τοιαύταν μεγάλαν ἀάταν λῆμα Κορωνίδος, stolidae mentis vesaniam, et de calamitate ex tali insania P. II, 52 de Ixione epulis deorum admisso et Junonis amplexus captante: ἀλλά νιν ὕβρις εἰς ἀάταν ὑπεράφανον ὦρσεν. Ita factum, ut interdum ipsa Ὕβρις sustineret partes τῆς Ἄτης, tanquam caussa effectus. At Tragici pro hac Ate in scenam produxerant Fatum suum, quod tragicum appellamus; cujus egregio ad casus tragicos usu semel cognito, indulsisse sibi videntur interdum licenter in casibus tragicis regendis: cum fatum hoc v. c. ad totam aliquam domum et cumulanda in ea, ut in Atridarum aut Laii domo scelera, adhiberent. Variis modis variata est haec modo Erinnys modo ἡ θεὸς, Poena, δαίμων, quae per omnem stirpem grassatur et patrum seu majorum commissa ulciscitur posteritatis calamitate. Persuasionem de tali fatali occaecatae mentis stultitia adoptarat Herodotus: de qua ab aliis est animadversum. Successere tandem vulgares notiones θεομηνίας, Τύχης, Fortunae. Innuere haec pro consilio meo satis esto.

EXCURSUS II.

De digammo placita, quae in Homero probanda esse videntur.

T. 384 πειρήθη δ' ἕο αὐτοῦ.

Laborat lectio gemino vitio hiatus et digammi ignorati; antiquam lectionem fuisse πειρήθη δέ Fε' αὐτοῦ, in aperto esse arbitror. Cum disputationem de digammo libris postremis dilatam servarim: descendendum mihi tandem esse video ad quaestionem vel invito. Doctrinam tamen de digammo accurate tradere, aut, quae de eo tradita et disputata sunt, repetere velle, alienum esset a consilio et re in qua versor. Commemoranda mihi sunt ea tantum, quae ad Homerum spectant; apponam tamen ex his quoque non nisi ea, quae

multa observatione mihi constare, et usum aliquem in Homericis habere visa sunt; etsi neque de his cum quopiam, qui aliter censeat, contendere lubeat[a].

Fuisse igitur *antiquioribus Graecis certarum vocum* a vocali incipientium *pronuntiationem* aliquam, quae etiam *in mediis* vocibus inter duas vocales locum habuit, dubitari nequit; fuisse eam *genus adspirationis*, a spiritu aspero diversum, in carmine autem *locum et usum consonae* tenuisse, liquido constat. Aeolibus illa vulgo tribuitur, et *digamma Aeolicum* appellatur.

Quo sono veteres Graeci adspirationem illam enuntiarint, nemo pro certo dixerit, creditur tamen ea sono labiali propior fuisse, quia in Latino sermone per V reddita est; a Doribus, inprimis a Lacedaemoniis per B. etiam per Υ. Transiit quoque in Γ. quod qua ratione factum sit, ignoro[b]. Comparari a recentioribus solet digammi pronuntiatio cum sono Britannorum in *one* aut in vocibus a w incipientibus. Verum in linguis, quae usu populorum frequentari desie-

[a] Si cui placuerit ea, quae omnino de digammo varie et per opinionum ambages disputata sunt, cognoscere, consulat inprimis *Dawes* Miscellan. crit. IV, p. 113 sq. 122. cum *Burgess* p. 396. *Reinold* Historiam Gr. et Lat. Litt. p. 35, *Rich. Payne Knight* Analytical Essay on the Greek Alphabet. Praecesserant multi, qui caput hoc litteraturae Graecae attigerant, Bouhier, Chishull, Taylor, Wise. Nam occurrunt hujus generis nonnulla in Marmoribus et Numis. Equidem hoc ipso, quod ad Homerica potissimum omnem disputationem revocavi, et ab opinionum et ariolationum commentis segregavi ea, quae ipsa re et usu se probarent, ad certiora nonnulla et veriora delatus esse mihi videor.

[b] De his omnibus haud laboro: nihil enim nunc omnino de pronuntiatione constitui potest, praeterquam ex soni permutatione cum aliis similibus; nam ipsa signa digammi incerta ac varia sunt ac fuerunt; tum vero nec una eademque digammi pronuntiatio inter omnes Graecos populos et tractus aut fuit aut esse potuit; potuit quoque eam mutare temporum progressus et hominum usus: quis de his aliquid tuto statui posse sibi persuaserit? Nec novi, an nostris auribus sonus ille satis jucundus videri possit; mihi certe sonus του ϝειπε vel εϝειπε, toties in Homericis obvius, non valde jucundus esse videtur. Digamma per Υ redditum videmus in Pindaro: αυαταν pro αϝαταν Pyth. III, 42. II, 52. ubi v. Schol. sic αυιαχος pro αϝιαχος. v. ad Il. N. 41. In numis Veliae in Lucania, quae Ἐλέα serius fuit, occurrit nomen etiam in Herodoto memoratum Υελη pro ϝελη. Fuit illa colonia deducta ante Olymp. XLV. a Phocaeensibus ex Ionum genere. Apparet vel ex hoc exemplo: primo, digamma Ionibus quoque frequentatum esse; pronuntiatum fuisse per Υ et ita serius quoque, multis post Homerum aetatibus, scriptum, cum Aeoles ferantur usi esse signo F. quod signum, re ignorata, a grammaticis pro Γ duplicato habitum digamma appellatum, locum dedisse videtur mutationi digammi per gamma exarati in glossariis in capite vocum v. c. γεθεν pro ϝεθεν. γέλεα pro ϝελεα, ab ἕλος, palus. γεντο pro ϝεντο. Nec satis scio an in sibilum processerit aliquando digamma; ut *se* factum sit ex ἕ, ϝε. Nam etiam asper spiritus in sibilum mutatus est, in *sex* ex ἕξ, *septem* ex ἑπτά. *super* ex ὑπέρ.

runt, de pronuntiatione aliquid tuto statui ac decerni posse, nondum mihi persuadere potui.

Cum Romanorum Vau digamma convenisse, e notis Quintiliani grammaticorumque locis satis constat. Dionysius Halic. Ant. Rom. I, 20. (p. 16.) cum *ου* comparat, ut in loci nomine, qui in urbe fuit, Velia *Ουελια*. Non recte confundi sonos f. V. Φ. jam saepe a viris doctis notatum est, fuisse enim eos sonos inter se diversos multis ex locis constat; Verum ista hujus loci haud sunt.

Aeolum illud tanquam proprium habitum est jam inter veteres; estque haec opinio recepta a grammaticis ad nostram aetatem propagata; ita jam Apollonius Dyscolus tradidit in fragm. App. Maitt. p. 425. 427. 432. (ubi *τὸν ἑὸν παῖδα* scribendum est *τον Ϝον παιδα* et pro *τὰ ἑὰ κάδεα, τα Ϝα.* pro *ἄτερ γέθεν*, ex Alcaeo, *ατερ Ϝεθεν.*) In Latinis grammaticis appellatio est frequens. Priscianus lib. I. cap. de numero litterar. p. 345 ad Varronem et Didymum provocat. Sane in fragmento Sapphus ap. Longinum est *ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσα Ϝεαγε* vel *ϜεϜαγε* (at paullo ante adversatur: *ὡς γὰρ εἴδω σε.* nam *Ϝειδω* metro repugnat.). Firmavit hanc opinionem aliud, quod vulgo in hominum ore habitum est, linguam Latinam, in qua multa cum Graeco sermone conveniunt, ad dialectum Aeolicam formatam esse.

Equidem, cum hujus asserti fidem et fundum curatius inquirerem, nihil vidi esse satis firmum, cui vulgaris haec opinio inniteretur. Quid tandem commercii Latinis et, ductis ab iis, Romanis aut fuit, aut esse potuit *cum Aeolibus*, ut ab his sermonem et grammaticam adsciscere possent? Adversatur asserto omnis historia antiquior. Immo vero Pelasgi fuere, qui, migratione in Italiam facta cum Aboriginibus, Ausonum stirpis populo, e quibus Latini fuere, coaluerunt. Itaque *digamma Pelasgicum* potius esset dicendum, si nomen certum impertire velles. Praestat tamen vel sic dicere *antiquiorum* illud fuisse *Graecorum commune*, atque in usu habitum vulgari in sermone Graecorum vetustiore. Hellenes, aut a Pelasgis oriundos, Pelasgicaeque stirpis populum, aut cum iis permixtos (cf. Strabo V p. 337 C.) et subinde opibus auctis iis validiores, sermonem cum iis communem ac promiscuum habuisse, ex rebus narratis facile colligas. Jam Aeoles, qui antiquiora constantius retinuisse videntur, potuere quoque digamma in pronuntiatione diutius servare, quam reliqui Hellenes; sunt iidem molliores sonos sequuti et spiritum asperum respuerunt. Cum itaque in Latino sermone nonnulla ex antiquo Grae-

corum sermone ducenda esse intellectum esset, quae convenire videbant cum dialecto Aeolica, Aeolica illa appellata sunt, cum antiqua appellanda essent, atque ita vulgaris opinio increbuit, etiam digammi Aeolici vestigia in sermone Romanorum superesse.

Atque hanc opinionem sequuti sunt grammatici cum Latini tum Graeci. Melius de his constaret, si Tyrannionis libellus exstaret, qui apud Suidam voc. Τυραννίων scripsisse dicitur librum περὶ τῆς Ῥωμαΐκῆς διαλέκτου, ὅτι ἐστὶν ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς. vides eum non pronuntiare: ἐκ τῆς Αἰολικῆς. Minus caute alii, ut Quintilianus: *Aeolica ratione*, inquit, *cui sermo noster simillimus est*, et Athenaeus X, 6 p. 425 A. et alii.

Si tamen perspectum et animo fixum habeas, omnino antiquioris sermonis Graeci usu, nec tantum Aeolum, frequentatum esse digamma, idque sensim sensimque in desuetudinem abiisse: longe aliud judicium animo subnascitur. Ab Aeolibus illud, ut paullo ante dixi, servatum est constantius; proximo ab iis loco, a Doribus; occurrit enim adhuc in nonnullis vocibus Marmoris Heracleensis. Quid mirum: si antiquiores quoque Iones illud in multis servarunt? si iidem illud serius dedidicerunt et neglexerunt, ut ejus usus jam in Hippocrate obliteratus sit? Quod si haec a rerum usu et more haud abhorrent, quid tam novum hoc esse putabimus, si in Homero Ionico et antiquiore poeta, digammi, serius abrogati, vestigia haud pauca occurrunt, nec tamen omnia, quae Aeolum fuisse feruntur! ut nec inde, quod ista vestigia digammi cum Aeolismo conveniunt, colligere liceat, Aeolica ea esse? aut Aeolibus sublecta? aut Aeolicum fuisse poetam? Verbo: Homericum dicere praestat digamma; nec Aeolicum, nec Ionicum; ut nec Ionicam dicere placet dialectum in Homero regnare; praestat sermonem epicum dicere, et Homericum [a].

Ceterum de nomine digammi parum laboraremus, nisi illa persuasio, *Aeolicum* illud esse, non modo abduxisset

[a] Post multa in aliam partem disputata, videtur ad hoc ipsum devenisse Burgess p. 407. et p. XVII. post Fosterum p. 107. Adscribam Burgessii verba: "Jam quae dicta sunt, "eo pertinent, ut ostendant, Aeolicam dialectum non unius gentis "fuisse propriam, sed antiquam universae Graeciae dialectum; deinde "ex progressione linguae Graecae et "cognatione dialectorum ejus ac "tempore, quo vixerat Homerus, atque consuetudine poetarum, antiquitatis scilicet custodum, Homerum *Aeolica dialecto uti potuisse;* "denique ex testimoniis ipsius poematum, una cum scriptorum veterum auctoritate, *revera ea fuisse* "*usum;* atque adeo *Aeolicum* digamma ab *Homericis* scriptis haud "alienum." Tenenda saltem sunt priora.

viros doctos ab animadvertendo ejus usu in carminibus Homericis, verum etiam in transversum eos egisset ad comminiscenda alia ab ipsa re aliena; in his inprimis acutissimum virum Dawes, qui Aeolico digammo abjecto comminiscitur Ionicum w, et pulvere strenue moto caliginem inducit: cf. Burgess ad Dawes p. 396 sq.

Altera ex parte grammatici Aeolum nomini nimium honorem habuere, dum multa in Homero ex dialecto Aeolica duxere, judicio haud meliore; qua enim fide, qua probabilitate poeta Ionicus ab Aeolibus plura mutuasse censendus est? idque nulla de caussa, nulla necessitate? Immo vero antiqua illa erant, antiquis poetis, etiam Ionibus antiquioribus, communia, quae servata sunt diutius ab Aeolibus. Ita *ἱππότα Νέστωρ*, pro *ἱππότης. μητιέτα, νεφεληγερέτα Ζεὺς*, et sic alia, v. c. quod casus secundus in *φι* formatur: *Ἰλιόφι, δεξιόφι, ἀριστερόφι.* quae Aeolica esse volunt; ut Dyscolus in App. Maitt. p. 434 B. Antiqua, non Aeolica modo sunt, *φαεννός. κτέννω*, nam plures erant formae, *κτένω. κτέννω. κτείνω.* Permoti tamen his Aeolicae dialecti, quam crediderunt, vestigiis, alii eo devenere, ut Homerum mallent Aeolensem fuisse credere[a]; quibus praeivit auctor ineptus Vitae Homeri, Herodoti nomine inscriptae, qui ineptius etiam inscita interpretatione vss. 462. 463 Il. A. assertum suum declarare conatur. Alio errore abrepti grammatici eo devenere, ut Homerum promiscue dialectis variis usum et pro lubito modo ex hac modo ex alia, etiam Attica, dialecto, quibus opus haberet, mutuatum esse, sibi persuaderent. Immo vero ille usus est sermone qui tum erat antiquorum poetarum; exolevere alia, alia mansere in usu Aeolum, alia Dorum, alia Atticorum.

Cum digamma commune esset antiquioribus Hellenibus, ejusque usus pro diversis gentis stirpibus, temporum decursu, varius: mirum non est, si non omnia, quae apud Aeoles servata sunt, occurrunt quoque in Homero: serva-

[a] Multum quoque in hoc laborare video acutissimum virum Rich. Bentlei. ut efficiat, Homerum Ionice scripsisse, sed ex Aeolibus fuisse. Provocat ad Strabonem p. 582. (XIII, p. 872) "qui Aeolenses post Trojam captam ait totam fere Troadem coloniis suis occupasse, unde data forte ansa sit Homero Aeolensi de Troja scribendi: vide et p. 586. 600. 5. 610. 622." Ita ille. Patet ex locis, fieri facile potuisse sic, ut Homerus Troadis et rerum Trojanarum notitiam haberet; ad digammum nihil facit, Aeoles late dispersos per oram habitasse satis constat. Fuit quoque Smyrna aliquando in eorum potestate; unde Mimnermo dicta fuit *Σμύρνη Αἰολίς*. ibid. lib. XIV, p. 940. 1. Sane Homero inter alias urbes etiam Cumen assignarant patriam *οὐχ ὁμολογουμένως*, ut idem ait p. 924. Verum ex his nihil effici potest quod satis firmum sit.

verunt poetae alia, alia reliquerunt, pro necessitate metrica vel utilitate. Inde commemorari possunt Aeolica, quae in Homero non occurrunt, et vice versa. Quo spectat illud quod Dionys. Halic. narrat de Velia, urbis Romae loco, a voce *Ϝελος*, quae vulgo *ἕλος* est, ducta, quod loca erant palustria, *ἑλώδη, κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον*, et *σύνηθες τοῖς παλαιοῖς* Ἕλλησιν (Aeoles non memorat) fuisse ait, ut Ουελια pronuntiarent. Atqui apud Homerum nullus in hac voce digammi usus occurrit.

De Aeolica dialecto seriores grammatici omnino comminiscuntur multa et ariolantur; pauca ex re tenuere. Unde enim Aeolicam dialectum antiquam cognoscerent, non dicam, Gregorius Corinthius, Joannes Philoponus, et similes, quorum aetate forte ne vestigia quidem Aeolum supererant, verum Alexandrini et seriores? Ubi erant urbes Aeolicae, quae ea uterentur sincera ac pura? Quae tenuerunt grammatici ex poetis lyricis, qui adhuc superstites erant, petenda fuere. At neque his praecipuum aliquod studium impendisse videntur, occupati potissimum in poetis epicis et tragicis; quo evenisse suspicor, ut tam mature intercciderent lyrici.

Signa, ut aspirationis, ita quoque digammi fuere varia[a]. Sequor illud, quod nomen quoque fecit duplicis Γ per characterem F, cui ut expeditior ductus sit, in minore scriptura substituo Ϝ, neque in his inutilem subtilitatem sectari placet: quandoquidem nec grammatici veteres, qui de digammo agunt, notionem ejus satis claram et doctam habuere, nec ipsa signa ubique recte exhibita sunt. Dawesii w si in pronuntiando sequaris, haud repugnabo; non etiam in scriptura. Sequor Bentleium, qui et ipse signo F et Ϝ utebatur.

Gravior mihi habetur illa quaestio: quinam fuerit usus hujus digammi apud antiquos; quam late patuerit; constansne fuerit ac certus in certis vocabulis; et quaenam illa fuerint vocabula, quantus eorum numerus; ut inde appareat, quibusnam in locis huic digammo honos suus restituendus sit, si modo ulla inde ad poetam proficiscitur seu

[a] Neque ea semper lege satis certa; ita in tabula Heracleensi dialecto vetere dorica exarata, idem signum adspirationi modo asperae, modo digammo inservit. Omnino de his signis difficile est quidquam ad liquidum perducere; Simplicissima putes esse antiquissima, et redeundum esse ad scripturam antiquiorem a dextra ad sinistram versam. Ita signum ⅂ debuit esse antiquius; cum autem a laeva exorsum faceret scriptura, subnatum esse necesse est Γ. Successit F quod ex aspiratione geminata ortum habuisse videri potest; revocatum inde a forma ad duplex gamma et inde appellatum digamma.

gratia et venustas, seu utilitas metrica. Accedit illa quaestio, quo tempore digammi usus neglectus fuerit. Haec tamen omnia non nisi quatenus ea ad Homerum spectant, persequenda mihi esse video; idque eo magis, quo ea, quae universe de digammo disputari video, deficientibus antiquitatis monimentis, fundo idoneo plerumque carent et ad meras conjecturas et ariolationes redeunt, in uno autem Homero ad certam probabilitatem res adduci potest, et ad criticas rationes fructus inde aliquis colligitur haud omnino contemnendus.

Cum in toto hoc genere videndum sit primo loco de ipsa re, quae et qualis illa sit, observanda et enotanda vidi esse ex Homericis *vocabula* ea, *quae manifesto usum digammi arguunt.* His licuit pro fundo uti, cui superstruerentur alia, ita ut tandem certa ac tuto pronuntiata nonnulla prodirent, quae ad alia transferri et applicari possent. Institui itaque *recensum vocum,* quae digamma aut aperte postulant aut non aegre admittere videntur.

Usum itaque *digammi in Homericis* aliquem fuisse, dubitari nequit; et si Homerum appellare placet poetam Ionicum, Iones antiquiores digammum usu frequentasse credere licet. Mature tamen digammi usum inter poetas, qui hexametro utebantur, exolevisse, ex eo apparet, quod in versibus a rhapsodis in Homerica carmina illatis digammi neglectus in oculos incurrit, et haud raro interpolatio ex eo ipso neglectu arguitur. Neque ea res mirationem facere potest, quod, cultu sermonis politiore succedente, pronuntiatio, etiam inter Iones, fuit mutata.

A neglectu, quem jam inter Iones aliquantum progressum esse apparet, serius ad ignorationem adductus est usus digammi. Desuevisse autem prorsus homines usui suspicor Athenis, idque jam tum, cum Homerica primo collecta litteris perscribi coepissent; Athenis, inquam, in qua urbe pronuntiatio omnino a molliore spiritu recessit, in plerisque spiritum asperum substituit[a], cujus quoque signum H Athenis inventum et frequentatum esse suspicor. Perscripta autem litteris primum Athenis sub Solonis tempora esse carmina Homerica, probabile fit ex iis ipsis locis, quae cum alii, tum doctiss. Wolfius in Prolegomenis congesse-

[a] Itaque etiam censeo, προσέλειν, de quo viri docti ad Aeschylum et Aristophanem disputant, Atticum fuisse; non προσϝελεῖν. hoc ab Aeolibus aliisque antiquioribus scribi debuit; at Attici asperum substituerunt more suo. Produxit autem syllabam spiritus asper non minus quam digamma.

runt. Alphabeto nondum absoluto et integro primam descriptionem factam esse, antiquitas ipsa satis arguit.

In hoc ipso tamen neglectu non eliminari potuere ex Homero vestigia digammi omnia, et mira deprehenditur in multis inconstantia, ex eaque apud seriores successit variatio ratione plerumque destituta et solo usu probata. Scilicet sublato digammi usu multi passim suborti sunt hiatus, auri molliori saepe intolerabiles: et hi ipsi hiatus fuere caussae, quae effecere, ut digammi pristini desiderium subnasceretur; apparebat enim in poeta, qui hiatus alias tam studiose vitaret, certis tamen in verbis perpetuo hiatum admittere ante vocis a vocali initium; Ea observatio cum semel animum subiisset, patefacta est via ad assequendum, excidisse consonam, et facile incidit hominum doctorum sollertia in digammum quod excidisse aut extritum esse patet. Verum antiquiores poetae, quibus de digammi usu haud constabat, modo adsueverunt hiatibus, modo, monente metro, particulis interjectis usi sunt, ut eum tollerent; grammatici autem in describendis Homericis carminibus pari modo alia interpolarunt, in aliis hiatum reliquerunt.

Observatione itaque diligentiore explorata haberi possunt haec duo: ab Homerico sermone recessisse sequiores poetas, qui quidem hexametro uterentur, omnes in usus digammi constantia; esse servatum hiatum in aliis, in aliis vocibus caveri solitum; natasque hinc esse varias observationes prosodicas, in Homero haud obvias, nisi ubi ille interpolatione est contaminatus.

Digammi usum inconstantem deprehendere licet jam in Hesiodo: id quod exploratum habeo cum ex repetita ejus interpretatione tum ex studio, quo eum ad metricas leges et digammi usum revocavi. Verum tamen in Hesiodo res accuratiorem et subtiliorem investigationem desiderat, quandoquidem, quod jam ante XXX et quod excurrit annos, professus sum, manum criticam ille inter auctores classicos omnes maxime flagitat, cum foedatus sit interpolationibus et corruptelis.

Inspexi et comparavi fragmenta Cyclicorum, vidique in iis usum eundem jam tum viguisse, quem sequiores poetae servarunt, ut alia metrica Homeri sequerentur, in aliis eum desererent. Ita in vss. Cypriis in Scholiis ad Il. A. 5 Ζεὺς δὲ Ϝιδων. et fragm. Leschis ap. Schol. ad Lycophr. 1263 ἦν τε Ϝοι αὐτῷ. Etiam in oraculis et vaticiniis apud Herodotum et Pausaniam pleraque jam ad sollennem poetarum rationem ac morem deflexa video. Versus in Cypseli arca inscriptos apud Pausan. V, 18. inter antiquiores referendos

esse nemo dubitet; ecce occurrunt jam in iis *ταχ' αναξ* sine digammo; at c. 19. *Τυνδαϱιδα Fελεναν* (quae in eo versu sequuntur: *φέρετον, Αἴθραν δ' Ἀθέναθεν*, sana esse haud possunt; etsi hi versus omnino a docto poeta profecti haud sunt,) in vss. templi Ismenii, etsi suppositis, antiquis tamen, ap. Herodot. V, 59 *Σκαιος πυγμαχιην με Fεκηβολῳ Απολλωνι.*

Mirum est, servata esse a poetis nonnulla, ex usu digammi profecta, tam religiose, ut ne N *ἐφελκυστικὸν* quidem, quo inserto plerumque hiatus explere voluere, interponerent; in his sunt *οἱ, ἑ, ὃν.* Sic apud Apollon. Rh. *ἦλθέ οἱ. οὔ οἱ*, non *οὔχ οἱ.* I. 887 *τὰ δέ οἱ ῥέεν.* III. 1225 *θώρηκα στάδιον, τόν οἱ πόϱεν.* Ita in eo, quod toties occurrit, *ἀλλά ἑ*, ut Apollon. I, 99. 193. 1259. Callim. I. 13. Del. 13. 162. *μιῇ δέ ἑ* Apollon. I, 342 et al. inde et ibid. I, 204 *οὐχ ἕ τις ἔτλη*, quod in Homericis erat *ου Fε τις.* Relictum tamen IV, 1084 et 1764. *ἐξ ἕθεν*, quod fuit *εκ Fεθεν.* (*οὗ ἕθεν* est pro *ἑαυτοῦ, ἕο αὐτοῦ*) Sic *οἱ*, sibi: *σὺν δέ οἱ* I, 111 et sexcenties; et Callimachus Jov. 31 *τὸ δέ οἱ.* A. 28. et saepe. Di. 48. 89. 160. etiam in Dorico carmine L. P. Et tamen Apollon. I, 643 *σφωϊτέροιο τοκῆος ὅς οἱ* et similia alia. Haec cum poetarum usu frequentarentur, alia, cum iisdem conjuncta, ita adhibita sunt, ut antiqui moris nulla haberetur ratio: cum enim *Fος, Fου, Fῳ, Fῃ, Fον* et sic porro esset, scripsere tamen Apollon. I, 529 *ἐρεσσέμεν ᾧ ἐνὶ χώρῳ.* I, 130 *αὐτὸς δ' ᾗ ἰότητι.* Etiam quod Homero fuit *Fος, εFος* et *FεFος*, duplici modo occurrit, v. c. I, 1173 *αὖλιν ἑὴν*, et 1176 *πολλὰ ἑῇ.* Quod Homero semper est *Fαναξ, Fανασσειν*; in poetis Alexandrinis est modo cum, modo sine hiatu, Apollon. I, 411 *κλῦθι ἄναξ.* et 422 *λύσαιμι δ' ἄναξ.* 908 *τοῖο ἄνακτος.* 968 *αὐτὸς ἄναξ.* 621 *ὁ δὴ κατὰ δῆμον ἄνασσε* et al. Neque aliter ap. Callim. A. 113. Di. 137. 204. *ἄστυ.* modo *δι' ἄστεος* I, 237 et sic saepe, modo *πϱοτὶ ἄστυ* I, 705 prorsus ut in Homero.—Porro *ἕκαστος. ὧδε δ' ἕκαστος* I, 240 et sexcenties; at idem *τὰ ἕκαστα*, I, 339. 394. 884. 1097. *ἄνδρα ἕκαστον* I, 1153. *ἔπος. τοῖον ἔπος* I, 277. 665. et tamen vs. 705 *ὄφρα τί οἱ δήμοιο ἔπος θυμῆρες ἐνίσπω.*—*ἶσος.* IV, 1246 *ἠέρι δ' ἶσα.* et I, 774 *ἀστέρι ἶσος* et IV, 1449 *φορβάδι ἶσος.* Et Callim. Del. 38 *ἀστέρι ἴσῃ.*—*εἴδω. διὰ πλατὺς εἴδετο πόντος* et idem 505 cum Homero *νήπια εἰδώς.* I, 461 *κατηφιόωντι ἐοικὼς* est Homericum *FεFοικώς.* et sic aliquoties adhibitum in Apollonio occurrit, attamen IV, 375 *ὄφρ' ἐπὶ ἦρα φέϱωμαι ἐοικότα μαργοσύνῃσι* et *φάτ' ἐοικότα* III, 594. Ita et *ἔοικε.*—*εἴκελος. φλογὶ εἴκελος. συῒ εἴκελος* et alia, ut in Homero.—*ἔργον.* Homerico more saepe Apollonius *πολεμήϊα ἔϱγα. θέσκελα ἔργα. ἄσχετα ἔργα. σιδήρεα ἔργα.* I, 662 *μέγα ἐρ-*

γον. Et tamen idem II, 991 καὶ Ἄρεος ἔργα μέμηλε. I, 721 Ἰτωνίδος ἔργον et vs. 730 ἐπ' ἀφθίτῳ ἥμενοι ἔργῳ. Etiam Callim. Di. 49 ἐπείγετο γὰρ μέγα ἔργον. attamen idem Di. 125 καταβόσκεται ἔργα.—ἑκὼν Apollon. II, 24 αὐτὸς ἑκών. et sic ubique, quod Homero est Fεκων, sic quoque Fεκητι convenit Apollon. I, 116 Διωνύσοιο ἕκητι. 902 Ηελίαο ἕκητι. non igitur opus est vs. 334 τοῖο ἕκητι inserere γ' hic et alibi. III, 621 τοῖο ἕκητι. IV. 187 σεῖο ἕκητι. Idem tamen I, 773 φιλότητος ἕκητι et τοῖο δ' ἕκητι II, 526. et Ἀθάμαντος ἕκητι. sicque plura: IV, 391. 1018. Vides in his, et sexcentis aliis miram poetarum inconstantiam, ut appareat, eos hoc, quod ex antiquioribus carminibus erat servatum, tanquam adminiculo ad libertatem prosodicam usos esse. Manetque inter haec tanquam exploratum: ex digammo servatos esse a poetis hiatus; quos, quoties utile sibi esse videretur, explerent, modo retinerent. Quae quidem res tanto magis mirationem facere potest, quod ad hiatus evitandos in ε et ι finali increbuerat usus τοῦ N religiosissime servatus, quem vetustiores tam sollicite haud observasse reperio. v. Excurs. II, ad Il. B.

Hoc modo hiatus frequentati sunt plures, primum isti, qui ex neglectu digammi nati erant, mox etiam in aliis vocibus; ut videantur fere pro arbitrio poetae modo ante vocalem in capite vocis hiatum relinquere, modo consona extremae antecedentis syllabae explere. v. c. Callimachus in Jov. 13 ἀλλά ἑ Ῥείης ex αλλα Fε. 31. τὸ δέ οἱ (ex Fοι) At idem ἄναξ, ἔργον, οἶκος, ita adhibet, ut consona antecedat: Tandem et licenter v. c. in Del. 264 χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος. Nam in aliis potest forte caussa praetexi ex tono ut in Dian. 8 δὸς δ' ἰοὺς καὶ τόξα. ἔα, πάτερ.

Id tamen mihi observasse videor, in antiquioribus rariores esse hiatus, vixque alios, quam qui ex neglectu digammi orti erant; v. c. in Theocriteis XXIV. XXV. quae haud dubie ex antiquioribus sunt. De Theognide judicare haud licet, quoniam ea, quae habemus, farrago sunt ex pluribus ac diversis poetis; quae tamen ad Cyrnum scripta sunt pro antiquioribus haberi possunt.

Diutius servatus digammi usus in marmoribus et numis urbium; ut Boeoti in numis scribunt ΕυFαρα. Fαστυ. v. ap. Eckhel. Doctr. num. To. I. Vol. II. p. 196. Alia videbis ibid. ut p. 265. Fαλειων (Ηλειων) p. 306 ΚαπFουα. (Καπουα) p. 227 Fελενιτων. Occurrunt quoque nonnulla hujus generis in Tabulis Heracleensibus ut Fικατιπεδον ex Fικατι pro Fεικοσι.

Pindarum, utpote lyricum, expectes Aeolicas rationes servasse; attamen in eo in plerisque communis mos proso-

diae in iis, quae olim digamma habuere, regnat, v. c. Pyth. IV, 197 τῷ μ' ἐπεὶ πάμπρωτον εἶδον. non Ϝειδον. 219 γόνον ἰδών. 268 κοῦ με πονεῖ τεὸν οἶκον. non Ϝοικον. 185 οὔτε ἔπος οὔτ' ἔργον, quod olim erat ουτε Ϝεργον ουτε Ϝεπος. attamen idem vs. 52 φιλίων δ' ἐπέων. et vs. 37 θεῷ ἀνέρι εἰδομένῳ et 40 ἐπί οἱ. (ἐπί Ϝοι) 65 χειρί οἱ χεῖρ' (χειρί Ϝοι) 84 αἷμά οἱ. ᾗς sine digammi vestigio vs. 114. ἔμπας τις εἶπεν vs. 153 (non Ϝειπεν) et tamen ibid. 159 ἐπιάλτα ἄναξ (—τα Ϝαναξ) In his jam elucescit vulgaris ratio digammi antiquum usum modo hiatu relicto servandi modo abjiciendi, prouti metro inserviendum erat. Eoque minus mirationem facit in choris tragicorum Atticorum eandem rationem vulgarem prosodiae regnare.

Etiam recentior dialectus dorica in Theocrito ad vulgarem prosodiam comparata digammum ignorat; ita ἰδεῖν, ἔργον, ἶσον et alia occurrunt antecedente consona brevi: ἀλλήλους ἐφίλασαν ἴσῳ ζυγῷ· (non—σαν Ϝι—)

Grammatici Alexandrini si quam notionem digammi habuerunt, carminibus lyricis eam debuisse videntur; supererant enim adhuc Sapphus et Alcaei carmina, forte cum aliis; hinc quoque appellationem Aeolici digammi profectam esse suspicor, quia in istis carminibus digammum observaverant, in quibus Aeolica dialectus regnabat. Eosdem tamen usum digammi in Homero omnino ignorasse, exemplis plurimis constat quae passim in Obss. a me sunt notata. Ne ipse quidem Zenodotus, ceteris antiquior, quicquam de eo suspicatus est; omnino ille rei metricae parum gnarus, saepe notatus a grammaticis hoc nomine: v. ad Θ. 378. Cum tamen fieri haud posset, quin interdum in antiquioribus poetis et codicibus inciderent in vestigia digammi: objecta iis est caligo, quam dispellere nequiverunt. Plerumque alium spiritum adsciverunt, modo asperum, modo lenem. Sic αλις, quod erat Ϝαλις, mutatum in ἅλις. θεοειδής scriptum pro θεοϜειδής. qua de re locus ex antiquioribus est ap. Eustath. ad E. 76. p. 524. v. Obss. ad e. l.

Innumeris in locis expletus est hiatus interposito N finali; aut particulis τ'. γ'. δ'. occurrunt tamen loca, in quibus, ut supra jam de aliis poetis memoratum est, agnoscitur a grammaticis, defenditur et religiose servatur antiqua lectio per digammum; nulla nec particula nec N finali interposita; ut E. 4 δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθος. ex δαιε Ϝοι. nusquam legitur δαῖέν οἱ. quod alias scribere solent ut hiatus expleatur.

Usum digammi in Homerica lectione constituenda ex effato Bentleii primo intellexere viri docti. Vir hic sagacissimi ingenii rem perspectam habuit; dum tamen vixit, raro, quantum mihi quidem liquet, hujus observationis

mentionem fecit, nec nisi obiter[a]. Dolendum est, eum rixis theologorum et certaminibus aemulorum abstrahi se passum esse ab utilioribus coeptis absolvendis. Riserunt invidi etiam hoc ipsum summi ingenii acumen[b]: communicasse tamen suam animadversionem videtur cum amicis; passim enim ejus fit mentio. Neglexerunt tamen inventum editores Homeri; a Clarkio uno tantum loco ad Il. Π. 172 Bentleianae observationis mentionem memini factam, ubi de ἤνασσε dubitatur. v. Obss. ad e. l. Ernesti vero ea addit, quae ei excidisse nolim[c], una cum iis quae ad vs. 371. adscripsit. Quominus invento Bentleiano honos suus constaret, obfuisse suspicor Dawesii ingenium mirum in modum eo abutentis in Miscellaneis criticis et ad edicta arbitraria digammi usum avocantis, iniquitate quoque sua in ipsum Bentleium animos virorum doctorum abalienantis; qua de re subscribimus judicio V. C. Richardi Payne Knight p. 34 sq.

Cum ante hos XL fere annos novi in Georgia Augusta muneris suscepti ratio ad accuratiorem Homeri lectionem et interpretationem me vocaret, Virgilii quoque novis curis illustrandi partes impositae mihi essent: magnopere me offendere memini hiatus in Homero obvios, magnam partem insuaves et molestos. Observabam vocabula certa, ante quae hiatus ille tantum non perpetuus erat, ut εἰπεῖν, εἰδέναι, ἰδεῖν, ἁλῶναι, ἄστυ, ἄναξ, ἔθνος, ἑκὰς, ἑκὼν, ἔλπομαι, ἡδὺς, ἴσος, ἶφι, οἶνος, οἶκος et sic porro. Erigebatur animus mox, cum Dawesii liber in manus venisset, ex eoque intellectum esset, vocabula per digamma notata, in his τὸ ἄναξ, exacte cum iisdem a me notatis convenire, eoque modo hiatum evane-

[a] Nota ad Horat. Carm. I, 23 (a Clarkio laudata) de sylva ex ὕλη, υλϝη, omnino de Aeolica dialecto memorat; non de Homero. At locus est in Notis ad Miltonum *Paradise lost* IV, 887. "*But this question* "*ask'd puts me in doubt. Homer:* "*Thou seemed'st a wise man for*- "*merly*, νῦν δ' ἄφρονι φωτὶ ϝέοικας." (laudat memoriter; in Homero Od. Z. 187 est, οὔτ' ἀ.) Hoc primum reperi vestigium animadversionis Bentleianae de usu digammi in Homero.

[b] Nota est Popii cavillatio in versibus: "*Roman and Greek Gram*- "*marians, know your better, Author* "*of something yet more great than* "*Letter, While tow'ring o'er your* "*Alphabet, like Saul, Stands our* "*Digamma, and o'ertops them all.*" (Sunt videndi versus in *Dunciad* IV, 215—218.) Popii iniquitatem notat *Foster* in *Essay on accent and Quantity* p. 133. qui idem agnovit inventi praeclarum ad Homerum usum: v. ib. p. 384.

[c] Ait ille *novam istam sapientiam grammaticam non magis sibi placere, quam Dorvillio* ad Chariton. p. 202. *ejusque judicium se probare.* Disputat Dorville adversus Dawesium. De Bentleio tamen idem aliter statuerat in Vanno critica p. 395. tredecim ante annos edita; ubi "ex "una Bentleii pagina, ait, plus dis- "cere licere, quam ex omni charta, "quam unquam Pavius commacula- "vit et disperdidit."

scere, uti statim Il. A. 4 αὐτοὺς δὲ ἑλώρια, si Fελωρια essent vs. 24 Ἀγαμέμνονι ἥνδανε, si Fηνδανε, vs. 30 ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ, si Fοικῳ scriberetur. In aliis sensum verbi mutari, ut in ἄγω duco, et Fαγω, frango, ἕλω rapio, et Fελω involvo. ἕπομαι sequor et Fεπω dico.

Hisce atque aliis similibus animadversis, cum, quoties ad Homeri interpretationem redirem, enotarem loca et exempla plura et inter se compararem, coepi quaerere, an ad certas regulas hoc digammum revocari posset. Ita vero videbam, sexcenta loca inter se bene convenire; restare tamen haud pauca alia, quae sub certam praeceptionem revocari nequirent. Ad alias curas avocatus seposueram haec, multo magis cum perspexissem, alia multo graviora esse quae interpretatio Homerica postularet, inprimis e cathedra instituenda, e qua omnino ea eliminanda esse semper statui, quae subtilia magis quam utilia audientibus essent, et ad magistri eruditionem venditandam, non autem ad auditorum ingenia fingenda et facultatem interpretandi exercendam valerent. Interea altera Dawesii editio a Thoma Burgess curata (1781) prodierat; in cujus appendice Salteri specimen valde me pupugit, cum nonnulla melius a me expediri posse viderem, in aliis me multo magis implicitum sentirem.

Post aliquot annos fortuna aliqua propitia cum Viro Rev. et doctissimo Tho. Burgess litterarum commercio junctus, cum, quorsum copiae Bentleianae pervenissent, e quibus specimen Bentleianae recensionis in praefatione ad Dawes. vulgaverat, inquisivissem, et earum inspiciendarum desiderium meum aperuissem, viri humanissimi opera, Summe Rev. Episcopi Sarisburiensis, litterarum antiquarum amantissimi, promta voluntate, Magistri Collegii Trinitatis Cantabrigiensis facilitate, votorum summam consequutus sum, ut ex Collegii bibliotheca exemplum Homeri Bentleianum ad me mitteretur. Agnovi in his generosos Britannorum animos, et liberalitatem studiis humanitatis dignam; eamque post tot annos publice gratissima mente praedico. Pervenit liber ad me m. Februario a. XC. Dici vix potest quo animi motu et affectu Rich. Bentleii manus a me conspecta fuerit; multo magis commotus sum, cum eum viderem, per totum Homerum, jam appinxisse digammi signa secundum eam normam et rationem, quam ipse sibi proposuerat, non quidem absolutam, tamen inchoatam; videbam quoque allita in extremis chartis multa, quibus verborum quae digamma admitterent aut respuerent, classes constituere tentaverat; ut tamen appareret, nondum ei visa esse

omnia satis ad liquidum perducta. Nunc vero animum habui satis confirmatum, ut serio de nova Homeri editione cogitarem, cum adhuc per diversa temporum intervalla operam modo seposuissem, interdum prorsus damnassem et me majora viribus aggressum a toto consilio ipse retraxissem. Acuebat industriam et amorem incepti incendebat, quod, dum ulterius progressus eram, in versus v. c. K. 497. P. 260. 261. incidebam, quos, aliis jam de caussis suspectos, etiam digammi neglectu peccare animadvertebam; conversoque semel ad rhapsodorum interpolationes animo observatorum meorum usum aliquem ad ipsam Criticam Homeri exquisitiorem agnoscebam; vereque dictum esse intelligebam a viro doctiss. Rich. Payne Knight (p. 34) "sine di-"gammi justa notitia nec puritatem et sinceritatem nec ele-"gantiam lectionis Homericae restitui posse."

Evenerant eodem fere tempore duo alia, quae studium meum eximie aluerunt et foverunt: prodiit Richardi Payne Knight subtilissimum opus de Graeco Alphabeto (1791) et perlata est in Germaniam Villoisoni, doctissimi viri, Ilias e Cod. Veneto per aliquot annos cupidissime flagitata. Gratissimo animo profiteor, ad notiones animo jam conceptas subtilius et felicius, quam alias fieri potuisset, digerendas et instruendas, plurimum fructus et utilitatis me ex his novis copiis collegisse. In Scholiis reperiebam plura veterum placita aut judicia, quae partim grammaticorum ignorationem antiquioris sermonis et scriptionis arguebant, meque, ne iis nimium confiderem, monebant; partim versus, ad quos offenderam, etiam propterea, quod in digammi usum peccatum erat, suspectos antiquioribus et obelo notatos esse ferebant. Interea in contexendo recensu vocum digammo insigniendarum assidue pergebam, dumque chartae operis librariis et prelo tradendae mihi parandae erant, ea quae in recensu notata erant, iterum cum singulis locis comparavi, nonnullaque melius constitui posse ac debere pervidi; ut in εϜος et Ϝος. ϜεϜοικα. ϜεϜολπα et similibus. Ita subnatum est *vocabularium* aliquod *vocum, quibus in Homericis digammi nota praefigenda esse videtur*; quod quidem altero Excursu subjicere haud gravabor.

Quam rationem sequerer in digammo notando et exprimendo, diu dubitavi. Homericum carmen appicto digammo excudere si juberem, bene sentiebam, quam abhorrens et molesta talis lectio futura erat; nimis quoque festinatum, et tantum non temerarium, id consilium fore, cum doctrina de digammo nondum usu et auctoritate satis firmata sit; videram quoque ipsum Tho. Burgess alienum a tali in-

cepto esse (p. 410. et praef. p. XXIII.) Altera ex parte Bentleii Homerum digammo instructum expectari noram; (ut jam a Taylor. Lect. Lys. p. 703. Foster p. 314) Visum tandem est factu optimum, ut in margine inferiore paginae sub ipsis poetae versibus apponeretur vox cum digammo, quoties metro flagitante aut analogia suadente, illud locum habuisse appareret.

Ceterum per haec ipsa, quae narravi, declaratum esse volui, me nec novam doctrinam de hoc digammi in Homericis usu afferre, nec me quicquam mihi in hoc invento ejusque usu jactanter arrogare; sed, quae a summo viro, Rich. Bentleio, primum sagaciter fuere animadversa, diligentius persequutum, aliorum virorum doctorum observata in consilium adhibuisse, et ex iis, etiam ad probabiliora exputanda, profecisse. Propositam autem habui rationem hanc, ut nec ponerem, nisi certa, saltem probabilia; tum vero, ut accuratius prosequerer non nisi ea, quae metricum usum haberent, ad explendos hiatus. Quo consilio semel ex longa deliberatione capto, nec eam rationem sequi potui, qua, Uptoni fere exemplo ap. Burgess p. 432. ad antiquissimam scribendi rationem totum carmen revocarem, nec eam, ut ubique, et in medio quoque, interponerem signa digammi, Salteri specimen sequendo, cum ea res nullam ad carminis prosodiam utilitatem haberet. Servavi pleraque, de quibus mihi nondum satis constabat, in hos Excursus; in quibus haud pauca quoque refinxi, longo usu meliora edoctus. Ita evenit, ut in nonnullis mihi per totum carmen non ubique satis constiterim. Constitutum v. c. habebam, digamma in media voce non adhibere; itaque A. 5 Ἄϊδι editum est, ut et in seqq. cum praestitisset ab initio statim *αϝιδι. αϝιδη* scribere. Ita displicet, quod vs. 24 excusum est *ϝηνδανε* pro *ϝανδανε*. Utetur iis pro suo quisque consilio aut pro lubitu ac voluntate; eruntque qui ea, quae a me post alios inchoata sunt, perficient. Non enim nobis, quibus, ipsa naturae lege, brevissimus eorum usus erit, ista sevimus; sed *seris factura nepotibus umbram.*

EXCURSUS III.

Recensus vocum Homericarum, quae digammi vestigia servare videntur.

Ut in Homeri, poetae Ionici, carminibus digammi vestigia inesse credamus, caussa aliqua idonea nos adduci necesse est. Posita ea est in hoc, quod *in certis vocibus a vocali incipientibus,* quoties antecedit alia vox in vocalem de-

sinens, *hiatum constanter occurrere* videmus, quem in aliarum vocum occursu diligenter caveri observamus. Jam ex vocibus sunt nonnullae, quas digamma in capite habuisse antiqui scriptores narrant: hoc digammo in ista loca transferendo intellectum est, hiatum expleri; nata hinc justa suspicio, accidisse hoc idem in aliis pari de caussa; atque ita probabili ratione et per analogiam apparuit, voces etiam reliquas, quas *constanter* hiatus antecedit, digammum in capite habuisse, neque a primo auctore admissum, sed ex omisso aut extrito digammo ortum esse hiatum. Non nisi per inductionem exemplorum haec probari posse, in aperto est. Tenendum tamen hoc, voces illas non in tali demum positu adsumere digammum, alioqui eo carere; sed v. c. ϝαναξ. ϝεργον, semper et ubique esse pronuntiatum, digammi tamen omissi defectum argui per tales hiatus, quoties vocalis finalis antecedit vocalem in capite vocis sequentis supervenientem. Porro monitu vix opus est, eum usum non ad alias quasvis voces spectare, sed tantum ad certas, nec nisi usu constanti ac perpetuo probari posse.

Animadversus est usus digammi etiam *in mediis vocibus*, quoties duae vocales altera alteram sequerentur; ut οϝις pro ὄϊς. δαϝιος pro δάϊος ex δήϊος[a]. Num autem in omni tali vocalium positu, an tantum in certis vocibus iste usus in media voce viguerit, expediri haud potest; etsi viri docti proclives fuere ad verba pleraque omnia ad eandem regulam et analogiam redigenda. Difficilis tamen est omnis de his judicatio, quia in priore genere hiatus metri omissum digamma arguit, in altero hoc nulla re colligi potest, quam late usus patuerit. De his quid ipse statuendum putem, infra dicam. Neque etiam res in Homericis tam anxie est exquirenda, quandoquidem grammaticus et criticus usus non tam fructuosus est, quam prior ille.

In observando usu digammi in Homericis, primarium erat, ut ille esset *constans ac perpetuus*. Atque hac una via et ratione certum aliquid de eo constitui posse apparet. Restat itaque dubitatio de iis vocabulis, quae aut semel et raro,

[a] Priscianus l. c. p. 547. *Hiatus quoque caussa solebant illi interponere* ϝ *digamma; quod ostendunt etiam poetae Aeolidae; uti Alcman:* και χειμα πυρ τε δαϝιον. *et epigrammata, quae egomet legi in tripode vetustissimo Apollinis, qui stat in Xerolopho Byzantii, sic scripta:* Δημοφαϝων. Λαϝοκαϝων (pro Δημοφοων. Λαοκοων. saltem Δαμοφοϝον Λαϝοκοϝον scriptum esse debuit: cf. Dawes p. 118.) Iterum ille ad hoc Epigramma provocat lib. VI. p. 709. ubi addit quoque: *bos, bovis: quod ideo assumit genitivo V loco digamma, quia Aeoles quoque solent inter duas vocales ejusdem dictionis digamma ponere; quos in multis nos sequimur:* οϝις *ovis.* Δαϝος, *Davus.* ωϝον, *ovum.*

eo positu, occurrunt, ut vocalis vocalem antecedat, aut quae alio loco digammum admittant, alio respuant; quae vocabula in dubiis numeranda esse apparet, donec aliunde de iis pronuntiari possit; potest autem de multis; siquidem multos versus a serioribus rhapsodis insertos esse manifestum fit, quorum aetate et patria digammi usus exoleverat, quique propterea versibus suppletis in digammum peccarunt. Ita cum Ἴλιος saepe et ubique occurrat cum digammo Ϝιλιος, unus locus est, quo in digamma peccatum est Z. 386: merito itaque ille pro interpolato habetur. Ex his una est vox, de qua quid statuendum sit, nondum habeo, Ἥρη. quae modo est ποτνια Ϝηρη, modo λευκωλενος Ἥρη. de quo v. Excurs. II. ad Il. A. Qui paullo audacior fuerit, potest utique pronuntiare, posteriorem usum prodere seriorem auctorem, seu ut ille interpolaverit versum, seu ut ipse versus arguat auctorem diversum a ceteris.

In Homero non omnia verba, quae digammo ab Aeolibus emolliri solita sunt, admissa esse, multis exemplis constat. Ita mirari licet nomen Helenae ei non esse Ϝελενην, cum tamen a Dionysio Halic. I, 20. illud inter ea memoretur, quae digamma habuerint in antiquo graeco sermone, ut nec Ϝελος palus, sed ἕλος. non Ϝηρ sed ἦρ. Patere hinc monui jam in superiore Excursu, Iones antiquiores in digammi usu suas ipsorum rationes sequutos esse, nec Homerum ab Aeolibus quicquam esse praedatum.

Solet digamma interdum ita poni, ut geminatum spiritum habeat, et syllabam brevem antecedentem producat; etsi potest id ipsum plerumque a tono repeti, v. c. B. 382 ουδε Ϝους παῖδας ἔασκε. Notatum hoc jam a Prisciano l. c. lib. I, p. 546. l. 14. *Est tamen, quando Aeoles idem* F *inveniuntur pro duplici consonante posuisse,* Νέστορα δε Ϝου παιδός.

Difficultatem facit, quod in manifestissimo digammi in ceteris usu, interponitur tamen interdum δ' ex δὲ, quo digamma jugulatur. Exterere copulam raro licet, quoniam ejus usum, etsi molestum saepe, ad priscam tamen sermonis concinnandi simplicitatem pertinere constat. Bentleius admisit usum hunc, ut ferret δϜ, ut Δ. 470 ἐπ' αὐτῷ δϜεργον ἐτύχθη. E. 165 ἵππους δϜοις ἑτάροισι et 365 παρ δϜοι. Interdum quidem medela in promtu est, ut N. 107 νῦν δϜεκαθεν fuit νῦν δε Ϝεκας. Bentleius quidem habuit quod sequeretur; nam in Prisciano lib. I, p. 546 extr. Putsch. occurrunt haec: Ϝ *digamma Aeoles, est quando,* (h. e. aliquando) *in metris pro nihilo accipiebant;* ut: αμμες δ Ϝειραναν, το δε τ' αρϑετο Μωσα λιγαια. (dorice pro λιγεια v. Koen ad Gregor.

p. 115. Burgess ad Dawes p. 529.) *Est enim hexametrum heroicum.* Dubito tamen cum Dawesio p. 169. scriptionem esse intemeratam, nec posse de ea tuto statui, cum sensum loci certum haud teneamus. Inde tam diversa de eo judicia, uti Reinolds p. 48. Burgess p. 414. 504. et p. XXIII.

Recensum vocabulorum ita institui, ut hoc Excursu apponerem *ea, quae digamma in ipsa fronte habuere*, judicio de *digammo in mediis vocibus* in *alium Excursum* rejecto. Primae lineae jam olim a me ductae comparatis iis, quae a Bentleio chartis illita erant, tum Richardi Payne Knight simili conatu, sunt emendatae et politae. Nec tamen, quoties in alia ab iis discessero, judicium meum dissimulabo, aut, quae dubia mihi et controversa esse videntur, pro exploratis me habere profitebor.

Recensus vocum, quae in Homero digamma sibi praefixum habuisse videntur.

A.

ἅ. ϝα. ἑά. *sua.* v. inf. ὅς. ἑός.

ἀαγής. αϝαγης. v. ἄγω. ϝαγω.

ἀάτη. αϝατη. idem quod ἄτη. *noxa. malum.* Apud Pindarum αὐάτη. Pyth. II, 52. Unde probabile fit, fuisse quoque ἄω, αϝω. ἀάω, αϝαω. αϝαομαι. αϝασαμην. αϝασθη. ἄτω, ἀάτω, αϝατω. tandem αατος, αϝατος· quod et ἄητος. v. ad I, 116. Σ. 410. Φ. 395.

ἄγη. ϝαγη. priore producta. v. mox ἄγω, *frango.* At ἀγὴ, *admiratio*, ab ἄγαμαι, v. Φ. 221.

ἄγω, *frango* priore producta. ϝαγω. Sic E. 161 ἐξ αὐχένα ϝαξῃ. Θ. 403 κατά θ' ἅρματα ϝαξω. εϝαξα. H. 270. Λ. 175. P. 63 et al. ϝαξαι. ϝαξας. ϝαγη et εϝαγη. Λ. 558. Loca correcta v. Γ. 367. Obss. Δ. 214. Obss. Ψ. 392. Obss. Π. 801. N. 162. P. 607. Od. K. 560 ἀστραγάλων ἐάγη corr. ϝαγη. sic et Od. Λ. 65.

Sic et κατεϝαξαμεν N. 257. ξυνεϝαξε Λ. 114. N. 166. Od. Ξ. 383. Retinuere Attici κατεαξα. κατεαγώς.

Inde ἀαγής. αϝαγης Od. Λ. 574.

ἄγνυμι. ϝαγνυμι. περιϝαγνυται Π. 78.

ἀκτὴ tamen, quod hinc ductum, *littus*, digamma non habet, ut nec ἀκτὴ (scil. κριθὴ) ut Λ. 630 ἀλφίτου ἱεροῦ ἀκτήν. N. 322 Δημήτερος ἀκτήν.

Contra ἄγω *duco*, priore brevi, nunquam digamma habet. ut nec ἄγαμαι. ἀγάω. ἄγη.

ἄδω. ἅδω. ἁδέω. ἕαδα. et cognata multas molestias faciunt, et metro et digammo. Videtur res ita expediri posse, si sta-

tuas fuisse plures formas: ἦδος, Fηδος, (ut Fηδυς *dulcis*, quod vide:) *delectatio;* ab eo ductum ἥδομαι, Fηδομαι. Hoc idem etiam fuit αδω, Fαδω. Fαδομαι. priore producta; hinc ἕαδα, media longa, ἐFαδα, ex ἅδα, Fαδα. v. infra h. v. ubi et de ἕαδα media brevi, quod ductum est ab eo, idem, quod vulgari usu tritum est, ἁδέω, *placeo*, ἁδεῖν. quod digamma respuit; sic Γ. 173 ὡς ὄφελε θάνατός μοι ἁδεῖν. M. 80 ὥς φατο Πουλυδάμας, ἅδε δ' Ἕκτορι.

Aliud verbum ἄδω, ἄσω, *satio*, priore producta sine digammo. αἵματος ἆσαι Ἄρηα.

Diversum ab hoc ἄδω. ἀδέω, *satio*, priore brevi, sine digammo, a quo ἄδη et ἄδδη. N. 315 οἵ μιν ἄδην ἐλόωσι. ubi v. Obss. et ἔδμεναι ἄδδην. cf. Excurs. I, ad Il. E. Bentlei. et Payne Knight volebant ubique inferre Fαδω. Fαδην. Fαδος. Fαδδηκοτες.

ἄδος esse potuit et Fαδος Λ. 88. ubi vide Obss.

De his v. dicta in Excursu I, ad Il. E.

ἀνδάνω. Fανδανω. v. infra h. v.

ἀεικής. *indignus. iniquus.* αFεικης. ut A. 341 χρειὼ ἐμεῖο γένηται αFεικεα πότμον ἀμῦναι. Sic quoque αFεικελιος. v. inf. εἴκω, *similis sum.*

ἀείρω, *necto*, cum sit ex εἴρω, Fειρω, putes fuisse αFειρω. et potest esse K. 499 σὺν δ' ἠFειρεν ἱμᾶσι. et si lectio vera est O. 680 συναFειρεται. Attamen ea, quae hinc sunt ducta, non agnoscunt digamma: συνήορος. παρήορος, ex ἠΐορα vel ἤορα. Ductum hinc ἤορμαι, ἠόρμην, unde est ᾕορτο, ἄορτο. quod videtur locum habere Γ. 272 μάχαιρα, ἣ οἱ αἰὲν ἄορτο, vel ἄορτο, quae nunc scribitur ἄωρτο. v. Obss. Hinc est ἀορτήρ. Il. Λ. 31. Od. Λ. 608 et al. de balteo. Videtur quoque hinc ductum τὸ ἄορ, τὸ ξίφος, quod a balteo pendet. Eadem vox, diverso tamen genere occurrit in Od. P. 222 αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ἄορας, οὐδὲ λέβητας, ubi exponitur τρίποδας. Bentleius tentabat etiam Fαορες, mulieres, I. 327. et Fωρεσσι. E. 486. vid. inf. ὄαρες. At ἀείρω, tollo, nullum habet digamma.

αεκων *invitus.* αFεκων. quia Fεκων. quod vide. Inde αFεκητι. ἀFεκαζομαι.

ἀέλπω. *sine spe sum.* αFελπω. αFελπομαι. quia est Fελπομαι *spero.* v. inf. h. v. αFελπης Od. E. 408.

ἀεργός. *iners.* αFεργος. I. 320. quia Fεργον est.

αηθέσσω. ἀFηθεσσω. K. 493 ab ἦθος, Fηθος.

ἀΐδης. *Hades. Orcus.* αFιδης, quia est ab εἴδω, Fειδω. v. infra h. v. Ita ἄις, ἄιδος. αFις, αFιδος. αFιδηλος. Aegre est, quod in carmine passim digammi signum apponere neglexi.

ἄϊδρις. Γ. 219. αFιδρις. ab ἵστημι. Fιστημι. αFιδρείῃ H. 198.

ἀΐω exhalo et *audio*. potuit αϝιω esse. In Homero hoc tantum observari potest, priorem modo produci, modo corripi. K. 160 οὐκ ἀΐεις, ὡς Τρῶες. et al. Λ. 463 τρὶς δ' ἄϊεν ἰάχοντος, quod fuit τρὶς δ' ἄϊε ϝιϝαχοντος. Σ. 222. At K. 532 Νέστωρ δὲ πρῶτος κτύπον ἄϊε. Φ. 388 μέγας οὐρανὸς, ἄϊε δὲ Ζεύς. Et flo, spiro: O. 252 ἐπεὶ φίλον ἄϊον ἦτορ.

ἄλημι, quod et ἄλημι scribitur, *colligo me. convenio*. ϝαλημι. ex ἀλέω, ϝαλεω. idem quod ϝειλεω, εἰλέω, συστρέφω. ἀθροίζω. unde ϝαλῆναι. ϝαλεις. εϝαλη. ϝαλη. v. ad E. 823. N. 408. Σ. 76. et de εϝαλη. v. inf. h. v. Habet ἄλημι priorem brevem.

ἀλὴς et ἀλεὴς in Herodoto occurrunt eadem notione qua ἀολλὴς, confertus. quod etiam ex isto factum volebat Etymologus in ἄλες. Ductum hinc ἁλία *coetus*: quod debuit esse ϝαλια. scriptum tamen ἀλία, etiam in tabula Heracleensi, Dorice. Omnino vero spiritus asper invasit totum hoc genus ἀλέω. ἄλημι. et hinc ducta, nec modo in Atticis et hinc vulgo, sed jam in Herodoto. Etsi subinde variat in edd. Hippocratis et Aretaei.

At ἄλις, quod convenit, ϝαλις. v. mox.

Discernitur ἄλημι, *erro*, sine digammo, ab alia origine. unde ἀλήτης. ἀλᾶσθαι.

Cognata sunt ἀλέη *fuga*. οὐδ' ἀλέη X. 301. ἀλεωρὴ, M. 57 et al. Diversa vox est ἀλέη, *calor*. Od. P. 23.

Ab ἀλέη est ἀλέομαι, *evito*. ἀλέασθαι. E. 34 Διὸς δ' ἀλεώμεθα μῆνιν. Inde ἀλεείνω. Debuit tamen hoc ipsum quoque scribi αλεϝω, nam factum inde est ἀλεύομαι, uti Γ. 360.

Porro hinc est ἀλύω. ἀλύσκω. ὑπαλύσκω. ἀλυσκάζω. sine digammo.

Convenit ἀλιτέω. *aberro*. pecco. ἀλιτήμων. ἀλιτρός. At νηλητὴς Od. Π. 317. in versu καὶ αἱ νηλητεῖς aut verius νηλητέες, εἰσίν. ductum esse debet ab ἀλητής.

Est quoque sine digammo ἀλέω, *molo*. Od. Υ. 109 unde ἀλετρὶς, ibid. 105. ἀλετρεύω. ἄλειαρ ibid. 108.

ἄληται vel ἄληται, ab ἄλλομαι vel ἄλλομαι *salio*, non est ϝαλλομαι, ϝαληται. Nec obstat εἰς ἅλα ἆλτο. quod emendandum εἰς ἅλαδ' ἆλτο. v. A. 532 et Λ. 192.

ἀλαὸς, *caecus*, unde ἀλαόω. est ex λάω. *cerno*.

ἅλις. *satis*. ϝαλις, ubique: ut B. 90 αἱ μέν τ' ἔνθα ϝαλις. v. ad I. 137. Ergo ἢ οὐχ ἅλις scriptum fuit η ου ϝαλις. v. ad E. 349.

At ἅλς, ἁλὸς, *mare*, et hinc ducta, respuunt digamma. etiam ἅλιος, *vanus*.

ἀλοάω et ἀλοιάω *tundo*: χερσὶν ἀλοία I. 564 et ἀπαλοιάω. ἄχρις ἀπηλοίησεν Δ. 522.

ἀλύω. de quo dicta v. modo in *ἀλέω.* Ω. 12 *δινεύεσκ' ἀλύων.* *ἀλυκτέω. ἀλύκτημι.* K. 94 *ἀλλ' ἀλαλύκτημαι.*

ἅλωμι. (*ἁλίσκω* non occurrit) *Ϝαλωμι. in potestatem venio, capior.* hinc *Ϝαλωναι.* M. 172. Φ. 281. *Ϝαλοῦσα* B. 374. Δ. 291. *Ϝαλοντε* E. 487 ubi v. Obss. *Ϝαλοιην* et *Ϝαλῴην.* I. 588. P. 506. X. 253. Ξ. 81. ubi v. Obss. *Ϝαλῶ. Ϝαλώω.* Nec aliter in Odyssea. nisi quod X. 230 *σῇ δ' ἥλω βουλῇ Πριάμου πόλις* corrigendum est *σῇ δὲ ἅλω.* ex *Ϝαλω.* ut *ἔδω,* ex *ἔδων.* *δῶμι, δίδωμι.*

ἀνάεδνος. v. *ἔδνα.*

ἄναξ. Ϝαναξ. ex *Ϝανακς Ϝανακτς* et *Ϝανας* unde *ὦ ἄνα.* Inde *Ϝανασσειν.* Loca, quae repugnare videbantur, collegit et correxit Dawes p. 144 sq. Nec tamen hujus observationis evidentissimae mentio facta a Clarkio nisi ad Π. 172.

De *ἤνασσε* v. inf. h. v.

ἀνδάνω. ductum ab *ἅδω, ἁδέω placeo,* supra memorato. Uno tantum loco occurrit Od. B. 114 *τῷ, ὅτεῳ τε πατὴρ κέλεται καὶ ἀνδάνει αὐτῇ.* e quo loco nihil firmari potest. Alia tamen suadet *ἥνδανον* et *ἑήνδανε,* quod vide.

ἀνὴρ nusquam in Homero est *Ϝανὴρ,* etsi hoc inter exempla est ap. Dionys. Hal. I, 20. vocum, quas *veteres Graeci* digammo notarunt. (Payne Knight p. 56.)

ἀολλής. Idem vir doctus p. 92. censebat fuisse *ἀϜολϜής.* ut E. 498. Z. 270. Ad Homerum nolim talia referre.

ἄορες. v. in *ἀείρω.*

ἀπτοεπής. ἀπτοϜεπης. Θ. 219. ab *Ϝεπω.*

ἀραιός. rarus. tenuis. Ϝαραιος. v. ad E. 425. Σ. 411.

ἄρδω irrigo. ἀρδμός. Videri potest *Ϝαρδω, Ϝαρδμος,* fuisse, quia Φ. 346 *νεοαρδέ' ἀλωήν* legimus, quod potuit esse *νεοϜαρδεα.* Nihil tamen est, quod cogat; ut nec Σ. 521. Od. N. 247.

ἀρή. ἀρά. noxa. Payne Knight p. 87. etiam *Ϝαρην* fuisse putat. v. ad M. 334.

ἄριστον. prandium. fuisse videtur *Ϝαριστον.* v. ad Ω. 124.

ἄρνες. agni. Ϝαρνες. Ϝαρνος. Ϝαρνας. Ϝαρνειος. v. ad Γ. 103. Δ. 158. Θ. 131. ab *ἄρνς, Ϝαρνς.* aut potius, puto, ab *ἄρν,* ex *ἀρὴν, ἀρένος, ἄρνός.* unde *ῥὴν, ῥῆνες,* quod usus retinuit.

ἀρτιεπής. ἀρτιϜεπης. X. 281. ab *ἕπω, Ϝεπω.*

ἄρω. αἴρω, αἱρέω. ignorant digamma. Ita A. 280 *νῆ' ἄρσας ἐρέτῃσιν.* At fuit *τοῦ αρω* duplex adspiratio *ἄρω* et *ἅρω,* unde spiritus variat in deductis. v. ad A. 136. ut suspicari possis cum Payne Knight, fuisse quoque *Ϝαρω.* In Homero tamen nihil eo ducit. Fuit quoque *ἀράρω.* porro, *ἄρτιος. ἀρτύνω.*

ἄστυ. Ϝαστυ, ubique. ut B. 801 *περι Ϝαστυ.* 803 *κατα Ϝαστυ.*

αὔϊαχος N. 41. fuit *αϝιαχος. sine clamore.* Dawes p. 183 scribit *αωιωαχος* (*αϝιϝαχος*) scil. ubique inter duas vocales interponens digamma. Payne Knight p. 91. facit *αϝυιαχος. αὔιαχος.*

αὐσταλέος, aridus. Fuisse *ϝαυσταλεος* censebat Dorvill. ad Charit. p. 290 in Υ. 327 *εἴ κεν ϝαυσταλεος.* At fuit *εἴ κεν ἀϋσταλέος.*

E.

ἓ, ϝε. ἑὰ, ϝα, εϝα, ϝεϝα. v. inf. *ἑός.*

In doctrina de digammo impeditissima res est, et difficillima, quando ad verba perventum est *ε* in fronte habentia; varia in his molitus erat Bentleius; alia alii. Mihi visa sunt omnia hunc in modum dispesci posse.

Omnino usu poetarum epicorum, antiquorum receptum fuit, ut *ε* praefigerent pleonastice; pro *ἓ*, pronuntiarunt *ἑέ. οὗ, ἑοῦ. ἑεὶς*, pro *εἷς.* v. ad Π. 208. *ἕδνα, ἔεδνα.* de hoc tamen v. inf. *ἔλδομαι, ἐέλδομαι, ἐέλδωρ.* Neque aliam originem habuisse videtur augmentum *ε*, cum antiquius tempora augmento carerent; quod nunc inter antiquioris Ionismi vestigia referimus: *ὅπλιζον*, mox factum *ὥπλιζον. μάχοντο*, postea *ἐμάχοντο.*

Secundum haec certa aliqua ratione *ε* praefixum est verbis nonnullis, eorumque temporibus:

Primo *ε* praefigitur verbis a vocali digammo insignita incipientibus: *ϝαγω. ϝαδω. ϝαλημι. ϝειδεω. ϝεικω. ϝειλεω. ϝειργω. ϝελπομαι. ϝεπω.* et quandoquidem digamma consonae vice fungitur, *το ε* digammo praefixum est merum augmentum. Itaque *ἐάγη* quod Bentleius modo tentabat *ϝεαγη*, modo *εϝαγη*, fuit *εϝαγη. ἔαξα, εϝαξα.* ab *ἄγω* frango, *ϝαγω.* v. sup. h. v. et sic alia, quae videbimus.

At in aliis hoc *ε* iterum digamma praefixum habuit aliud pari modo ac *γράφω, ἔγραφον, γέγραφα.* Ita *εἴκω. ϝεικω.* a quo fuit *ϝοικα. εϝοικα, ϝεϝοικα.* Cum enim occurrat *οὐδὲ εϝοικε* necesse est praemissum esse iterum digamma et pronuntiatum *ϝεϝοικε.* nulla enim est ratio nec analogia, cur tollatur aut retrahatur alterum digamma. In his Bentleius acquiescebat in hoc ut *ϝεοικε* scriberet; in aliis haerebat, an *εϝοικε* admitteret.—Severior tamen observatio me docuit, in multis utrumque hoc digammum locum habere, etsi in aliis carminis locis occurrit alterum tantum ita *ϝελω. ϝεϝελμαι.* Sic ab *ελπομαι. ϝολπα. ϝεϝολπα.* ab *εἴκω ϝεικω. εϝοικα. ϝεϝοικα. ἔργω. ϝεργω. εϝοργα ϝεϝοργα. ϝεϝωργειν.* Si in aliis reduplicatio non occurrit, habet tamen analogia. ut *ϝεπω. ϝειπον. ϝειπα. εϝειπα.* potuit quoque esse *ϝεϝειπα.* Verum de his sigillatim videndum est. Sunt enim ea observationis, non certae rationis.

Ceterum haec prothesis τῆς ε etiam in verbis nonnullis locum habuit, quae digammo non signantur; ut εἶμι, vado, ab ἔω. unde ἐείσατο. προεείσατο. v. ad Λ. 358. ἑάφθη et ἐάφθη ab ἅπτω v. ad N. 543 ὦγεν. ἀνέῳγε. ἀνέῳξε. ὦσεν, ἔωσεν, ab ὤθω.

ἔαγα. ἐϜαγα. ἐάγη. εϜαγη. ab ἄγω, Ϝαγω. v. paullo ante.

ἔαδα. ἐαδώς. εϜαδα. ϜεϜαδα. v. dicta de hoc verbo in Excursu I, ad Il. E. 203. p. 173. ubi vidimus mediam syllabam modo produci modo corripi, quia duplex fuit forma: altera α productam habet, ἅδω, eadem ἥδω, Ϝηδω, Ϝαδω, Ϝηδα, εϜαδα, ϜεϜαδα, media longa: I. 173 τοῖσι δὲ πᾶσιν ἑαδότα μῦθον ἔειπεν. et altero loco Od. Σ. 421. ubi ἑαδότα editum est. fuit πᾶσι ϜεϜαδοτα, (Bentl. scribebat Ϝεαδοτα, alio loco ϜεϜαδοτα. Dawes p. 182 ϜεϜανδοτα. Payne Knight p. 82 ϜεϜαδκοτα. Sequor simplicissima.) Omisso digammo scriptum est serius πασιν εαδοτα, cum leni et cum aspero spiritu.

Fuit altera forma αδω, αδεω, priore brevi, quae nunc pronunciatur cum aspero, ἅδω, placeo. v. ad Γ. 173. Inde factum εϜαδον. producta priore syllaba, geminato digammo saltem pronuntiando, ac si esset εϜϜαδον. Seriores hoc mutarunt in εὕαδον. Sic Ξ. 340 ἐπεί νύ τοι εὔαδεν εὐνή. P. 647 ἐπεί νύ τοι εὔαδεν οὕτως. Od. Π. 28 ὣς γάρ νύ τοι εὔαδε θυμῷ.

ἑάλη et ἐάλη *convolutus est, collegit se.* εϜαλη. ut N. 408 τῇ ὕπο πᾶς εϜαλη. Υ. 278 Αἰνείας δ' εϜαλη. et vs. 168 δουρὶ βάλῃ, ἑάλη τε χανών. fuit εϜαλη. Ab ἄλημι, colligo me, cognato cum εἰλέω. v. supra ἄλημι. Unde fit ἄλην. ἄλη, quod fuit Ϝαλη. Ϝαλεις. Π. 403 ἧστο Ϝαλεις. Φ. 571 Ἀχιλῆα Ϝαλεις μένεν. X. 308. et Od. Ω. 537 οἴμησεν δὲ Ϝαλεις. Ita quoque εϜαλη. Bentleius tentabat modo Ϝεαλη, modo εϜαλη, ut Υ. 168 et al.

εϜανασσε v. ἤνασσε.

εϜανδανε v. ἥνδανε.

ἑανός. media modo correpta, modo longa videbatur occurrere; si longa, statuebatur esse *peplum*, ab ἕω, ἕννυμι. ita videbatur digamma requiri, nam fuit Ϝεω. Ϝεννυμι. et Bentl. scribebat Ϝεανος· respiciens puto locum Φ. 507. si media brevi, ab ἕω, *duco*, ut sit *ductilis, subtilis.* v. ad Γ. 385. et E. 734. Postea tamen vidi, hac subtilitate rem non indigere: v. ad Σ. 352 ἑανὸς est vocabulum unicum, media brevi, *ductilis, subtilis*, productum ἑαννός. et πέπλος aut adjicitur aut intelligitur: ita Φ. 507 ἀμφὶ δ' ἄρ' ἀμβρόσιος ἑανὸς τρέμε. sic Γ. 419 ἑανῷ ἀργῆτι scil. πέπλῳ. Alibi adjicitur: πέπλον κατέχευεν ἑαννόν. E. 734 et Θ. 385. pro quo Σ. 351 et Ψ. 254 ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑαννῷ λιτὶ καλύψαι. Ergo et ἑανὸς κασσίτερος, ut Σ. 612 κνημῖδας ἑαννοῦ κασσιτέροιο. Potuit hoc

etiam εϜανος scriptum esse, unde factum, quod Ξ. 172 legimus, λίπ' ἐλαίῳ, ἀμβροσίῳ, ἑἀνῷ. ubi v. Obss. εἱανὸς est Π. 9.

ἔαρ. *ver* an Ϝεαρ fuerit, ex Il. Z. 148 dijudicari nequit: τηλεθόωσα φύει ἔαρος. At probabile fit ex Od. T. 519 καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος. αειδησι Ϝεαρος. manifesta res est in εἰαρινός. Il. Θ. 307 νοτίῃσιν εἰαρινῇσι. νοτιησι Ϝειαρινησι. Itaque B. 471 ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ corrig. ὥρῃ Ϝειαρινῇ. v. Obss.

ἔαρ in ἦρ contractum in Homero hac notione, ut *ver* sit, non occurrit. In Hesiodo Ἔργ. 462 ἔαρι πολεῖν. efferendum est ac si esset ἦρι. At Atticis et hinc aliis familiare est ἦρ pro *vere*.

In Homero ἦρ declarat ὄρθρον, nec usquam digamma habet. Od. T. 320 ἠῶθεν δὲ μάλ' ἦρι. Υ. 156 ἀλλὰ μάλ' ἦρι νέονται.

Tertium est ἀὴρ, *aer et caligo*. E. 864 ἐρεβεννὴ φαίνεται ἀήρ. Ab hoc est ἠέρος. ἠέρι. P. 644 ἀλλὰ σὺ ῥῦσαι ὑπ' ἠέρος. Ab hoc est Θ. 13 ἐς Τάρταρον ἠερόεντα.

Jam si ἠέριος in Homero occurrit, not potest esse *vernus*: nam hoc esset ἐαρινὸς, Ϝειαρινος. Sed ἠέριος est vel *aereus*, *in* vel *ex aere*, vel, *matutinus*. hoc altero sensu A. 497 ἠερίη δ' ἀνέβη, mane. et priore Γ. 7 ἠέριαι δ' ἄρα ταίγε *grues ex aere*. (non autem, *verno tempore*, quod esset Ϝειαριναί. pro quo in Obss. p. 451. male expressum Ϝηαριναι.) Contra vulgaris lectio Od. I. 51 ἦλθον ἔπειθ', ὅσα φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ, ἠέριοι. *mane*. Probabile fit fuisse ὥρῃ Ϝειαρινῇ.

ἑάφθη vel ἐάφθη. sine digammo. pro ἥφθη. ab ἅπτω. v. paullo supra. et ad N. 543.

ἔδνον. τὰ ἔδνα. fuisse Ϝεδνον apparet ex μυρία Ϝεδνα. ἀπερεισια Ϝεδνα. ergo et εϜεδνα. v. Obss. ad Il. I. 146 ubi est ἀνάεδνον, quod esse debebat ἀνέεδνον, ex ανεϜεδνον. nostro more ἄεδνον. Adde ad N. 366.

ἕζω. ἕδος. ἕδρα. et cognata, nusquam digamma habent; etsi ductum hinc est Lat. *sedes*.

ἐέλδομαι. ἐέλδωρ. ab ἔλδομαι. non habent digamma; etsi Bentleium ubique apposuisse video. Nondum caussam justam animadverti, qua inductus assentiendum esse statuerem, cum ἔλδομαι nusquam ita positum occurrat, ut aliquid affirmari possit. E. 481 κὰδ δὲ κτήματα πολλὰ, τά τ' ἔλδεται ὅς κ' ἐπιδευής. quorsum mutes τα Ϝελδεται? aut in Od. Ψ. 6 τά τ' ἔλδεαι ἤματα πάντα?

ἐελμένος. εϜελμενος. Vide mox Ϝειλεω.

ἐέλπομαι. εϜελπομαι. v. ἔλπομαι.

ἐέργω. εϜεργω. vide ἔργω.

ἐέρση. olim ἐέρση ex ἔρση. v. ad A. 53.

ἔερτο. v. εἴρω.

ἐέσσατο. ϝεϝεσσατο. vide ἕω. ϝεω.

ἕηκε. ab ἕω. ἵημι. μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε A. 48. nec εϝηκε, nisi vitiose, scribi potest; nam ἧκε non est ϝηκε. et habemus ἐφῆκε. ἀνῆκε. μεθῆκε.

ἑήνδανε. v. in ἥνδανε.

ἔθειρα. ϝεθειρα, *coma*. Π. 795 μιάνθησαν δὲ ϝεθειραι. et alibi. De T. 382 v. Obss.

ἕθεν. ἕο. οὗ. ϝεθεν, *sui*. v. ad A. 114.

ἔθνος. ϝεθνος. sine controversia habet digamma, ut H. 115 ἰὼν μετὰ ϝεθνος ἑταίρων.

τὸ ἔθος, *mos*, in Homero haud occurrit. Nec ἔθω, *in more habeo, soleo*, ita occurrit positum Z. 508. I. 536. Π. 260. ut possit judicari, sitne ϝεθω. At legitur ἔωθα. e quo colligunt viri docti fuisse εϝωθα. quod tamen non omni dubitatione liberari posse puto. Ex ἔθω fuit ὦθα, (ut ab ἔλπω, ἔλπομαι, ὦλπα, ἔολπα. ἐώλπει) ἔωθα. Θ. 408 αἰεὶ γάρ μοι ἔωθεν. potest videri scriptum fuisse εϝωθε. et E. 766 ἥ ἑ μάλιστ' εἴωθε, forte μαλιστα ϝεϝωθε Od. Γ. 394 'Αντίνοος δ' εἴωθε. δε ϝεϝωθε. ergo et Il. Z. 508 εἰωθὼς, ϝειωθως.

At ἦθος est ϝηθος. v. inf. ἕδος, *sedes*. et ἔδω, *comedo*: καρπὸν ἔδουσι. εἶδαρ, ab ἔδαρ. At est ἔτος. ϝετος. v. hac voce.

εἶδαρ. *cibus*. est ab ἔδω. nec admittit digammum. Od. I. 84 οἵ τ' ἄνθινον εἶδαρ ἔδουσι.

εἴδω. εἰδέω. ϝειδω. ϝειδεω. et ab his ductu ϝειδον. ϝειδετο. ϝειδοντο *videbant* Π. 278 et al. Saepe in his peccatum: ut O. 32 ὄφρ' εἰδῇς, quod est ὄφρα ϝιδῃς. ϝιδον. ϝιδων. ϝιδομην. ϝιδειν. ϝιδεμεν. ϝιδμεν. ϝιδωμαι. ϝιδεσθαι. In his ad digamma passim offenditur; locis aut corruptis aut interpolatis: ut Γ. 224 ἀγασσάμεθ' ϝειδος ϝιδοντες. Δ. 374 οἵ μιν ϝιδοντο fuit οἵ ἑ ϝιδοντο· sicque alia alibi. De A. 203 v. Obss. In Odyssea plurima hujus generis occurrunt.

Ergo et ϝεισομαι pro γνώσομαι. Il. Ξ. 7 τάχα ϝεισομαι. et διαϝεισεται Θ. 535 et N. 277. v. Obss. Contra Ω. 462 πάλιν εἴσομαι est ab εἶμι, *vado*. Sic et ϝεισατο. *visus est*, et *similis erat*, Υ. 81. υἱέϊ δὲ Πριάμοιο Λυκάονι ϝεισατο φωνήν. adde Ω. 319. Od. N. 352. Contra N. 191 de hasta: ἀλλ' οὔ πη χροὸς εἴσατο. διέβη. ab εἶμι *vado*. Itaque Δ. 138 et al. διὰ πρὸ δὲ εἴσατο scribendum est διὰ πρὸ δ' ἐείσατο E. 538 et al. Sic quoque N. 90 et P. 285 ῥεῖα μετεισάμενος *aggressus*. De καταείσατο Λ. 358 v. Obss. ad e. l. Non enim satis bene haec viri docti dispescuerunt. At locus Od. T. 283 κέρδιον εἴσατο repugnat; cum sit ab ειδω, ϝειδω. εἰσάμενος. ἀνέρι ϝεισαμενος P. 73 et al. Στέντορι ϝεισαμενη E. 785. Corrigendum ergo Υ. 224 ἵππῳ δ' εἰσάμενος. Od. B. 40. Π. 246. Ω. 505.

Pro ϝεισατο saepe est εϝεισατο. εϝεισαο. πάντα τί μοι κατὰ

θυμὸν ἐϝείσαο μυθήσασθαι Ι. 641. καί μοι ἐϝείσατο καπνὸς et saepe al. Sic ἐϝεισάμενος. Β. 22 τῷ μιν ἐϝεισάμενος. Bentl. hoc interdum mutaverat in ϝεισάμενος, ut Ρ. 326.

Sunt porro ϝειδώς. ut Δ. 218 ἤπια φάρμακα ϝειδὼς et ϝειδυῖα. interdum vitiatum est et hoc; ut in ἔργ' εἰδυίας. v. Obss. ad 128. ϝοῖδα. de hoc v. inf. ϝήδειν. ϝῄδη et ϝήδεε. Β. 38 οὐδὲ τὰ ϝῄδη. Saepe et hoc interpolatum occurrit.

Porro hinc deducta: εἰδάλιμος. ϝειδάλιμος. ἠεροϝειδής. θεοϝειδής. ἰοϝειδής. Sic Od. Ν. 194 ἀλλοϝιδέα vel—δῆ scribendum pro ἀλλοειδέα. ϝείδωλον. Ε. 449 et al.

εἴκοσι. ϝείκοσι et sollennius ἐϝείκοσι. itaque saepe corrigendum, v. c. Α. 25. Od. Μ. 78.

'εἴκω, *similis sum. probabilis sum.* ϝείκω. ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ϝεΐκτην Α. 104. γενεῇ δὲ Διὸς μεγάλοιο ϝεΐκτον Od. Δ. 27.

Ex εἴκω, ϝείκω, est οἶκα, ϝοῖκα apud Herodotum obvium; quod ϝέοικα fuisse censebat Bentlei. Convenit hoc cum eo, quod frequenter legitur, οὐδὲ ἔοικε. οὔ σε ἔοικε. Itaque Γ. 158 εἰς ὦπα ϝέοικε scribebat, et 170 βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ϝέοικε, et sic porro. Corrigebat inde alia quae repugnabant, ut Β. 233 οὐ μὲν ἔοικε, ου σε ϝέοικε. Reponebat quoque sic, quoties occurrit οὐκ ἐπέοικε, οὐδὲ ϝέοικε; Α. 126 λαοὺς δ' οὐχὶ ϝέοικε. Δ. 341 pro μέν τ' ἐπέοικε, μέν ῥα ϝέοικε. Atqui obstabant alia: Δ. 286 οὐ γὰρ ἔοικε. Υ. 371 χεῖρας ἔοικε. Od. Θ. 146 δεδάηκας ἔοικε, in quibus ϝέοικε locum non habet.

Accurate instituta comparatione liquere videtur, non unam formam in hoc verbo, ut in aliquot aliis fuisse: ex ϝοῖκα fuit ἐϝοικα, ϝεϝοικα. Nullus est locus, qui non alterutrum recipiat. Sic Γ. 158 θεῇς εἰς ὦπα ϝεϝοικε. et 170 ἀνδρὶ ϝεϝοικε. et sic innumera, etiam in ceteris personis, ἀτυζομένῃ δὲ ϝεϝοικας, Ο. 90. At nec minus recte Β. 233 οὐ μὲν ἐϝοικε. Υ. 371. 372 πυρὶ χεῖρας ἐϝοικε.

Concinit ἐῴκειν. quod fuit ϝεϝῴκειν. Β. 58 ἄγχιστα ϝεϝῴκει. Α. 47 νυκτὶ ϝεϝοικώς. ubi etiam Bentl. ϝεοικώς. Σ. 418 est νεήνισι ϝειϝοικυῖαι.

Jam centies, ut in ceteris, obliteratum est digamma interposito ν finali: quod in singulis locis in oculos incurrit.

εἰκώς. ϝεικώς. εικυια, ϝεικυῖα. Γ. 386 γρηῒ δέ μιν ϝεικυῖα. Θ. 305 δέμας ϝεικυῖα θεῇσι.

Secundum haec ex ἐϝοικε bene fit ἐπεϝοικε, nec habet cur mutetur; etsi lubens concedo, non minus in plerisque locis verbum simplex fere locum habere, forte quoque praeferendum: Ι. 392 ὅς τις οἷ τ' ἐπέοικε. malim ὅς τις ϝοι τε ϝεϝοικε. Κ. 146 ὅν τ' ἐπέοικε. ὅν τε ϝεϝοικε. Sic Χ. 71. Ω. 595. At in

Odyss. locis plerisque sedem tutam habet: ut in Od. Z. 193 ὢν ἐπέοιχ' ἱκέτην. Λ. 185. Υ. 293. Ω. 294. 480.

Ex εἴκω factum ἐΐσκω. ergo ex Fεικω Fεΐσκω, et inde ἴσκω, Fισκω. ut FεFισκω, scribatur, nihil est, quod adducat. Ergo E. 181 Τυδεΐδῃ μιν πάντα Fεΐσκω. et al. Γ. 197 ἀρνειῷ μιν ἔγωγε Fεΐσκω. At Od. Δ. 796 δέμας δ' ἤϊκτο γυναικί. corrig. δέμας δε Fεΐκτο.

Porro, ut hinc patet, digamma habuere εἴκελος, Fεικελος. ἴκελος, Fικελος. επιFεικελος. θεοFεικελος, ἀεικής. αFεικης. indignus. αFικως X. 336. αFεικειη. αFεικελιος. αFεκηλιος, Σ. 77. αFεικιζω, e quo ortum est αἰκίζω, quod in Homero non occurrit: nisi quod in Od. Π. 290 est κατῄκισται. vix antique.

επιFεικης. μενοFεικης.

At diversa vox est εἴκω, *cedo*, digammum respuens. Hoc fraudem fecerat Bentleio, qui ubique emendat, ut Fεικω locum obtineat: Δ. 509 μήδ' εἴκετε χάρμης. volebat μὴ Fεικετε. M. 48. N. 321. ergo nec bene corrigebat E. 892 επιFεικτον. nec Λ. 204 ὑποFεικε aut Π. 305. ὑποFεικον. sed sunt επιεικτον. ὑπόεικε.

εἶλαρ. Fειλαρ v. ἔλω.

εἰλέω. Fειλεω v. ἔλω.

εἰλύω. Fειλυω v. ἔλω.

εἴλη v. ἴλη.

εἷμα. Fειμα. ab ἕω. Fεω, quod vide. Sic E. 905 χαρίεντα δὲ Fειματα Fεσσε. Ψ. 67 τοῖα περὶ χροῒ Fειματα Fεστο. et saepe. Hinc κακοFειμων. ανειμων Od. Γ. 348 forte ex αFειμων.

Εἵμαρτο. Bentleium video scribere Fειμαρτο. Caussam haud vidi. Ex μείρω fit μέμαρμαι. ἔμμαρμαι, εἵμαρμαι. quod postea, inter Atticos maxime, asperum accepit εἵμαρμαι.

εἴργω. Fειργω. vide ἔργω.

εἶρος, εἰρίον. non bene digammo notantur. Vetat Od. I. 426 ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχοντες. Il. E. 137 ἐπ' εἰροπόκοις ὀΐεσσι.

εἴρω *necto*, creditur fuisse Fειρω. etsi nihil in Homero inde occurrit quam tempus praeteritum: εἶρμαι, ἔερμαι, ex analogia εFερμαι. Od. O. 459 χρύσεον ὅρμον ἔχων, μετὰ δ' ἠλέκτροισιν ἔερτο, εFερτο, vel—οισι FεFερτο. similiter Od. Σ. 295. Dawes p. 185 vim verbo facit, reponendo εwεwερκτο (εFεFερκτο ab εἴργω·) etsi p. 431 speciosa sunt quae afferuntur.

εἴσατο. Fεισατο. ab εἴδω. εἰδέω. vide sub his vocibus. ita quoque Fεισαμενος. εFεισατο. v. ibid.

At εἴσατο, εἰσάμενος sine digammo, ab ἕω. εἶμι. eo, v. ibid.

ἐΐσκω. Fεΐσκω. FεFισκω, *assimulo, comparo*: ἀρνειῷ μιν ἔγωγε FεFισκω. et saepe, a Fεικω. Fεΐσκω. ergo ἤϊσκε fuit εFεFισκε. Od. Δ. 247. et vs. 796 δέμας δ' ἤϊκτο γυναικὶ, δὲ FεFικτο. Il.

Ψ. 107 καί μοι ἕκαστ' ἐπέτελλεν, ἔικτο δὲ θέσκελον αὐτῷ. si versus genuinus est, scriptum erat: καί τε Fεκαστ' ἐπέτελλε, FεFικτο δὲ θ. v. Obss. ad Φ. 332.

ἐΐσος. εFισος pro ἴσος, Fισος ut δαιτὸς ἐΐσης. εFισης. νῆες ἐΐσαι. εFισαι. v. ad Γ. 347. Formatum hoc eodem modo, ut verba εFειπον a Fεπω. Fειπον. εFειπον. et εFεισατο a Fειδεω. Fεισατο. εFεισατο.

εἴωθα. Fειωθα. v. Fεθω.

ἑκάς. Fεκας. Od. O. 33 ἀλλὰ Fεκας νήσων. Od. P. 73 ξεινοῖο Fεκας. Peccat ergo Il. Υ. 422 δηρὸν ἑκάς. ubi v. Obss. et ad E. 791. N. 107. Itaque Od. B. 400 οὐχ ἑκὰς corr. ου Fεκας. Similiter ἕκαθεν. Fεκαθεν. At E. 791 νῦν δ' ἕκαθεν, vitiose. corr. νῦν δὲ Fεκας. v. paullo ante ἑκάς.

Pariter ἑκαστέρω debuit esse Fεκαστερω. Ergo Od. H. 321 μάλα πολλὸν ἑκαστέρω corr. πολλα Fεκαστερω. et K. 113 νῆες ἔασι Fεκαστατω.

Inde ἕκατος et deducta Fεκατος. Fεκηβολος. Fεκατηβολος. Fεκατηβελετης. FεκαFεργος. v. ad A. 14. Vitium aliquoties irrepsit, ut P. 333 Αἰνείας δ' ἑκατηβόλον pro Αἰνείας δὲ Fεκηβολον.

ἑκάτερθε. videtur Fεκατερθε scribendum esse, quandoquidem ab ἑκὰς est ἑκάτερος, ἑκατέρωθεν, ἑκάτερθεν. Itaque Υ. 153 ὣς οἱ μέν ῥ' ἑκάτερθεν, eliminandum ῥ', nam fuit μεν Fεκατερθεν. Et Ω. 273 τρὶς δ' ἑκάτερθεν ἔδησαν laborat, item Od. H. 91. Locum tamen diserte digamma postulantem non reperi: Od. Λ. 577 γῦπε δέ μιν Fεκατερθε. Z. 19 σταθμοῖϊν Fεκατερθε.

ἕκαστος. non potest dubitari, fuisse cum digammo Fεκαστος. A. 605. 6. ἔβαν οἶκονδε Fεκαστος, ᾗχι Fεκαστῳ δῶμα. Laborant ergo loca haud pauca, in quibus peccatur in digammum; partim a seriore rhapsodo inserta, partim interpolatis verbis. Sic K. 215 τῶν πάντων οἱ ἕκαστος. forte τῶν πάντων γε Fεκαστος. v. de his locis Obss. ut ad O. 288. 505. singula enim notare neglexi.

ἑκατὸν, *centum*, in Homero digammum non habet; etsi illud scriptum olim fuit HEKATON, unde et natum signum numerale H pro centum.

ἕκηλος. *quietus*. Fεκηλος. Sic E. 759 οἱ δὲ Fεκηλοι. Saepe in hac voce peccatur: Θ. 512 μὴ μὰν ἀσπουδί γε νεῶν ἐπιβαῖεν ἕκηλοι· quod esset—εν Fε—sed versus insititius. Od. B. 311 δαίνυσθαι δ' ἀκέοντα καὶ εὐφραίνεσθαι ἕκηλον. leg. per elisionem τοῦ αι, εὐφραίνεσθ' εὔκηλον. Fuit enim altera quoque forma εὔκηλος. εὔκηλος ut A. 554 ἀλλὰ μάλ' εὔκηλος. Od. P. 478 ἔσθι' ἕκηλος. corr. ἔσθε Fεκηλος ex ἔσθειν Od. E. 197. Od. Φ. 289 οὐκ ἀγαπᾷς ὃθ' ἕκηλος. emend. ὁ Fεκηλος. pro καθ' ὅ.

ἕκητι. Fεκητι. Od. T. 86 Ἀπόλλωνός γε Fεκητι. Itaque et αFεκητι. cf. ἑκών.

ἑκυρός. Ϝεκυρος. Γ. 172 φίλε Ϝεκυρε. ubi v. Obss.

ἑκών. Ϝεκων sine dubitatione. ut Δ. 42 καὶ γὰρ ἐγώ σοι δῶκα Ϝεκων αϜεκοντι γε θυμῷ.

ἔλδομαι. sine digammo, ut et ἐέλδομαι. ut E. 481 κτήματα πολλά, τά τ' ἔλδεται.

Ἑλένη. perpetuo sic Homerus. οὐκ εἴασχ' Ἑλένην Λ. 125. non Ϝελενη quod Dionys. Hal. veteribus graecis usitatum fuisse ait: unde Bentlei. in Homero quoque reponere volebat; invita saepe et repugnante lectione. cf. Obss. ad B. 356.

ἐλεός. τράπεζα μαγειρική. Bentlei. scribit Ϝελεος I. 215 et Od. Ξ. 432 ut vox discernatur τὸ ἔλεος *miseratio.*

ἑλίσσω. Ϝελισσω. v. ἕλω. At ἐλελίσσω, ἐλελίζω, sine digammo scribitur. cf. Obss. A. 530. ubi videbis a viris doctis mutari fere in Ϝελισσειν, me non assentiente: nam reduplicatio mutavit digamma.

ἕλκος non admittit digamma, ut nec ἕλκω, traho. nec τὸ ἕλος, palus; v. Υ. 221. et Od. Ξ. 474 etsi e Dionys. Hal. I, 20 constat Ϝελος antiquitus fuisse, unde Romae erat Velia, Οὐέλια.

ἔλπω. ἔλπομαι. Ϝελπω. Ϝελπομαι. I. 40. οὕτω που μάλα Ϝελπεαι. Saepissime occurrit: saepe quoque corruptum, facile plerumque sanatu. Od. B. 91 πάντας μέν ῥ' ἔλπει. corr. μεν Ϝελπει. sperare facit. Il. Ω. 491 χαίρει τ' ἐν θυμῷ, ἐπί τ' ἔλπεται ἤματα πάντα. corrig. ἔλδεται. Occurrit quoque ἐέλπομαι. εϜελπομαι. K. 105 ὅσα πού νυν εϜελπεται. N. 813 θυμὸς εϜελπεται. M. 407 θυμὸς εϜελπετο. N. 8. 609. adde Θ. 196. P. 488.

Ex ἔλπω pro ἦλπα et ὦλπα, Ϝωλπα, in Homericis est ἔολπα, εϜολπα. Φ. 583 ἦδη που μάλ' εϜολπας. Υ. 186. X. 216. Od. Θ. 315. Hoc Bentl. quoque agnoscit. At idem fuit quoque ϜεϜολπα. Od. B. 275 οὐ σέ γ' ἔπειτα ϜεϜολπα. sic quoque Od. Γ. 375. E. 379. Ita quoque ἐώλπει est ϜεϜωλπει. Il. T. 328 θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι ϜεϜωλπει. item Od. Υ. 328. Φ. 96. Corrigendum Ω. 312 νῶϊν ἐώλπει. requiritur quartus casus νῶϊ ϜεϜωλπει.

Secundum dicta ἐλπὶς est Ϝελπις. binis tantum locis lectum Od. Π. 101. T. 84. ἀέλπω, αϜελπω H. 310. ἀελπής. αϜελπης Od. E. 408.

ἕλω. Ϝελω. idem ἔλω. Fuit ejusdem vocis triplex pronuntiatio; antiquior Ϝελω sine digammo ἔλω. et asperata Ionum et Atticorum ἕλω. Similiter variant deductae voces, ειλεω. ειλυω. Videamus de singulis. Notio generalis est, *volvo, glomero, involvo, includo.* Primo loco

Ϝελω. ἔλω. ἕλω. Inde A. 409 ἀμφ' ἅλα Ϝελσαι Ἀχαιούς. *in-*

cludere. Bentlei. primo tentaverat ἄλαδ' ἔλσαι. serius viderat esse Fελσαι. Dawes scribit wειλαι (Fειλαι.) sine caussa. vox iterum occurrit Λ. 413 Fελσαν δ' ἐν μέσσοισιν. ubi v. Obss. et Φ. 225. Indocte grammatici ap. Schol. br. Eustath. Etymol. factum esse voluere ex ἐλάσαι. Confundunt quoque diversa Apollon. Lex. Hesych. Est quoque εFελσαι. Φ. 295 λαὸν ἐέλσαι est εFελσαι. Peccat Σ. 294 θαλάσσῃ τ' ἔλσαι 'Αχαιούς. ubi v. Obss. Od. E. 132 et H. 250 est Ζεὺς Fελσας ἐκέασσε.

Inde facta sunt εἶλμαι. ἔελμαι. ἔελμαι, eademque εFελμαι, FεFελμαι. Sic Ω. 662 κατὰ ἄστυ FεFελμεθα. Porro ἐελμένος. εFελμενος. FεFελμενος. M. 38 νηυσὶν ἐπὶ γλαφυρῇσι FεFελμενοι. N. 524 βουλῇσι FεFελμενος. Bentl. tentabat in his Fεελμενοι. Fεελμενος. Σ. 187 κεκόρησθε FεFελμενοι.

Fuit quoque εἴλω. Fειλω. unde Fειλομενος E. 203. 782. Θ. 215.

εἶλαρ. Fειλαρ. hinc ductum esse videtur, *tutamen, munimentum, quod includit.* H. 338. Ξ. 56. 68. Ergo Od. E. 257 κύματος εἶλαρ ἔμεν, si versus Homericus est, potuit esse κύματι vel κύμασι Fειλαρ ἔμεν.

Diversum verbum est ἕλω, *capio,* αἱρέω, unde ἑλεῖν. εἶλον. ἑλέσθαι. quod nusquam digamma exhibet. Corruptus est vs. O. 71 Ἴλιον αἰπὺ ἕλοιεν.

εἰλέω. Fειλεω. unde Fειλει Θ. 215 et al. Φ. 8 ἐς ποταμὸν Fειλουντο. Σ. 457 ἐπὶ πρύμνῃσιν εFειλεον. K. 347 προτὶ Fειλειν. εἰλημένος posset esse; sed P. 492 est εἰλυμένω.

εἰλύω. Fειλυω. unde Fειλυμαι. Fειλυμενος. Od. Ξ. 479 σάκεσι Fειλυμενοι ὤμους. add. P. 492. Π. 640 Fειλυτο. Od. Υ. 352 νυκτὶ εἰλύαται κεφαλαὶ corr. Fειλυνται. Sic et peccatum Il. M. 286. ubi v. Obss. et Σ. 522. ubi v. Obss. cf. ad Λ. 156.

Ab εἰλύω, Fειλυω, esse quoque debuit Fειλυμα. Attamen Od. Z. 179 εἴ τι που εἴλυμα. corr. εἴγε τι Fειλυμα.

εἰλυφάω. Fειλυφάω. media longa, cum sit ex εἰλύω. Ergo corrig. Λ. 156 πάντῃ τ' εἰλυφόων ἄνεμος. v. Obss.

εἰλυφάζω. Fειλυφαζω. Υ. 492 ἄνεμος φλόγα Fειλυφαζει.

εἰλύω debuit quoque esse ἐλύω. Fελυω. Occurrit tamen sine digammo. Ψ. 393 ῥυμὸς δ' ἐπὶ γαῖαν ἐλύσθη. Ω. 510 προπάροιθε ποδῶν 'Αχιλῆος ἐλυσθείς. Od. I. 433 ὑπὸ γαστέρ' ἐλυσθείς.

Ab ἕλω descendit ἑλίσσω, et ipsum Fελισσω ut Θ. 340 γλουτούς τε Fελισσομενον. M. 74. P. 728. Ψ. 309. Peccatur in digamma N. 204. Ψ. 846. Od. Υ. 24. v. Obss. ad e. l. non bene Dawes p. 177. pro ἰὼν Fειλισσεθ' ἑταίρους reponit ἰὼν εFελισσεθ'.

Cum Fελισσω sit, putes quoque esse debuisse Fελιξ, Fελικες, et quae inde ducta sunt Fελικωπες 'Αχαιοί. Fειλιποδες βοῦς.

Nihil tamen de his asseverare ausim, quia voces istae nusquam in eo positu occurrunt, ut res tuto indicari possit; nam saepe legitur: εἰλίποδας ἕλικας βοῦς. M. 293 λέονθ' ὡς βουσὶν ἕλιξιν potuit esse βουσι Fελιξι. Π. 569 Τρῶες ἑλίκωπας Ἀχαιούς. nil cogit esse Fελικωπας. Od. M. 355 βοσκέσκονθ' ἕλικες καλαὶ βόες. potuit esse βόσκοντο Fελικες. Sunt ἕλικες in mundo muliebri, Σ. 401 πόρπας τε γναμπτάς θ' ἕλικας potuit esse πόρπας καὶ γναμπτὰς Fελικας.

At εἰλίποδες sine digammo pronuntiatum fuisse probant versus Z. 424 βουσὶν ἐπ' εἰλιπόδεσσι. I. 462 et alibi μῆλα καὶ εἰλίποδας. add. O. 547. Φ. 448. Π. 488. Od. A. 92. Δ. 320. Θ. 60. I. 46. v. Obss. ad Z. 424. et ad I. 462. Quam caussam haec inconstantia digammi habuerit, haud assequor. Non enim omnes hi versus serius accedere potuere.

ἕλος. *palus.* Aeolibus Fελος, ut ex Dionysio Halic. constat, Homerus sine digammo pronuntiat Il. Υ. 221. Od. Ξ. 474.

ἕλωρ. Fελωρ. Fελωριον. quia est a Fελω *involvo*, de praeda. v. ad A. 4.

ἕνετοι. Fενετοι. *Veneti.* agnoscit Terentianus p. 2397. Debuit ita B. 852 scriptum esse εκ Fενετων pro ἐξ Ἑνετῶν.

ἕννυμι et ἕννυμι. Fεννυμι. a Fεω. induo. vid. inf. h. v. Unde factum Fενω. Fεννω. Fεννυω. Fεννυμι. In Iliade non occurrit; at in Odyssea: E. 229. 230 χιτῶνά τε Fεννυτ' Ὀδυσσεὺς, αὐτὴ δ' ἀργύφεον φᾶρος μέγα Fεννυτο νύμφη. K. 543. Ξ. 514. Inde ductum καταFεννυω vel καταFεινυω. Il. Ψ. 135 θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταFεινυον.

ἕντο. Fεντο. unde γέντο. v. Obss. ad Θ. 43.

ἕο. Fεο. Fου. οὗ. sui et αὐτοῦ. de quo saepe dictum est. v. Excurs. VII, ad A. add. Obss. ad B. 239. T. 384.

ἑοῖ. ἑοῖ αὐτῷ. *sibi.* Hoc non uno modo pronuntiatum fuisse, apparebit ex eo, quod statim videbimus, ὅς. Scilicet prima forma vocis fuit οἷ αὐτῷ cum digammo Fοι αὐτῷ. praefixo ε factum εFοι, unde ἑοῖ, et tandem FεFοι. Sic N. 495 ἔθνος ἐπισπόμενον FεFοι αὐτῷ.

ἔοικα. εFοικα. εFῳκειν. FεFοικα. FεFῳκειν. vid. εἴκω. Fεικω.

ἔολπα. FεFολπα v. ἔλπομαι.

ἔοργα. v. inf. ἔργον.

ἑός. In hanc vocem insigni licentia grassata est grammaticorum Alexandrinorum seu inscitia seu audacia, ut sexcentis locis est observatum. Inde ambigua facta est omnis de ea disputatio, quam nec ipse initio (v. Excurs. VII, ad Il. A.) recte institueram. Nam modo ἑὸς adspiratur, ut in πατρὸς ἑοῖο. παιδὸς ἑοῖο. In aliis locis digammum fuisse prae-

fixum colligas χεῖρα ἑὴν I. 420. ἡνιόχῳ μὲν ἔπειτα ἑῷ Λ. 47. ut credas fuisse χεῖρα Fεην. επειτα Fεῳ. Tertio loco est οὐδὲ οὖς παῖδας ἔασκε· ergo οὐδὲ Fους.

Bentleius scribebat Fεος, ideoque εἶπε πρὸς ὅν—emendat ειπε Fεον. quod analogia carere intelligebam. (Malim εἶπε Fε-Fον. sed praestat sequi id quod toties occurrit ὥς ἄρ' ἔφη πρὸς Fον θυμόν.) Sero tandem infinitis locis perspexi ex analogia non unam rationem esse potuisse, et fuisse. Antiquissimum fuit Fος, quod nunc ὅς, *suus*, praefixo ε factum εFος. hinc tertia ratio FεFος. Ita nullus est locus, qui non ad unam ex his formam revocari possit. Hanc veriorem rationem nondum perspexeram in locis A. 83. I. 420. Λ. 47. M. 222. 403. Π. 753.

Ita quoque ἑή, ἑὸν, et deducti inde casus, sunt refingendi: Fη, εFη, FεFη. ut T. 277.

Centies in his est aberratum: etiam in Hesiodo; ut uno loco Theog. 487 τὸν τόθ' ἑλὼν χείρεσσιν ἑὴν (χειρεσσι FεFην) ἐγκάτθετο νηδὺν, σχέτλιος. οὐδὲ νόησε μετὰ φρεσὶν, ὥς οἱ (ὥς Fοι) ὀπίσσω ἀντὶ λίθου ἑὸς (FεFος) υἱὸς—λείπετο.

ἐΰς antiqua fuit vox, *bonus, fortis.* sine digammo, eadem ἠΰς. et ἐεῖα. ἐΰ. ex ἐΰ factum est εὖ, bene. Hinc est ἐέος, ἐῆος. A. 393 πατρὸς ἑῆος. ad quem vs. vide Obss. p. 102. 3. Crediderunt tamen grammatici esse aliam formam pro ἑὸς, *suus*, et scripserunt ἑῆος asperate, quod inde servarunt alii quoque in ευς bonus, ut scriberent ἑὺς, ἑῆος. Eodem in loco ut et in aliis variat quoque lectio ἐῆος et ἑοῖο. quod esse debuit πατρος εFοιο vel πατρος Fοιο. Ξ. 9 υἷος ἑοῖο. alii ἑῆος (deb. ἐFῆος) O. 138 admisi υἷος ἐῆος. parum tamen caute scripsi cum aspero ἑῆος. ut et T. 342. Adde Ω. 422. 550. In Odyssea occurrit φωτὸς ἑῆος Ξ. 505. et ἀνδρὸς ἑῆος O. 449. Est quoque probabile ἑὸς pro bonus positum esse, ut N. 419 ἀλλ' οὐδ' ἀχνύμενός περ ἑοῦ ἀμέλησεν ἑταίρου. Recte quidem, sed debueram cautior esse in spiritu appingendo, non ἑοῦ, sed ἐοῦ. Nam ἐὸς, ἐή, ἐὸν, fuisse, *bonus*, vidimus Obss. ad A. 393.

επιFηρα. v. ad A. 572.

ἔπω. Fεπω. dico. Contra *ἕπω. ἕπομαι. incedo cum altero, sequor, comitor*, respuit digamma. Fεπω est id quod cum ἄναξ primum ad observandum digamma adduxit: v. copiose de h. v. agentem Dawes p, 156. Ergo sine controversia fuit Fειπον. Fειπειν.

Adscivit illud quoque ε ante digamma εFειπον. εFειπα. ποῖον τὸν μῦθον εFειπας. νημερτὲς εFειπες.

Peccatur tamen in digamma saepius ut statim A. 106 οὐ πώ ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας. v. Obss.

Variat digamma in compositis: qua de re v. Excurs. proximum.

Ut Ϝέπω, est Ϝέπος. Etiam in compositis ἁμαρτοϜεπής. αφαμαρτοϜεπής. αμετροϜεπής. αρτιϜεπής. ἡδυϜεπής. Recedunt Od. Φ. 306 οὐ γάρ τευ ἐπητύος ἀντιβολήσεις. sed ibi alia lectio est ἐδητύος. et ἐπητής. Od. N. 332 οὕνεκ' ἐπητής τ' ἐσσί. et Σ. 127 τοῦ σ' ἐκ φασὶ γενέσθαι. ἐπητῇ δ' ἀνδρὶ ἔοικας.

Aliter res se habet in ἕσπω. ἐνίσπω. ἐνίσσω. ἐνίπτω. unde ἤνιπον. ἠνίπαπον. ἐνιπή. Haec digamma respuunt. Ita et ἐψιάασθαι.

τὸ ἔργον. Ϝέργον. cum derivatis. λοίγια Ϝεργα et sic sexcenties. cf. ad Γ. 77.

Ex hoc fuit Ϝεργω, quod nunc est ἐργάζομαι. inde pro εἶργα, ὦργα. ἔοργα. ἐώργειν. in Herodoto ἐόργεεν. ut ἔλπω. ὦλπα, ἔολπα. ἐώλπειν. εἴκω. οἶκα, ἔοικα. ἐῴκειν. Eadem analogia digammi: εϜοργα. ϜεϜοργα. εϜωργειν. ϜεϜωργειν. Bentlei. tantum norat Ϝεοργα, eoque fuit ad angustias redactus. v. ad Γ. 351. At Od. Ξ. 289 videtur adeo κάκ' ἀνθρώπους εϜεϜωργει scribendum esse cum edit. Rom. quia, notante Dawesio, dativus κάκ' ἀνθρώποισιν ἐώργει a ratione grammatica abhorret.

Etiam composita retinent digammum: αϜεργος. δημιοϜεργος. εντεσιϜεργος. ευϜεργος. ευϜεργης. κακοϜεργος. οβριμοϜεργος. ταλαϜεργος.

ἔργω. arceo. ἐέργω. εἴργω. Ϝεργω. εϜεργω. Ϝειργω. Haec pro fundo tenenda sunt. Nam valde variat et lectio et judicium virorum doctorum.

A Ϝεργω est Ϝερξω. Ϝερξαν. Alia vel a Ϝεργω vel a Ϝειργω duci possunt. Peccatum P. 571 ἤτε καὶ ἐργομένη. v. Obss.

Ϝειργω. τῆλέ με Ϝειργουσι ψυχαί. Ψ. 72. Si his consentanea sequimur, debuit esse quoque Ϝειργμαι, et pro Ϝειρχνται, Ϝειρχντο debuit esse Ϝερχαται. Ϝερχατο. Pro his tamen legimus sine digammo ἔρχαται. ἔρχατο. Π. 481 et P. 354 ad quae loca v. Obss. Quod magis etiam miror, est, quod ductum hinc ἐρχατάω simili modo liberatum est digammo Od. Ξ. 15 σύες χαμαιευνάδες ἐρχατόωντο.

Altera forma ἐέργω. εϜεργω quae saepius occurrit ut B. 617 ἐντὸς εϜεργει. Δ. 130 τόσον μὲν εϜεργεν ἀπὸ χροὸς, ὡς ὅτε μήτηρ παιδὸς εϜεργει μυῖαν. M. 201 ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν εϜεργων. Ergo et εϜεργμαι. εϜεργμενος. Ut E. 89 γέφυραι εϜεργμεναι. ubi v. Obss.

In his tamen haerent viri docti. Bentl. in Δ. 130 modo μὲν Ϝεργε, modo εϜεργε, alibi ϜεϜεργε, scribebat. Dawes ϝεϝεργε. Ex analogia sane esse potest ϜεϜεργε. sed locum

nondum vidi, in quo occurreret. Knight p. 98 ἑέϱγε. quoniam grammatici ita tradunt; et sic Φ. 283 αποέρσε scribunt: ad q. l. vide Obss. Atqui hoc est digamma more Atticorum, qui in asperatam illud mutant. ita ἑέρτο.

Simili modo Ϝεργαθω Λ. 437 ubi v. Obss. et εϜεργαθεν Ε. 147. De compositis v. Excurs. IV sequ.

ἕρδω. refero inter ea, quae varie pronuntiata fuere. Antiquius fuisse videtur Ϝερδω et ἔρδω. Iones seriores et Attici ἕρδω. Nec tamen convenit usus in libris aut grammaticorum judicium. In Homericis modo Ϝερδω modo ἕρδω occurrit; hoc tamen, ἔϱδω, constantius, ita ut, si quis otium adhibeat, ad certam rationem forte pervenire possit.

ἐϱέω. εἰϱέω. ex ἔρω. Cum duplex vocis significatus sit, *dico* et *interrogo*: videtur tamen discrimen in scriptura interesse, ut ἐϱέω, ἐρέομαι, *interrogo*, digamma respuat; uti et ἐρεείνω. ἐϱωτάω. ἐρευνάω. Il. Λ. 610 Νέστορ' ἔϱειο. Α. 62 μάντιν ἐρείομεν. Sic quoque εἴρομαι *interrogo* Od. Α. 284 ἐλθὲ καὶ εἴϱεο Νέστορα δῖον. Ι. 251. 402. Γ. 69. 243. Θ. 549. Ο. 247. Υ. 137. Ρ. 368. 571. Τ. 95 et al. Aberrant Α. 405 περὶ ξεινοῖο ἔρεσθαι leg. ξεινοῖ' ἐρέεσθαι. et sic alibi ut Α. 135. Γ. 77. Sic et compositum ἀνείρομαι. Si vero est, *dico*, ut Ϝειρω et Ϝερεω scriptum esse credamus, convenit etymum ab εἴϱω, necto, quod est Ϝειρω. Hae vero rationes, ut saepe votis respondent, ita haud raro aliis locis laboramus. εἴϱω, εἴρομαι, in Iliade occurrere non memini; at in Odyssea est Ϝειρω, Ϝειρομαι. Β. 162 τάδε Ϝειρω. Ν. 7 τάδε τοι νημερτέα Ϝειρω. Et Ϝερεω, etsi plerumque eo positu occurrit, ut dubitatio tolli nequeat, Il. Α. 651 νῦν δὲ ἔπος Ϝερεων. Δ. 182. Ζ. 462. Κ. 534. Ι. 56. Ita evenit, ut cum res serius animadversa esset, oblitus sim apponere digammi signum, etiam ad Ϝειϱηται. At non conveniunt Il. Δ. 176 καί κε τις ὧδ' ἐϱέει. nisi fuit ὧδε Ϝεϱεῖ. alibi est, ὥς ποτε τις Ϝεϱεει Δ. 182. Ζ. 462. Η. 91. Ψ. 787 εἰδόσιν ὕμμ' ἐρέω. corr. ὕμμι Ϝερεω, binis syllabis. Od. Γ. 20 ψεῦδος δ' οὐκ ἐϱέει erit ου Ϝερεει.

ἐριήρης. Bentlei. scribebat Ϝεϱιηρης Δ. 266. At ερι nusquam digamma habet. nec εριϜηρης esse suspiceris; nam ductum est ab ἄρω, *jungo*. nec interponi potest Ϝ in ἐριαυχήν. ἐϱιούνης.

τὸ ἕρκος digamma non desiderat. v. ad Ε. 90 nec magis.

ἕρμα, ἔρεισμα. v. ad Ξ. 182.

ἕῤῥω. fuit Ϝερρω. eo. Θ. 239 ἐνθάδε Ϝερρων. Ι. 364 unde αποϜερρω. a quo αποϜερσω. αποϜερσα. v. Obss. ad duo loca Φ. 283 ὅν ῥα τ' ἔναυλος ἀποϜεϱσει. et vs. 329 αποϜερσειε. Ζ. 348 ἔνθα με κῦμ' ἀποϜερσε. quae ab Atticis antiquis scripta αποέρσει. ἀπόερσε. Commentum Dawesii p. 185. αποιϜερξεν (αποϜεϱξε ab εἴϱγω) haud admittam.

ἐρύκω non agnoscit digamma; ut nec ἐρωέω. ἐρωή.

ἐρύω *traho*. Ϝερυω media brevi. Contra ἐρύω sine digammo; media producta, *tueor*. De quo v. Excurs. IV ad A.

ἐσθής. Ϝεσθης. *vestis* a Ϝεω. Ϝεσω. ἕω. ἐννύω. Od. A. 165 χρυσοῖό τε Ϝεσθητος τε.

ἔσθος. Ϝεσθος. Il. Ω. 94 τοῦ δ' οὔ τι μελάντερον ἔπλετο Ϝεσθος. Testatur quoque Terentianus p. 2397.

ἕσπερος. Ϝεσπερος ut Od. A. 422. 3 ἐπὶ Ϝεσπερον ἐλθεῖν.—ἐπὶ Ϝεσπερος ἦλθεν. Unde Ϝεσπεριος. Etiam Terentianus p. 2397.

ἑστίη. non ἑστίη. v. ἱστίη.

ἕτερος et ἑταῖρος non admittunt digamma; etsi Bentlei. aliquoties tentabat inferre.

ἔτης. *sodalis*. Ϝετης. ut Il. Ξ. 239. Π. 456. 674. κασιγνήτους τε Ϝετας τε. ubi v. Obss. ἦ μὲν πολλὰ Ϝεται I. 460.

τὸ ἔτος. *annus*. Ϝετος. v. Obss. ad B. 328. Υ. 255. Inde composita αυτοϜετης. ἑξαϜετης. πενταϜετηρος. B. 403 ἑπταϜετης. εινaϜετης. De οιϜετης aut prius οϜετης v. ad B. 765. επετησιος est Od. H. 118. nisi fuit εϜετησιος. Od. Θ. 233 et aliquoties est επηετανος. quod esse potuit επιϜετανος.

ἐτεὸς, *verus*, ἔτυμος, ἑτοῖμος, respuunt digamma.

ἐτώσιος. Ϝετωσιος. E. 854 ἐκ δίφροιο Ϝετωσιον. et Ξ. 407.

εὖ. ἕο. Ϝευ. ut Υ. 464. v. ad Ξ. 427.

ἕω. *induo*. Ϝεω. ἕννυμι. hinc saepe Ϝεσσω. Ϝεσσε. E. 905 χαρίεντα δὲ Ϝειματα Ϝεσσε. Ϝειμαι. Ϝειμενος. Ϝεστο et M. 464 εϜεστο. Ϝεσσατο, εϜεσσατο.

Servatum digamma in compositis αμφιϜεω. επιϜεω, unde επιϜειμενος. ἀναιδείην επιϜειμενε A. 149. I. 372. ἐπιϜειμενοι ἀλκήν. aliquoties. καταϜεω unde καταϜειμενον ὕλη Od. T. 431.

Ducta hinc εἷμα. ἕννυμι. v. supra h. v.

Extrito digammo inductum est ἐέσσατο. ἕεστο. Debebant saltem scribere solito more ἐέσσατο. ἐέστο.

Diversa ab hoc ἕω, Ϝεω, *induo*, sunt et digamma respuunt sequentia: ἕω, εἶμι, *vado*, ex εἴω, et hoc ex ἴω. ἴμι. per omnia tempora; ἴμεναι. ἴμεν. ἰών. ἤϊον. ἤϊα. εἴσομαι, πορεύσομαι. εἴσατο, quod est quoque ἐείσατο. idque scribendum διὰ πρὸ δ' ἐείσατο καὶ τῆς pro πρὸ δὲ εἴσατο, ut jam monitum supra in εἴδω.

Porro ἕω. εἰμί. *sum*. ἕω, *facio sedere, colloco*, unde ἕζω, ἵζω. ductum hinc ἕημι, ἕημαι. ἧμι, ἧμαι. *sedeo*. a quo ἧσται. ἕαται et εἴαται pro ἧνται. ἧστο. ἕατο et εἵατο pro ἧντο nisi quod Od. Υ. 106 scribunt veteres εἵατο ab εἰμί. Omnia sine digammo; itaque κάθημαι. πάρημαι.

ἕω. ἱέω. ἵημι. *mitto*. a quibus tempora diversa occurrunt. Ex ἕω, ἥσω. ἧκα, ἕηκα. ἕμι, ἕμεναι. X. 206. Ab ἱέω, ἵεον, ἵει. ἀφίει. ἐφίει. Ab ἵημι. ἱέναι. ἵην.

Videbatur ab ἵημι esse ἵεμαι, *mittor*, aut, *mitto me:* cujus tamen notio perpetua est *cupio, appeto.* quod convenit cum ipsa primitiva notione, ab eo quod in appetendo fit, ut ὀρέγομαι, *extendo me, appeto.* Est tamen notione hac constanter Ϝιεμαι, ac si diversae originis sit: a Ϝιεω. Ϝιημι. v. inf. ἵεμαι.

De ἕω expleo v. ad T. 402. Payne Knight suspicabatur esse ex Ϝεω, βεω, βαω. etiam fuisse ἐϜω, unde εὕω, *ustulo.*

ἕῳγον sine digammo, ab οἴγω. ᾦγον, ἕῳγον.

ἕως pro ὡς, per εϜος reddebat Payne Knight p. 66. v. ad A. 193.

H.

ἥ. *sua.* Ϝη. Ϝης. Ϝη. ab ὅς, Ϝος. v. Excurs. VII. ad A.

ᾔδειν. Ϝηιδην. A. 70. ubi v. Obss. et saepe. ab εἴδω. Ϝειδω. quod vide.

ἡδύς. Ϝηδυς. ut Λ. 378 ὁ δὲ μάλα Ϝηδυ γελάσσας. Ita et ἥδω, ἥδομαι. Ϝηδω, Ϝηδομαι. Ϝησατο. Fuit tamen altera quoque forma ἦδω, unde τὸ ἦδος. A. 318 ἔσσεται ἦδος. Successit asperatio, ἥδω. cf. Obss. ad E. 203. Excurs. I.

ἤϜειρε. v. ἀείρω.

ἠέριος. non Ϝηεριος v. ἦρ.

τὸ ἦθος. Ϝηθος. Ϝηθεα. solita sedes. Agnoscunt Bentlei. et Knight ex Od. Ξ. 411 κατα Ϝηθεα. Ergo corrigendum est Il. Z. 511 μετά τ' ἤθεα. idem vs. O. 268. In Hesiodo aliquot locis est emendandum. Inde K. 493 αϜηθεσσον. Digammum exoleverat jam Pindari aetate. v. Ol. XI. 22.

At ἠθεῖος, sodalis, est Il. Ψ. 94 τίπτε μοι, ἠθείη κεφαλή.

τὰ ἤια, τὰ ἐφόδια. aiunt esse Ϝήϊα ex Od. M. 329 ἐξήφθιτο Ϝηια παντα, item Δ. 363. et M. 329. Nec tamen respondent loca alia N. 103 λύκων τ' ἤϊα πέλονται. Od. B. 289. E. 266 cum I. 212. nec memorari potest caussa vel analogia. Inversa ratione suspicor fuisse τὰ ἤϊα sine digammo, et in trinis locis illis fuisse ἐξεφθίατ' ἤϊα πάντα. ut A. 251 γενεαὶ —ἐφθίαθ' οἵ. De prosodia vocis v. Excurs. I ad P. p. 414. Apud Apollon. Arg. est ἤϊα antecedente χθονός. I, 1180. adde 659.

ἤϊος de Phoebo fuit Ϝηιος in ἀμφὶ σὲ, Ϝήϊε Φοῖβε. v. ad O. 365. et Υ. 152.

At ἠϊών, *littus*, respuit digamma. ut H. 462. M. 31.

ἦκα. *leviter. tacite.* Ϝηκα. monitum Γ. 155. ἀπώσατο Ϝηκα γέροντα Ω. 508. Od. P. 254.

At ἧκα, sine digammo est ab ἕω, ἵημι, ἥσω.

ἤλιθα digammum non habet. v. ad Il. Λ. 676.

ἧλος, *clavus*, credunt fuisse Ϝηλος. quia occurrit αργυροηλος B. 45. in quo inter duas vocales interponi potest. Ex

locis A. 246 et Λ. 642 in quibus ἧλος legitur, nihil colligi potest; at decidit litem Λ. 29 ἐν δέ οἱ ἧλοι. quod Fηλοι esse nequit.

At ἠλὸς et ἠλεὸς, μάταιος, sunt sine digammo. φρένας ἠλὲ O. 128. Od. Ξ. 464. Etiam ἤλιθα, Λ. 676 et al. etsi videri potest ductum esse ab ἅλις, Fαλις.

ἥμισυ respuit digamma: ut Z. 193 τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης. Ferendus est hiatus Od. N. 114 ὅσον τ' ἐπὶ ἥμισυ παντός.

ἤνασσε et ἥνδανε (quod esse debet εFανδανε. ita et Herodot. IX. 5 ἑάνδανε. ut idem ἕαδε. ut IV, 145.) diu tenuerunt me. Ut ab hoc initium faciam, etsi τοῦ ἀνδάνω, Fανδανω, disertum exemplum non extat, nam Od. B. 114 est καὶ ἀνδάνει αὐτῇ, pluribus tamen locis ἥνδανε apparebat digamma habuisse; signavi itaque digammo Fηνδανε A. 24. O. 674. non satis caute. Nam cum ad alia vocabula attendissem, videbam τῷ digammo in imperfecto et aliis temporibus ε praemitti sine augmento: ab ἄλημι, Fαλημι, εFαλην. ἄγω, frango, εFαγη. εFαξα. Etiam in ἐάφθη non ἐήφθη, ex ἥφθη ab ἅπτω. Ergo debuit quoque esse Fανδανω, εFανδανον, aut sine ε, Fανδανον. ut A. 24 Ἀγαμέμνονι Fανδανε θυμῷ. et O. 674 Αἴαντι μεγαλήτορι Fανδανε. Sicque in aliis, ut Od. E. 153 et in capite versus Od. Ξ. 525. Π. 398. P. 173. Ergo quoque, quod ἑήνδανε, scribitur pro ἐήνδανε, erit εFανδανε, Ω. 25. et Od. Γ. 143. Corrigendum erit δίχα δέ σφισιν ἥνδανε βουλή Σ. 510 et alibi, σφισι Fανδανε. et Od. K. 373. ἐμῷ δ' οὐχ ἥνδανε θυμῷ, ου Fανδανε. De compositis v. Excursu sequ.

Jam eodem modo nec ἤνασσε, K. 33. Π. 172. 572. potuit esse Fηνασσε, sed ex Fανασσω, εFανασσε, quod jam monitum vidi a Bentleio, consentientibus Dawes et Payne Knight. Sic et Od. Γ. 305 et Λ. 275.

ἦνοψ, λαμπρός. Fηνοψ. nam Σ. 343 et Od. K. 360 ἐνὶ Fηνοπι χαλκῷ. videtur ductum esse ab Fενω, ἕνω, φένω, φονεύω, praestringens oculos et occaecans.

ἤπιος. respuit digamma. cf. Eustath. p. 859, 55. ubi disputat non ἤπιος fuisse.

ἦρ cum ex ἔαρ, Fεαρ, contractum sit, putes scriptum occurrere Fηρ. et Terentianus agnoscit hoc p. 2397. cum inde ductum sit *ver*. At in Homero occurrit ἦρ pro *matutino tempore*, sine digammo: v. supra in ἔαρ. Od. Υ. 156 ἀλλὰ μάλ' ἦρι νέονται. item Od. T. 320 et sic ἦμος δ' ἠριγένεια.

ἦρα, χάριν. fuit Fηρα. Od. Γ. 34 Ἀγαμέμνονι Fηρα φέρειν. unde επιFηρα φέρων A. 572. ubi v. Obss.

ἠρίον. Fηριον. forte ex ipso illo Fηρ. μεγα Fηριον. Ψ. 126.

Ἥρη. Fηρη. Ita antiquitus scriptum fuisse dubitari nequit.

Occurrit in Homero utrumque: v. Excurs. II, ad lib. A. necdum video meliora, quam ut statuam interpolasse loca rhapsodos. Ad ductum virorum doctorum, qui in Genesi Mosis duplicem recensionem scite exputarunt ex variante usu nominum Elohim et Iehova, possit in animum venire, manasse etiam in Iliade varietatem ex duplici recensione.

ἧς. Fῆς. ἧσι Fῆσι. ab ὅς. v. sup. ἑός.

ἠχή. Fηχη. Digamma ei adfuisse, patet ex inde ducto A. 157 θάλασσά τε Fηχηεσσα. Ergo et Fηχεω. πολυFηχης Δ. 422. περιFηχεω H. 267. At δυσηχής. ὑψηχής. ut solent composita variare. de quo v. Excurs. seq.

I.

ἰάομαι. ἰατρός. nusquam cum digammo. Vide v. c. A. 518. 834. Bentleius tamen aliquoties inserebat, ut Δ. 190. 194.

ἰάπτω. non Fιαπτω. v. ad A. 3. p. 7.

Fιαχω et FιFαχω, quod nunc ἰάχω. Fιαχη, ἰαχή. De hoc dubitari nequit. At est in hac voce aliud observatum prosodicum, quod difficilius erat ad expediendum, quandoquidem modo producta occurrit prima syllaba, modo corripitur; modo videtur secunda produci. Nunc tamen re diligenter expensa, et locis omnibus inter se comparatis, constat mihi, *natura brevem* esse syllabam primam, ut statim Δ. 456 ὡς τῶν μισγομένων γένετο Fιαχή τε, φόβος τε. Δ. 506 Ἀργεῖοι δὲ μέγα Fιαχον, ἐρύσαντο δὲ νεκρούς. item P. 317. A. 463 οἱ δὲ μέγα Fιαχοντες. E. 343 ἡ δὲ μέγα Fιαχουσα et 302 σμερδαλέα Fιαχων et sic in Iliade et Odyssea plus quam vicenis locis. Sunt tamen loca, in quibus prior manifeste est producta: ἴαχον, quia pronuntiatum, puto, fuit interposito digammo FιFαχω. Ita statim A. 482. ubi, ut in multis aliis, ignoratio digammi et prosodiae malam interpolationem et corruptelam intulit. στείρῃ πορφύρεον μέγαλ' ἴαχε cum olim esset μέγα FιFαχε. Σ. 29 θυμὸν ἀκηχέμεναι μέγαλ' ἴαχον leg. μέγα FιFαχον. et 228 τρὶς μὲν ὑπὲρ τάφρου μέγαλ' ἴαχε. leg. μέγα FιFαχε. Sic quoque Φ. 10. Od. B. 428. Σ. 219 ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ, ὅτε τ' ἴαχε σάλπιγξ. fuit: ὅτε FιFαχε. In Il. Ψ. 216 est ἐν δὲ πυρὶ πεσέτην, μέγα δ' ἴαχε θεσπιδαὲς πῦρ. pro his fuit: επιFιFαχε θ. Prorsus corruptus est versus Od. I. 395 σμερδαλέον δὲ μέγ' ᾤμωξεν, περὶ δ' ἴαχε πέτρῃ, cum esset: σμερδαλέον δ' ᾤμωξε, περὶ δ' επιFιFαχε πέτρῃ. Υ. 62 ἐκ θρόνου ἆλτο καὶ ἴαχε. corruptum ex ἐκ θρόνου ἆλτ', ἰδὲ FιFαχε.

In aliis mutatum est εFιFαχον in ἐπίαχον E. 860 ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον. lege εFιFαχον. similiter Ξ. 148. porro B. 333 Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον, ἀμφὶ δὲ νῆες, interpolate pro Ἀργεῖοι δ' επιFιFαχον. Δ. 125 λίγξε βιὸς νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχε. pro

νευρὴ δ' ἐπιϜιϜαχε. N. 835 Ἀργεῖοι δ' ἑτέρωθεν ἐπίαχον. pro ἑτέρωθ' ἐπιϜιϜαχον. Sic saepe peccatum in ἐπίαχον. I. 50. H. 403.

Aliis locis paratam esse video medelam transposita voce. N. 822 αἰετὸς ὑψιπέτης, ἐπὶ δ' ἴαχε λαὸς Ἀχαιῶν. Bentleius exitum e nodo non reperiebat nisi ferendo in hoc et locis similibus eo, quod mutari haud posset, ut sit: επι δϜιαχε. Ab interpolatore mutatum suspicor quod fuit: Ϝιαχε δ' ἔπι λαὸς Ἀ. sicque iterum vs. 834. P. 723. Atque ita diserte legitur alio loco Ψ. 766 αἰεὶ ῥίμφα θέων. ἴαχον δ' ἔπι πάντες Ἀχαιοί.

Superest locus, qui disputationi Dawesii et aliorum locum dedit: B. 316 τὴν δ' ἐλελιξάμενος πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν. Nullus dubito fuisse ανϜιϜαχυιαν. αναϜιϜαχω, ἀνιάχω, uti est, αναβοᾶν. ἀνηχεῖν. Et Od. Δ. 454 manifesta interpolatio est: ἡμεῖς δ' αἶψ' ἰάχοντες ἐπεσσύμεθ'. Abest ab aliis αἶψ'. fuit scilicet ἡμεῖς δὲ Ϝιαχοντες. N. 41 αὐίαχοι est ex αϜιαχοι. v. ad e. l. Secundum haec disputata corrige nonnulla in Obss. ad A. 482. B. 316. E. 860. Λ. 462.

ἴδε. ἴδεν. ἰδέειν. ἰδεῖν. ἰδέσθαι. omnia per Ϝ. Ϝιδε. Ϝιδεν. Ϝιδεειν. Ϝιδεῖν. Ϝιδεσθαι. Ϝιδῃς. Ϝιδῃ. Ϝιδων. Ϝιδηαι. Ϝιδηται. v. εἴδω. Ϝειδω. Saepe tamen in digamma in his peccatur. interdum expulsum est ὄρημι· ut A. 56. 198. 203. Γ. 453. Δ. 232. 374. 516. Z. 365. M. 333.

ἴδιος. in Homero. non Ϝιδιος. Ut nec Ϝιδη, mons Ida, sed Ἴδη. ut πόδα νείατον Ἴδης et alia.

ἴδμεν, Ϝιδμεν. ex ἰδέμεναι. ἰδέμεν. Ϝιδμεναι. Idem etiam ἴδμεν pro ἴδομεν. etsi grammatici volunt esse pro ἴσμεν. ut Etymol. et Gregor. Corinth. obvia vox in Herodoto; saepe quoque in Homero: εὖ γὰρ δή τό γε Ϝιδμεν B. 301. ubi v. Obss. 486. 252. et alibi. N. 273 σὲ δὲ Ϝιδμεναι. Ergo ejicienda copula Od. K. 190. P. 78. Θ. 146.

Ἰδομενεύς. non est Ϝιδομενευς. v. c. H. 165 τοῖσι δ' ἐπ' Ἰδομενεύς.

ἴδρις. Ϝιδρις ab εἴδω. Ϝειδω. ergo αϜιδρις Γ. 219 πολυϜιδρις Od. O. 458. Et Ϝιδρείη. Π. 359 ὁ δὲ Ϝιδρειῃ πολέμοιο. αϜιδρειῃ H. 198. πολυϜιδρείῃ Od. B. 346.

At ἱδρώς, sudor, ἱδρόω. sine digammo: ut et ἱδρύω. ἱδρύνω.

ἰδυῖα. Ϝιδυια. saepe corruptum εἰδυῖα. v. Obss. ad A. 608. I. 128. et saepe.

ἵεμαι cupio. Ϝιεμαι priore longa. Esse ab ἵημι, ἵεμαι, vidimus sub ἕω. Attamen sensu tantum hoc occurrit, ut sit, appeto. saepe Ϝιεμενος, cum inde declinatis; sed et: B. 589. μάλιστα δὲ Ϝιετο θυμῷ E. 434. Θ. 301. 310. Λ. 537. et al. v. Obss. ad M. 274. Itaque Od. B. 327 ἐπεί νύ περ ἵεται αἰνῶς

corr. ἐπεί νύ γε Fιεται. Versus 246. Od. K. est spurius. Σ. 561 ἄμφω δ' ἰέσθην peccat δ'. Male substitutum ἱεμένων B. 154. ubi v. Obss. et alibi. ut ἵεσθε M. 274 scriptum erat.

ἴθμα. nolim Fιθμα scribere: cum nulla nec ratione, nec analogia praesto sit: E. 778 relinquam πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.

ἰθύς. non Fιθυς.

ἴκελος. Fικελος. v. εἴκω, Fεικω.

ἱκέτης. ἱκετεύω. Bentlei. inducere volebat Fικετης, ut et Fικεσθαι. ita Π. 564 ἐς Πηλῆ' ἱκέτευσε, corrigebat ἐς Πηλέα Fικετευσε, ut εα una esset syllaba. Enimvero est ἱκέτης. ἱκνεῖσθαι. ἱκέσθαι. Od. N. 213 Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος. corr. Ζεὺς σφείας τίσαιθ' ἱκετήσιος.

ἰκμάς. semel occurrit P. 392 ἄφαρ δέ τε ἰκμάς. creditur ergo esse Fικμας. At ἴκμενος οὖρος το F non agnoscit.

ἰλαδόν. Occurrit B. 93. ab ἴλη, *turma*. quandoquidem haec duci potest ab εἴλη, et εἰλέω, Fειλεω, credi potest fuisse Fιλη. Ita forte et ἰλλὰς N. 572 ἰλλάσιν οὐκ ἐθέλοντα. etiam ab eadem voce ductum. ut et ἴλλοὶ *oculorum anguli*. Nec tamen respondent deducta δενδίλλων I. 180 ubi v. Obss. et ἐπιλλίζω Od. Σ. 11. et habuit vox primitiva plures formas. v. ἕλω, Fελω.

ἵλαος. ἵλημι. ἱλάω. ἱλάομαι. non habent digamma. De vocibus v. ad A. 583.

ἡ Ἴλιος. *Ilium*. sine controversia Fιλιος. ὅτε Fιλιον ἀμφεμάχοντο Z. 461. Interpolatum H. 345. Z. 386. B. 230. ubi Bentl. nondum offendebatur; E. 204. N. 349.

ἰλύς. Φ. 318 κείσεθ' ὑπ' ἰλύος. etsi ab εἰλέω ductum.

ἱμάς. ἱμάσσω. Bentlei. esse putabat Fιμας. Fιμασσω, et multa tentabat in locis voto non respondentibus. Enimvero B. 782 γαῖαν ἱμάσσῃ. Γ. 371 ἄγχε δέ μιν πολύκεστος ἱμάς. adde Ξ. 214. 219. E. 589. K. 262. Corrigendi sunt vss. Θ. 544. et Ψ. 363. ubi v. Obss.

ἵμι. Fιμι. ἴω. auctoritatem non habet digamma.

ἶνες. Fινες. ex ἶς, ἰνός. *tendo. nervus*. H. 269 ἐπέρεισε δὲ Fιν' ἀπέλεθρον. Ψ. 191 περὶ χρόα Fινεσι. Inde

ἰνίον. Fινιον. *occiput cum cervice*. ut E. 73 κεφαλῆς κατὰ Fινιον. adde Ξ. 495 et al.

ἴον. Fιον. *viola*. digamma agnoscit Terentianus p. 2397. occurrit Od. E. 72 λειμῶνες μαλακοὶ Fιου ἠδὲ σελίνου. Est quoque in Theocrito X, 28 καὶ τὸ Fιον μέλαν ἐστί. Erit itaque FιοFειδης Λ. 298 et καλοί τε μεγάλοι τε Fιοδνεφες εἶρος ἔχοντες.

At ἰὸς, *sagitta*, respuit digamma, et priorem producit. A. 48 μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε et Ἄρτεμις ἰοχέαιρα. Itaque τίθει ἰόεντα

σίδηρον Ψ. 850 non potest ab ἰὸς esse, sed ab ἴον, ut τὸ μέλαν declaret, Fιοεντα. et Fιομωρος ab atro fato Δ. 242 ubi v. Obss. Ξ. 479.

ἰονθὰς, de *villosa* capra, uno loco Od. Ξ. 50 δέρμα Fιονθαδος ἀγρίου αἰγός.

ἶπες. ἴψ. *vermis.* Od. Φ. 397 μὴ κέρα Fιπες ἔδοιεν.

ἵππος sine digammo.

ἴρη. *turma.* Σ. 531 ἱράων τὸ πάροιθε. forte Fιρη quia ex εἴρω, Fειρω, ductum creditur. At ἱρὴ, ἱερὰ, respuit digamma. ἕλωσι δὲ Fιλιον ἱρήν. Δ. 416.

ἴρηξ. ἱέραξ. non habet digamma. v. c. N. 819.

Ἶρις, dea. Fιρις. ὠκέα Fιρις. De Λ. 27. v. Obss.

Ἶρος, Irus, respuit digamma; Σ. 38 ὁ ξεῖνός τε καὶ Ἶρος. nam nomen ductum ab εἴρω, idem quod ἐρέω, *dico, nuntio.* nam v. 6. 7. dictus Irus, οὕνεκ' ἀπαγγέλλεσκε κιών.

ἴς. ἰνός. Fις. unde *vis* ap. Terentian. p. 2397. v. ἶνες. De P. 739 v. Obss.

ἶσος et ἴσος. Fισος. saepe obvium: δαίμονι Fισος.

ἴσημι, *novi.* Fισημι. Σ. 420 θεῶν ἄπο ἔργα Fισασι. Ψ. 312 πλείονα Fισασι. Ergo et Fιστε. Fισασι. Fισθι. Fιστω. At in digamma haec vox saepe pugnat: Od. Ξ. 89. Φ. 110. facilis tamen medicina. De Z. 151. v. Obss. Od. Δ. 772 τὰ δ' οὐκ ἴσαν est ου Fισαν.

hinc et ἵστωρ, Fιστωρ. v. ad Σ. 501. et Od. Φ. 26.

ἄFιστος. et forte νῆις fuit νηFις H. 198. At ἐπίσταμαι non habet digamma; est enim ἐφιστάναι τὸν νοῦν, et ἐφίστασθαι.

ἴσκω. Fισκω. et ἐΐσκω, FεFισκω. quod v. supra in ἐΐσκω. αἴ κ' ἐμέ σοι Fισκοντες. Δ. 798. et Π. 41. v. Obss. Od. T. 203 et Δ. 279.

ἱστίη. legitur Od. Ξ. 159 ἱστίη Ὀδυσῆος. Ita debebat esse quoque ἐπιίστιος. ἀΐστιος, et forte επιFιστιος. αFιστιος et Fιστιη. Atqui legitur ἀνέστιος I. 63. ἐφέστιος B. 125. Et Ionicum fuit Fεστίη apud Terentian. p. 2397. unde *Vesta* facta. Ita saltem scribenda essent αFεστιος. et επιFεστιος. quod dubitare facit de veritate versus B. 125.

At ἱστὸς, *malus,* sine digammo, et ἱστίον. olim et ἱστός. Unde et ἐπίστιον, *locus navi assignatus in portu vel navalibus:* Od. Z. 265 non ab ἱστίη.

ἵστημι cum deductis nusquam digamma agnoscit.

ἴτυς, *ambitus rotae.* Fιτυς. Δ. 486 ὄφρα Fιτυν. et testatur Terentianus p. 2397. Aeolibus quoque βιτυς fuisse, unde factum, *vitis.* Itaque Bentleius etiam ἰτέα, *salix,* scribebat Fιτεα Φ. 310. Od. K. 510. et est in Hesychio γιτέα.

ἶφι. ἶφις. ἰσχυρός. Fιφι. Fιφις. ut statim A. 38 Τενέδοιό τε Fιφι

νάσσεις. Peccatur aliquoties in digamma; ut Δ. 287. v. Obss. Est tamen, ipso Etymologo docente, ex ἶς, Ϝις, Ϝινοφι, ἶφι.

Mirum tamen, quod ἴφθιμος, quod inde ductum esse debet, respuit digammum: ut M. 417 οὐδὲ γὰρ ἴφθιμοι. Γ. 336. Λ. 534. E. 625. Θ. 144 etc.

ἰωὴ, (pro φωνὴ, et πνοὴ) Ϝιωη. Sic Δ. 276 ὑπὸ Ζεφύροιο Ϝιωης. De K. 139 v. Obss.

ἰωγή. ἡ σκέπη. Od. Ξ. 533 Βορέω ὑπ' ἰωγῇ. et ἐπιωγὴ Od. Ε. 404.

ἰῶκα ab ἰὼξ, ἰωκὸς, ἰωκὶ, ἰῶκα. Λ. 600 εἰσορόων πόνον αἰπὺν, ἰῶκά τε δακρυόεσσαν· ad quem v. Obss. potest vox primitiva esse, a qua ductum διώκω. At enim E. 521 οὔτε βίας Τρώων ὑπεδείδισαν οὔτε ἰωκάς. et 740 ἐν δ' Ἔρις, ἐν δ' Ἀλκὴ, ἐν δὲ κρυόεσσα Ἰωκή. Videtur in his Ϝιωκη admittenda esse. Quid tamen si ἐν δὲ κρυόεσσα τ' Ἰωκὴ fuit? δέ τε saepe sic disjunctim occurrunt. et in priore: οὐδέ τ' ἰωκάς. nisi ab ἰὼξ, fuit ἰῶκας.

ἰωχμός. sine digammo: Θ. 89 ἦλθον ἀν' ἰωχμόν. et 158 αὖθις ἀν' ἰωχμόν. quod et prosodiam mutat, priore producta. Convenit in utroque παλίωξις O. 601. Est quoque in Hesiodo Theog. 681 ποδῶν αἰπεῖα τ' ἰωὴ ἀσπέτου ἰωχμοῖο. priora corrige ποδῶν τ' αἰπεῖα τ' Ϝιωη.

O.

Ὄαρες. ὄαροι. ὀαρίζω. Videntur haec ab εἴρω, ἀείρω, Ϝειρω, ἀϜειρω, *jungo*, ducta esse, et digammo notanda; repugnant tamen loca X. 128 παρθένος, ἠΐθεός τ' ὀαρίζετον. sed versus ille insititius esse videtur. Ex Z. 516 ὅθι ἧ ὀάριζε γυναικὶ, nil colligas. nec ex N. 291. P. 228. aut X. 127. et Od. T. 179. At Ξ. 216 est ἐν δ' ὀαριστύς. Sunt ὄαροι apud alios scriptores, confabulationes, male illati in I. 327 ἀνδράσι μαρνάμενος ὀάρων ἕνεκα σφετεράων. nam h. l. sunt αἱ ὄαρες, *conjuges*. hic unicus locus est, in quo de digammo cogitare licet. v. ibi Obss. Alter locus est E. 486 καὶ ἀμυνέμεναι ὤρεσσι. quod esse necesse est pro ὀάρεσσι. Bentleius Ϝωρεσσι scripserat. Idem de ἄορες cogitabat. Et occurrit forma τὸ ἄορ de ense. v. supra h. v. Nec tamen permittit hoc ὄαρος. ὀαρίζω. Et est quoque Orion, Ὠαρίων simili forma.

οἷ. Ϝοι. sibi et ei. ut A. 104 ὄσσε δέ Ϝοι. ab ὃς, Ϝος. v. Excurs. VII. ad A.

οἴγω. *aperio*. digamma non habet. v. ἔῳγον. ἀνέῳγον.

οἶδα. Ϝοιδα. οὐδέ τι Ϝοιδε νοῆσαι. Sic Ϝοισδα. Ϝοιδε. a Ϝειδω, novi. Saepe in hoc peccatum est.

οἴδημα. οἶδμα. Ϝοιδμα. *intumescentia. tumor*. Ψ. 230 ὁ δ' ἔστενε Ϝοιδματι θύων. et Φ. 234 ὁ δ' ἐπέσσυτο Ϝοιδματι θύων.

Posui hoc ex Bentleii sententia. Nihil tamen in Homericis praeterea occurrit, a Ϝοιδεω. Od. E. 455 ᾤδεε δὲ χρόα πάντα. quod Ϝοιδεε esse potuit. Non tamen respondet ductum hinc οἰδάνω. I. 642 ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ. quod debuit esse Ϝοιδανεται. Nec vestigium digammi occurrit in nomine Oedipodis. Οἰδίπους. Οἰδιπόδης. quod Ϝοιδιποδης esse deberet. Hesiod. Theog. 109 πόντος ἀπείριτος οἴδματι θύων. An forte inversa ratione dicendum est, vocibus abesse digamma, et in locis Homericis fuisse: ὁ δὲ στένεν οἴδματι. et ὁ δ' ἐπέσσυτο, tono remisso, in θέσει, *se tueri.*

οἰήϊον. οἴηξ. Bentleius digammum appingebat. Loca tamen, in quibus voc. occurrunt, video esse pauca, nec unum esse, quod digammum asserat: T. 43 καὶ ἔχον οἰήϊα νηῶν ipso tono sustinetur; et potuit excidere τε. καὶ ἔχον τ' οἰήϊα. Od. I. 483 et 540 τυτθὸν ἐδεύησεν δ' οἰήϊον ἄκρον ἱκέσθαι. M. 218 ἐπεὶ νηὸς γλαφυρῆς οἰήϊα νωμᾷς. Tandem Il. Ω. 269 εὖ οἰήκεσσιν ἀρηρός.

οἶκα. Ϝοικα. Ϝεοικα. v. εἴκω, Ϝεικω.

οἶκος. constanter Ϝοικος. Ϝοικεω. Ϝοικαδε. Ϝοικοθεν. Ϝοικοθι. Ϝοικοι. Nota res jam ex Dionys. Hal. loco saepe notato lib. I. Peccatur tamen interdum ut A. 19. ubi v. Obss.

οἶμος. οἴμη. οἶμα. οἰμάω. de *impetu.* sine digammo esse habentur. Loca, in quibus οἴμη occurrit, nil docent: Od. Δ. 74. 481. X. 374. ut nec de οἰμᾷν X. 140. 308. et Od. Ω. 537. nec de οἶμα, Π. 752. at Φ. 252 αἰετοῦ οἴματ' ἔχων et οἶμος uno loco Λ. 24 θώρηκος δέκα οἶμοι ἔσαν. ubi v. Obss.

οἶνος. Ϝοινος. hoc notissimum; unde et, *vinum.* αἴθοπα Ϝοινον.

ὅμος. ὅμοιος. ὁμοῖος. et cognata respuunt digamma.

ὃν, Ϝον. *suum.* v. Excurs. VII, ad A. et supra ἑός. Saepe in digamma peccatum est. v. ad Λ. 403.

ὅρκος non habet; etsi est ἐπίορκος.

ὅς, Ϝος. *suus* et *ejus.* v. Excurs. VII, ad A.

οὗ. Ϝου. ut Νέστορα δέ Ϝου παιδός. v. antec. Excurs.

οὐλαμός. Ϝουλαμος. Δ. 251. 273. Υ. 379.

οὖλος. nihil habet, quod digammum arguat, nisi si *crispus* est, a Ϝελω, Ϝειλεω. At, si est pro ὅλος, aut pro ὀλοὸς, contraria quoque ad manum sunt: Λ. 62 ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστήρ. et E. 717 μαίνεσθαι ἐάσομεν οὔλιον Ἄρην. add. 461. At unus est locus, unde colligitur Ϝουλον esse, B. 8 βάσκ' ἴθι οὖλε Ὄνειρε. restat tamen vel sic ex duplici hiatu alter: de quo v. Obss. Expediri res nequit. Poterat tamen omnis molestia tolli, si erat, βάσκ' ἴθ' ὀλέθρι' Ὄνειρε. Rich. Payne Knight p. 91. remedium parare volebat hoc modo, ut diceret fuisse primitus ϜολοϜος, ϜολϜος et ὀλοϜος. unde esset

βάσκ' ἴθ' ὀλοϝος Ὄνειρε. Laudat pro se ὀλοῇ μοῖρα Il. X. 5. quam esse vult ολοϝῇ. v. ad A. 362 ὀλοϝῇσι φρεσί.

τὸ οὖρον. τὸ διάστημα. Constituitur ϝουρον. ϝουρα a Bentleio ex K. 351 ὅσσον τ' ἐπίουρα πέλονται. ubi v. Obss. nam ex binis locis, in quibus οὖρον occurrit, Od. Θ. 124 ὅσσον δ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει. et Il. Ψ. 431 ὅσσα δὲ δίσκου οὖρα, nil colligas; et 523 δίσκουρα adversatur potius.

ὁ οὖρος. *limes agri.* M. 421 ἀλλ' ὥς τ' ἀμφ' οὔροισι. et Φ. 405 ἔσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης.

Respuunt quoque digamma ὁ ὅρος, *terminus,* ὁ οὖρος, *ventus,* ὁ οὐρὸς, *cavum, alveus,* B. 153. ὁ ὀρὸς, *serum lactis,* Od. P. 255. τὸ ὄρος, *mons.* ὁ ὀρεὺς, οὐρεὺς, *mulus,* ut Ψ. 115 πρὸ δ' ἄρ' οὐρῆες κίον αὐτῶν.

οὕς. ϝους. *suos.* ab ὃς, ϝος. οὐδὲ ϝους παῖδας ἔασκε Λ. 330 et al.

ὄφρα. volebat inferre ϝοφρα Clarke Ω. 285 χρυσέῳ ἐν δέπαϊ, ὄφρα λείψαντε κιοίτην. at hiatum ferre possumus in caesura medii versus, in tono.

Ω.

ᾧ suo. ϝῷ. χαριζομένη πόσεϊ ϝῷ et saepe.

ὦλξ pro αὖλαξ. *sulcus* Il. N. 707 κατὰ ϝωλκα.

ὤρεσσι. ϝωρεσσι. v. sup. ὄαρες. tentabat Bentlei. E. 486 ἀμυνέμεναι ϝωρεσσι. ubi est pro ὀάρεσσι ut I. 327.

ὡς saepe tentabat Bentl. scribere ϝως. scribebat quoque δ' ὡς, δϝως· ut K. 33 θεὸς δϝως τίετο λαῷ. Ξ. 413 στρόμβον δϝως. I. 605 θεος δϝως et sic al.

Putabam saltem teneri posse quoties esset sic. ὥς. pro οὕτως. ὡς δε—ὣς, ϝως. At ne hoc quidem procedit, cum nimis multa obstent: οὐδέ μιν ὣς γαμέω. Λ. 210. 255. 669. 719. 720. I. 391. Φ. 133 et alia.

Restat tertium genus, in quo accedere forte licet, quando ὡς postponitur: λύκοι ϝως Δ. 470. ὄρνιθας ϝως B. 764 ὄρνιθες ϝως Γ. 2 et multa alia; inprimis brevi antecedente, quae tamen tono producitur, Γ. 230 θεὸς ϝως. Z. 443 κακὸς ϝως. Atqui et sic intercedit Γ. 196 αὐτὸς δὲ, κτίλος ὥς. et aliquoties θεὸς δ' ὣς, τίετο δήμῳ. Nec concinit praeterquam Od. Σ. 322 παῖδα δε ϝως ἀτίταλλε.

EXCURSUS IV.

De digammi usu in media voce.

Digammi usum fuisse in *media* quoque *voce,* nemo mirabitur, si initio certarum vocum digamma praefixum fuisse semel constiterit; quidni enim et in medio, si pares caussae adfuerint? Multo autem minus mirationi locus erit, si me-

mineris antiquitus, inprimis ab Atticis, etiam spiritum asperum media in voce interpositum fuisse: cujus usus etiamnum supersunt exempla in grammaticorum commentariis. Sic ἀέκων, ut ἀϝεκων fuit: v. ad E. 164 ἄαπτος. παρέξεται. ἄωρος. ἄυπνος. μελιήδης[a]. Quid quod etiam tenuem spiritum appinxerunt (ἐψίλουν) in Φιλἶππος. Μελανἶππος. Ευαἶμονιδης. v. Obss. ad E. 76 ξυνἕηκε in codice Veneto scriptum fuisse, non ξυν ἑηκε Il. A. 8. disco ex Villoisoni V. C. Diatribe. p. 119.

Quibus in vocibus ac locis digammum medias quoque syllabas invaserit: observationis res est; quam admodum turbavit inconstantia usus, in iisdem saepe vocibus. Ea res valde male habuerat Bentleium, qui plurima loca corrigere aggressus modo hoc, modo aliud tentaverat. ita εξειπω correxit εκϝειπω. οὐρανὸν εἰσανιδὼν, cum deberet esse εισαναϝιδων, correxit εισορόων, et sic infinita alia. Omnibus inter se comparatis, intellexi, primo classes constituendas esse vocum *simplicium* et vocum *compositarum;* compositae iterum aliae cum *praepositione compositae* sunt, aliae *binis nominibus.* Agamus primo de *compositis vocibus.*

In *compositis* itaque *vocibus* digamma locum sibi vindicat jure suo, quoties praepositio praemissa est verbo, quod primam syllabam orditur a vocali cum digammo. Si ϝελπομαι est, expecto utique, esse quoque A. 545 ἐπιϝελπεο. et hujus generis pleraque jam in superiore recensu adscripsimus. In hoc tamen genere sibi non constitit usus Homericus: verum in compositis vocibus modo digammi ratio habetur, modo omnino nulla; et in his manifestum fit, metri rationes praetulisse poetas.

Ut unum tantum vel alterum exemplum commemorem, ϝειδω, *video, novi:* ex eo composita occurrunt διαϝειδομαι. περιϝοιδε. προϝιδων. Nec minus tamen leguntur εἰσανιδών. ἐσιδοῦσα. ἐπιδών. ἐκκατιδών. ἐξιδεῖν. προσιδέσθαι. Ab ἔπω. ϝεπω. sunt ἀποϝειπειν. διαϝειπέμεν. μετεϝειπε. προσεϝειπε. cum his tamen quoque διειπεῖν. K. 425 δίειπέ μοι. v. Obss. ἐνέπω. ἐννέπω. ἔννεπε Μοῦσα. nisi dicas, hoc factum ex ενϝεπε. ἐξειπεῖν. ut: αὐτίκ' ἂν ἐξείποι. παρειπειν, de quo dubitabam ad A. 555. Z. 62.

ἐρύω. ϝερυω, ϝειρυω. potest hinc esse προϝερυω. εσϝερυω. At nec minus ἐξερύω. ἐξέρυσε. ἐξείρυσε. ἐπερυσε. κατειρυσε.

[a] Notata res passim et a pluribus post Casaubonum ad Athenaeum, etiam in vulgaribus grammaticis graecis ut Caninii et Fischeri ad Weller. Nunc in Villois. Proleg. Knight p. 97. et al. Ex Eustathio plura loca adscripsit Burgess p. XIV. Ex eodem genere est προσεῖλειν de quo disputata sunt tam multa a viris doctis. Mentio ejus facta jam supra Excursu II. p. 716. Digammi usum in mediis vocibus testatur loco classico Priscianus p. 547, locum infra commemorabo.

ἔτος. Fετος. ἐπετήσιος. ἐπηετανός.

Fοικεω. Fοικιζω. expectes αποFοικιζω. attamen Od. M. 135 Θρινακίην ἐς νῆσον ἀπῴκισε.

Fεω. Fεννυμι. unde est επιFεω. καταFεω. αμφιFεω. κακοFειμων Od. Σ. 41. etiam habet ἀνείμων Od. Γ. 348 nisi est ex αFειμων.

Fηχεω. περιFηχεω H. 267 et δυσηχης. πολέμοιο δυσηχέος B. 686 et al.

Fιαχω. de ἐπίαχον v. Excurs. antec.

Sunt exempla duplicis formae in eadem voce composita: forte emendanda:

Fανδανω. ἐφήνδανε, H. 45 βουλήν, ἥν ῥα θεοῖσιν ἐφήνδανε μητιόωσι. aut scriptum fuit θεοισιν εFανδανε. aut θεοῖς επιFανδανε. v. Excursu sup. in ἥνδανε. atque sic rescribendum aliis locis ubi ἐπιήνδανε legitur. Est quoque ἐμοὶ δ' ἐπιFανδανει οὕτως H. 407. Est μῦθος ἀφανδάνει Od. Π. 387 haud dubie ex αFανδανει. *displicet.*

Fειλυω. καταFειλυω. Φ. 318 κὰδ δέ μιν Fειλυσω peccat; f. κὰδ δέ Fε Fειλυσω. Ionica dialectus serior digamma haud curat; κατειλήθησαν. Herodot. VIII, 27 ἀμφιFελισσαι νῆες servant digamma: ut omnino verba ex αμφι et περι composita.

Interdum τὸ ε praefixum digammo scrupulum eximit, v. c. Fαγω, frango, si cum κατὰ componitur, aoristum habet κατεFαξα N. 257 ex καταFαγω. aut interponitur alia vox κατά θ' ἅρματα Fαξω et sic ξυνεαξε a συνFαγω.

ἐρύω. Fερύω. Fειρυω. unde fit αποFερυω. ὑπεκFερυω. Divulsum est Od. Ξ. 134 ῥινὸν ἀπ' ὀστεόφι Fερυσαι. Il. P. 581 Πάτροκλον ὑπ' ἐκ βελέων Fερυσαντες. At I. 77. et M. 402 ἀνὰ δ' ἱστία λεύκ' ἐρύσαντες.

In aliis duplicatur ε. Est Fεργω, Fειργω. εFεργω. Inde composita sunt ανεFεργω, αποFεργω et απεFεργε. αποFεργαθω. διεFεργω. προεFεργω. συνεFεργω.

Ita quae supra commemoravi, composita ex ἔπω. Fεπω. αποFειπειν. διαFειπειν. μετεFειπε. προσεFειπε.

πρὸς resolvitur in προτί. ut πρὸς νῆας προτιFειλεῖν K. 347.

De προΐαψε v. ad A. 4.

Variari tamen in his multo minus miraberis, si animadverteris, varietatem similem occurrere etiam in compositis cum praepositione, sine digammo, duabus vocalibus concurrentibus, dum modo alteram elidi, modo hiatum servari videris, promiscue. Ita est ἀμφίεπον Ω. 804 et ἄμφεπον Σ. 559 ἀμφαγαπάζω et ἀμφίαλος. ἀποαίνυμαι N. 262 ubi cf. Obss. ἀποαιρεῖσθαι et ἀφαιρεῖσθαι ὑπόεικε (ab εἴκω, cedo) Λ. 204 ὑποείξομαι Δ. 62 et ὑπείξομαι A. 294. ἔπειμι. ἐπιών, et tamen ἐπιεί-

σατο Λ. 367. Υ. 454. Φ. 424. μέτειμι. μετεισάμενος. N. 90. v. Obss. P. 285 et tamen καταείσατο Λ. 358. aut potius κατεείσατο v. Obss. ut διὰ πρὸ δ' εείσατο legendum est, v. ad Δ. 138. επᾶλτο, επάλμενος, et επιάλμενος; H. 15. v. ad Θ. 85. H. 260.

Hactenus de verbis cum praepositione compositis. Nunc in *vocibus*, quae *ex binis aliis vocibus* compositae sunt, observantior est poeta digammi; nec tamen ubique. Sic μελιϝηδεα οἶνον Δ. 346 et tamen quoque Od. Π. 389 ἅλις θυμηδέ' ἔδωμεν. Ex εἴδω, ϝειδω, est ἠεροϝειδης. θεοϝειδης, e quo factum θεουδής. ιοϝειδης. μυλοϝειδης. At ἀλλοειδὴς factum trisyllabum Od. N. 194.

Cum intellectum esset, digamma interpositum sive inter duas voces, sive in media voce composita, usum habere ad tollendos hiatus: coeptum est a viris doctis transferri illud ad alia quoque vocabula, in quibus duae vocales presse se sequentes occurrunt, ut, digammo interposito, allisio vocalium et hiatus tolleretur. Auctoritatem animadversioni subministravit Priscianus in loco jam aliquoties excitato lib. I. p. 547. ubi dixerat *ubique Aeoles loco adspirationis* vau *interponere. Hiatus quoque caussa*, inquit, *solebant illi interponere* ϝ *digamma; quod ostendunt etiam poetae Aeolidae; uti Alcman:* καὶ χεῖμα πῦρ τε δαϝιον. reliqua vide Excursu sup. III. p. 727. nam adjunxerat ex Epigrammate antiquo ΔαμοϝοϝοΝ. ΛαϝοκοϝοΝ. alio loco Δαϝος, *Davus*. οϝις, *ovis* ita quoque ωϝον, *ovum*. Arrisere haec viris doctis, eorumque ingenia erexere ad persequenda alia similia. Ita res tandem versa est tantum non in lusum, cum ubicunque duae vocales se exciperent, interponere juvaret digammum.

Sunt tamen in his nonnulla, quae auctoritatem habent. Ut modo vidimus δαϝιος, quod est δήϊος, pro καυστικὸς, alias et pro πολέμιος. forte sic *Laius*, fuit Λάϊος ex λήϊος. cf. Apollon. Dysc. ad calc. Maittaire p. 435. A.

ὕλην olim pronuntiatam υλϝην factam esse sylvam traditum est a grammaticis. Ad Homerum hoc nullum habet usum, etsi a Clarke commemoratur ad Γ. 151 οἵ τε καθ' ὕλην. cf. Obss. ad B. 500 (ubi l. 2 pro ϝυλη corrige ὕλϝη.) Vellem pro his doceri posse, quomodo hiatus versus ferri possit Ξ. 285 ποδῶν ὑπ' εσείετο ὕλη?

ὄϊς. *ovis* ex οϝις, factum quoque οἶς, una syllaba. In Homero non occurrit οἶς, nec οἶν, sed tantum dissyllaba, οἰός. ut M. 451 ἄρσενος οἰός. οἰῶν. πῶυ μέγ' οἰῶν. O. 323. Σ. 588. De Λ. 677 τόσα πώεα οἰῶν v. Obss. μουνωθέντα παρ' οἴεσι Od. O. 385. At per diaeresin efferuntur. O. 373 τοῖς δ' οϝις λασιος.

Sic porro occurrunt in Homero ὀϝιος. ὀϝιν. ὀϝιεις. ὀϝιων. ὀϝιεσσι, ut E. 137. hoc quoque ἐπ' ὄεσσι Z. 25. ὀϝις pro ὄϊας Λ. 245.

'Οϊλεύς. Οϝιλευς. ad B. 527.

σιγαλόεις molestiam faciebat et sensu et etymo. Notarat Taylor ex Hesychio σιαλῶσαι pro ποικίλαι. abiisse hoc in σιγαλῶσαι, cum fuisset σιϝαλωσαι, noto more digammi in sigma versi. ergo viri docti acute suspicantur ductum inde esse σιγαλόεις pro ποικίλος. v. Obss. ad E. 226.

Hujus digammi generis notatio parum utilitatis affert ad lectionem et scriptionem poetae; Usus ejus interdum esse potest aliquis partim *in etymologia vocum*, partim *in prosodia saltem ad reddendam rationem syllabae productae*. In qua quidem doctrina multo plus interdum subtilitatis adhibitum est, quam ipsa res permittere aut fructum aliquem habere videbatur; etsi de his cum nemine contendere velim. In laude enim habendam censeo doctam subtilitatem, etiam in iis, quae praesentem utilitatem non habent, modo utiliora nec omittas nec contemnas. Paucissima de his monenda esse videntur: ut ne genus hoc prorsus a disputatione hac exulet.

Ad *etymologiam* igitur usus digammi est in iis, quae ex antiquiore Graeco sermone, qui vulgo per Aeolicam dialectum declarari solet, repetenda sunt, sive quoad formam sive quoad notionem, maxime primitivam et antiquiorem. Sunt in his, quae lucem et accipiunt et accendunt ex mutatione digammi in alios sonos, tum, in sermone Latinorum maxime, in vocibus ex antiquiore lingua Graeca petitis et inflexis. Illustrantur quoque ex his nonnulla:

Si 'Αργεῖοι scriptum fuit Αργειϝοι, licebit forte assequi, quomodo *Argivi* latine dicti sint. Ita suspicor formam obliquorum casuum in φι, de qua v. Excurs. II. ad Il. Θ. p. 522. ortam esse ex ϝι. ut νευρῆφι. 'Ιλιόφι ex νευρηϝι. ϝιλιοϝι. Forte ipsum αὐτὸς fuit αϝυτος, si Sigeum marmor sequaris. Sed sunt hujus generis alia, quae similem usum haud habent; sic quod ὀλοὸς fuit ολοϝος, χειμάῤῥοος, χειμαῤῥοϝος. ἀθρόος, αθροϝος. ἠῶς, ηϝως. ηϝοῖος. ἀὴρ, αϝηρ. ὁμοΐιος, ὁμοιιϝος. (at usum habet, quod Bentleius excogitavit ut metro succurreret in ὁμοιΐου πολέμοιο, dum legit ὁμοιιόϝι πτολέμοιο· v. ad I. 440.) ἤϝιον pro ἤϊον. ab ἔω. εἶμι. vado. Probabile fit in multis τὸ υ ortum habere ex digammo. 'Ατρεὺς ex Ατρεϝς (Dawes p. 171. 430. 439. Koen. ad Gregor. p. 231) βασιλεὺς ex βασιλεϝς. Ζεὺς ex ζεϝς. γλαὺς ex ϝλαϝς. unde R. Payne Knight Υ. 172 scribebat ϝλαϝκιοϝων pro γλαυκιόων. sicque omnino nomina in

ευς. Observationem semel factam non improbabo; at repetere et inculcare eam nolim ad fastidium in singulis.

Probabile fit, in multis τὸ υ ortum habere ex digammo. Ita vidimus αυατη apud Pindarum ex αϝατη factum. αὔω. *flo, spiro*, ex ἄω, αϝω, factum esse haud dubito, cf. ad Λ. 461. Illustrari inde potest formatio certorum verborum: καίω, καύσω· ductum est a καω, καϝω, καυω. Sic κλαίω, κλαύσω, ex κλαω, κλαϝω, κλαυω. φαω, φαυω, φαύσκω, πιφαύσκω. ψαω, ψαυσω. χραω, χραυσω. cf. ad E. 138.

Alia inde observatio ducta est, de verbis in εω, quae tempora habent ab ευω. sic πλέω, πλευσω. fuerat enim πλεω, πλεϝω, πλευω. Sic δέομαι, δεύσομαι, et ipsum δεύομαι Α. 468. ἐπιδεὴς ut ἐνδεὴς, et ἐπιδευής. At discernuntur δεύω, irrigo, et δέω, ligo. θέω, θεύσομαι, *curro*. ῥέω, ῥεύσω. χέω. χεύσω. unde χέω. ἔχεα. ἔχευα et ἐχεύατο, ex εχεϝα. συλεύω factum ex συλέω, pro quo usitatius συλάω. Pro ἀλέω est ἀλεύω. cf. ad E. 28. In nonnullis plures formae frequentatae sunt, ut σεύω, ex σεω, σεϝω. et σύω, ex quo ἔσσυμαι.

Alterum usum digammi in mediis vocibus dixi esse posse prosodicum *ad reddendam caussam*, cur interdum vocalem modo corripi, modo produci videamus sine caussa apparente. Provocari, interdum non sine specie aliqua veri, potest ad digamma, quod olim voci insederit. Ita v. c. κυάνεος primam producit; cum tamen κύανος primam habeat brevem. Conjicit acute Payne Knight p. 68. intersertum in isto fuisse digammum κυϝανεος. Observationis inprimis usus esse potest, in reddenda caussa, cur verba in υω alia producant vocalem, alia corripiant, aut cur idem verbum alia tempora habeat producta, alia correpta; scilicet modo interpositum esse ϝ, modo omissum. cujus rei similitudo aliqua est in Latino sermone. Antiquitus fuit *fuvo, fuvi, fuvimus*, inde *fuo, fui, fuimus*. *fluvo* et *fluo*, unde *fluvius*. *fluvidus* et *fluidus*. Ita de λύω notissima est doctrina Clarkii, esse hujus verbi tempora longa, λύσω, ἔλυσα, λῦσαι, ἐλύσατο, λύομαι, alia brevi vocali, ἔλυον, λύον, λύομεν, λέλυται, λύθεν, λύσις, ἐξελύθη. v. ad E. 293. Apertior res est, si jam audieris, fuisse λύω, et λυϝω, ab hoc producta, ab illo correpta venisse tempora. v. de his dicta sup. Excursu I. ad P. p. 407 sq. Iis, quae ibi laudata sunt, adde, quod primo loco memorare debebam, φύω. quod priorem habet productam in φύσω, πέφυκα, φῦλον. φυταλιή. Et tamen quoque τηλεθόωσα φύει Z. 148 πέφυα. φυή. φυτόν. φυτεύω. εὐφυής. φύσις, quae priore syllaba correpta sunt. Fuit ergo φυω et φυϝω. ἱδρύω in hunc censum retuleram, quia B. 191 est ἵδρυε λαούς. sed video hoc pronuntiari posse binis

syllabis ut T. 284 λίγ' ἐκώκυε trinis, υε contractis. in hoc tamen occurrit κωκύει. ἐκώκυον Od. Δ. 259. Θ. 527. T. 541. Simili modo caussa reddi potest, cur verba in ιω, penultima modo brevi, modo producta occurrant. Caussa cur τιω, τισω, producta sint, esto, quia fuit τιϝω. τιϝσω. Recte hoc; enimvero vel sic usu cognoscere necesse est, quaenam verba illa sint, in quibus hoc locum habeat. Revocavi haec simpliciter ad duplices verborum formas, alteram producta, alteram correpta vocali; atque eas discendas esse observatione. v. Excurs. ad P. p. 404.

Bentleius eodem modo in verbis in οω et ωω interposuerat passim digamma: v. c. N. 125 κελευτιοϝων. ειλυφοϝων Λ. 156. τόξ' αφοϝωντα Ζ. 322. utilitatem aliquam hinc profectam non vidi. Alii hoc etiam ad verba in αω intulere, ut caussam cur αω produceretur, intelligi vellent ex eo, quod olim scriptum esset αϝω. Sic μαιμάω, *impetu feror*, ex μαιμαϝω. ἐάω. ἐάσω ex εαϝω. εαϝσω. Potuere haec ita se habere; fructum tamen magnum inde percipi haud video; nisi omnino rem in generalem observationem vertas, ut dicas "vocales tres "ambiguas α. ι. υ. omnino ex eo pendere, quod antiquissi-"mis aetatibus in aliis vocibus cum adspiratione digammi "pronuntiatae fuerunt, in aliis non pari modo." Etsi ea observatione admissa non magis intelligitur, quaenam illae voces sint, in quibus adspiratio illa locum habuerit aut non habuerit.

EXCURSUS AD ILIAD. Υ.

De praelio quarto inter Trojanos et Achivos facto.

Post praelia superiora exposita consentaneum est, etiam novissimi praelii fortunam paucis exponere, in quo, reliquorum principum inter Achivos nulla fere memoratione facta, unius Achillis res gestae enarrantur; ut quinque hi libri postremi vere Achilleidem constituere videri debeant.

Itaque reconciliatione concordiae inter Achillem et Agamemnonem facta arma sumunt Achivi, novisque armis a matre acceptis ipse Achilles se armat: T. 351 sq. 364 sq. junctis quoque currui equis, vs. 392 sq. Sic in pugnam ab Achille educuntur copiae Il. Υ. ita ut Agamemnon ductu exercitus tantum non cessisse Achilli hoc die videri possit: adeo omnium rerum summa ad unum Achillem a poeta refertur. Altera ex parte Trojani quoque, qui superiore die a castris Achivorum oppugnandis, Achille conspecto,

recesserant et in medio campo pernoctaverant (Σ. 255. 6. 263. 298. 303. 314), armati in campum procedunt: (ibid. vs. 3.) ventum erat ad manus, cum utrinque ante aciem procedunt Achilles et Aeneas: (Υ. 106 sq.) animis, per interpositos utrinque sermones, diu suspensis habitis; tandem (vs. 259) hastis ab utroque incassum emissis, cum Achilles ensem strinxisset, certae morti eripitur Aeneas Neptuni opera. (—340.) quo animadverso Achilles irruit in Trojanorum turmas, magnamque virorum stragem edit, (vs. 341—363. 381 ad extr.) dum Hector intra turmas se continet nec ante aciem procedit: Apollinis jussu (vs. 375—380.) cujus tamen ille, caeso fratre Polydoro, immemor cum Achille congressus iterum ab Apolline e pugna educitur (419—451.)

Conjectis sic in fugam Trojanis perventum erat ad Xanthum seu Scamandrum. Locorum facies a poeta proditur haec: ut, qui ad urbem se recipere vellent, cis et trans amnem viam eo ducentem haberent. Pars Trojanorum fugit versus urbem citeriore ripa per eundem campum, quo superiore die Achivi ab urbe rejecti fuerant, h. e. campo Iliaco inter Simoentem et Scamandrum; et hi quidem Trojani incolumes evaserunt, (Φ. 1—7) alteram autem partem Trojanorum ultra Scamandrum fugam captantem insequitur Achilles, et, amne fugientibus objecto, magnam eorum stragem facit, quae inde a vs. 7. Il. Φ. copiose exponitur: v. argumentum ejus libri. Nunc illud notare sufficiat, locorum faciem memorari paullo diversam a superioribus narrationibus, secundum quas haud longe a castris Scamander deflexo et iis praetexto cursu ad Simoentem devertebat: E. 774 ἧχι ῥοὰς Σιμόεις συμβάλλετον ἠδὲ Σκάμανδρος· v. Excurs. de locis ad Trojam, ad Il. Z. p. 305. 306. nunc autem libero incessu aliquantum progressi Trojani ad Scamandrum perveniunt, nec omnes amnem trajiciunt, sed partim secundum ripam ejus borealem fugiunt; altera parte ultra amnem saluti suae fuga consulente. Atqui haec esse videtur ea loci facies, quae nunc est. Nam, si praetentus fuisset Scamandri alveus castris Achivorum, locus pugnae in medio inter castra et alveum Scamandri nimis angustus fuisset, ut utrinque acies explicare se potuisset, tum, si fugiebant Trojani, non parti, sed omnibus erat amnis trajiciendus. Nunc autem fuga Trojanorum ita facta est, ut illi versus Scamandrum, ad quem inde a castris ab Achivorum dextra via ferre debuit, receptum circumspicerent; Myrmidones autem, a dextra castrorum parte progressi, ab eadem parte in Trojanos duci debuere. Nec obstare his videri debent ea, quae de

Priami profectione in castra memorantur; commode enim ea ita disponi potest, ut inde a Troja australi ripa Scamandri profectus ad locum pervenerit, quo amnis trajiciendus erat Ω. 349. 350. 1. et iterum in reditu vs. 692. 693. de quibus v. ad ea loca.

Fuga elapsi Trojani ad muros Trojae cum pervenissent, Priami jussu portis apertis recipiuntur: Φ. 526 sq. solus Hector subsistit ante urbem, nullis suorum precibus permotus, ut intra urbem receptus saluti suae et urbis consulat. Il. X. pr. Achille tamen adversus se tendente conturbatus in fugam se convertit, persequente eum Achille (vs. 131 sq.) Cum Hector juxta murum cursum teneret, Achilles eum interiore cursu in campum avertere studet; ita certamine cursus facto tandem Hector, subsistere coactus, cum Achille pugnans occumbit (—369). Quod expectandum erat, ut victor exercitus, sublato urbis propugnatore, ipsam urbem aggrederetur, an expugnari illa posset, ab Achille posthabetur; (vs. 376—384) contra ille copias in castra reducit, canentes Paeanem, et Hectoris corpus cruentum, illigatis e curru pedibus, capite per solum tracto, raptat; (vs. 385—404) cumque in castra venisset, circa Patrocli corpus decursu curruum ter facto Hectoris cadaver juxta Patrocli feretrum humi extentum projicit. (Ψ. pr.)

EXCURSUS AD ILIAD. Φ.

De dialecto Homeri Ionica.

Passim in verborum augmentis tollendis paullo licentius versatus esse videbor, ut v. c. ederem ὅς με κέλευε pro ὅς μ' ἐκέλευε. hoc enim postulare dixi Ionicam formam, de qua saepe monent veteres grammatici, nec támen in pari ratione pariter ubique: firmatur tamen monitum usu Herodoteo. Hactenus recte me facere arbitratus sum, si, quoties bonus codex Ionicum praeberet, illud reponerem. Saepe tamen me ipse tacite incusavi inconstantiae, quod non idem vel sine codice feceram ubique, ut per totum carmen idem tenor et propositum servetur. Codicum utique aut nulla aut exigua in his est auctoritas; variant enim temere, et recentissimi saepe, veram rationem tenentes, verba augmento expuncto apponunt, contra vetustiores, importune saepe, et interdum adversante metro, augmentum inferciunt. Quid? quod ipsi antiquiores grammatici morem suum, cui adsueti

erant, sequuti, etiam hoc, ut alia, ad Atticum morem, refinxerunt, Ionici moris obliti. Est hoc illud, quod et nostratibus patrii sermonis satis gnaris accidere solet, ut sequamur sollennia, quae grammatica severior damnavit. Ut augmentum in dramaticis magis frequentaretur, necessitatem fecerat usus Iamborum, qui sine augmento verborum vix bene procedere possunt; itaque illud Tragicis visum est tam proprium ac necessarium, ut viri docti in Tragicis emendandis occupati illud quoque, quoties deesset, restituendum esse putarent, v. c. Brunck. ad Bacchas 1123 et al. adeo ejus omissio abhorrere videbatur a sollenni more. In mentem etiam venit viris doctis, an praestet, vocali in fine vocis antecedentis elisa, potius statuere elisum esse augmentum vocis sequentis, et ejus elisionem signo solito notare; v. c. τοῦτ' αὐτὸ 'χρῇζον. non αὐτὸ χρῇζον. etsi hoc ipsum scribi quoque poterat τοῦτ' αὔτ' ἔχρῃζον· Sophocl. Trach. 408. Habeant se haec prout quisque statuerit, in Atticis; nos agimus de Ionica antiqua ratione, et cum maxime Homerica. Debebam forte statim in primis Iliadis versibus edere ἄλγεα θῆκε, ut scripsi vs. 15 καὶ λίσσετο, et in seq. libro X vs. 422 μάλιστα δ' ἐμοὶ περὶ πάντων ἄλγεα θῆκε. et Υ. 497 ῥίμφα δὲ λεπτὰ γένοντο, vs. 94 ἦ κε δάμην. et sic centies.

Nec tamen, quod per se intelligitur, augmenta omnino exulant carmine nec exulare possunt; contra vero suspicari licet, a poetis primum, metro suadente, assumta esse augmenta, et inde in vulgarem quoque sermonem transiisse. An vero lege aliqua, et, quanam lege, in vulgari oratione modo adhibitum, modo neglectum fuerit augmentum, vix expediri potest, quandoquidem, quid librariorum licentia mutarit, non assequi possumus. In Hippocraticis scriptis plerumque augmentum est receptum: sed suspicari licet, seriorum hominum usu id factum esse. Certe poetae, et Iones, et eorum exemplo Attici, praefigunt augmentum, etiam in iis, in quibus vulgo omittit prosaica oratio; v. c. ἐῳνοχόει Δ. 3. quod ᾠνοχόει alibi est, interposito quoque digammo pronuntiatum εϝωινοχοει, ut alia, quae in recensu signatarum digammo vocum vidimus; quandoquidem etiam aliae voces fuerunt, quibus ε præfixum est, ut κεῖνος, ἐκεῖνος· unde apparet, proclives homines fuisse ad tale augmentum vocibus praefigendum. Hoc tamen in dubitationem voco, an statui possit, temere et pro lubitu veteres augmentum praemisisse vel omisisse; quod statuisse video viros doctos et jam olim grammaticum veterem ad Catal. Nav. 315 (Il. B. 808) αἶψα δὲ λῦσ' ἀγορήν. ubi alii αἶψα δ' ἔλυσ' ἀγορήν. legerant. contra statuere licet, principio a poetis non admissum

esse, nisi metro seu cogente seu suadente, forte auris quoque judicio; in plurimis autem locis deberi illud librariis et grammaticis; forte quoque iis ipsis, qui primi scripto exararunt carmina Homerica; nam in multis ignorarunt jam illi priscam Homericam rationem.

Ad hunc modum, puto, judicare licet de innumeris varietatibus in toto hoc genere: quas recensere nihil attinet. Ita miratus sum in compositis cum praepositione augmentum non modo variare, metro seu ferente seu exigente: ἔκθορε, ἐξέθορε. ἔκφερον, ἐξέφερον. ἔκφυγεν, ἐξέφυγον. ἔκχεον, ἐξεχέοντο. παραδραμέτην, παρέδραμον. ἐπάλμενος, ἐπιάλμενος. ἐπεβήσετο, ἐπιβήσετο et alia, verum esse quoque verba, quae augmentum ubique habent in libris. Sic composita cum ἀμφὶ, cum expectes scriptum esse ἀμφικάλυψε, ἀμφινέμοντο, ἀμφιπένοντο, ubique scribi videas: ἀμφεκάλυψε, ἀμφενέμοντο, ἀμφεπένοντο; sicque alia, ἀμφεμάχοντο, ἀμφέχυτο, et al. At in περὶ diligenter contrarium servatur, ut περίβησαν, περίβαλλε. in quibus ipsa res dissuadebat, metro adversante augmentum inculcare.

Secundum haec fatendum est, in dialecto Homerica restituenda nondum omnes numeros nos esse assequutos; et superesse adhuc viro docto, cui otii satis obtigerit, largam segetem et messem ex opera ea in re collocanda expectandam; legendum est totum carmen animo ab omnibus aliis avocato et in unam hanc rem intento, ut intelligat, an, vel invitis grammaticis, certa aliqua ac perpetua per totum carmen ratio inferri possit; explorata sunt ea, quae ipsum metrum et usus poeticus suadet; at sunt alia locorum comparatione exploranda, ad analogiam refingenda. an v. c. ubique sit restituendum τὰ pro, ἃ etiam, ubi prosodia haud exigit, ut A. 300 τῶν δ' ἄλλων, ἅ μοι ἐστὶ, quid ni τὰ, ut perpetuo apud Herodotum, ut: τὰ δέ οἱ παρέσχε,—τούτων ἐπιμνήσομαι Ex hoc genere est, Φ. vs. 8. οὐδ' ἄρα Νυμφάων, ταί τ' ἁ. mutarunt meliores codd. in αἵ τ'. perperam utique; nam ταί τε Ionicum est et antiquius. ἐὼν pro ὢν est non minus Homericum, quam Herodoteum; sic quoque ἔωσι. ἔησι. erit ergo Od. T. 230 scribendum χρύσεοι ἐόντες, ut prior vox sit dissyllaba ut alibi; versus autem 94 Od H ἀθανάτους ὄντας serioris manus esse censendus est.

Haec tamen et similia ex Ionica forma in Atticam et vulgarem mutata minus aegre sunt ferenda, quam loca a serioribus per interpolationem inserta. haec graviora sunt; illa leviora. Nam eorum, qui primi litteris consignarunt audita e rhapsodis, ingenia ipsa re et natura et usu ferente

proclivia esse debuere ut exprimerent ea iis sonis ac verbis, quibus ipsi maxime essent assueti. Forte mirandum potius est hoc, quod alia nonnulla reliquerunt Ionice pronuntiata et scripta.

At superest aliud, quod sibi persuasisse viros doctos video, ut dialectum Ionicam Homeri aestiment ex dialecto Ionica Herodotea, alteramque ex altera constituant, comparatione facta. Convenit utriusque ratio et usus in nonnullis, ut in ipso augmenti defectu; enimvero in aliis multis prorsus diversa inter se sequuntur. Ita unum est quod maxime mirationem facit, omissio τοῦ νῦ finalis in Herodoto; v. c. ὡς λέγουσι οἱ Αἰγύπτιοι. ἀπεδήμησε ἔτεα δέκα. Atqui hoc νῦ in Homericis diligenter et ubique interpositum est in simili verborum positu. Dicas probabile esse, etiam in Homericis τὸ νῦ olim exulasse, nec nisi seriore opera illatum esse: ut in Hippocrate factum esse videmus, saltem in editis: ejecit tamen illud nuper eruditissimus Coray in libro de aere: qui Ionismum etiam in aliis restituit. At enim admitti hoc nequit, quandoquidem eo omisso hiatus existerent, hos autem eum sollicite cavere, evictum dedi per declaratum digammi usum ante haec obliteratum. Itaque Homerus vix pronuntiare potuit: μή σε, γέρον, κοίλῃσι ἐγὼ, aut τόξ' ὤμοισι ἔχων. Quid igitur in tali ambiguitate statuendum erit? Verisimile fit, illud N finale ab ipsis poetis seu a rhapsodis esse profectum, nec tamen nisi in ejusmodi verborum positu, cum duo vocales se exciperent, ut hiatus molestiam tollerent. Quod si hoc admittimus, non tamen effectum est, ut Νῦ illud etiam appositum esse credamus in fine vocis ante consonam vocis sequentis ad producendam vocalem brevem, quam ipso jam tono productam esse apparet, v. c. ἔδδεισεν δὲ γέρων. de quo merito dubitare licet: v. Excurs. II. ad B. 718.

Sunt alia, in quibus ab Herodoteis Homerica differunt. In Herodoto composita cum κατὰ, μετὰ, ante vocalem adspiratam retinent τὸ Ταῦ, quod in Homero, ut et in vulgari oratione, in θ' abit; ita, κατίσταμαι, καταιρέειν, κατελεῖν. κατήμενος. κατά περ. μετίσταμαι, μετίημι. Sic et ἀπό. ἐπί. ὑπό. ἀπηγέομαι. ἀπίεσθαι. ἀπικνέομαι, ἀπικέσθαι. ἀπιστάναι, et ἐπιέναι pro ἐφιέναι, (οὐδ' ἢν ὁ Λάκων ἐπίῃ τοι ἄρχειν αὐτῆς, ἡμεῖς ἐπήσομεν Herodot. VII. 161) ἐπέπω. ὑπίεσθαι. ὑπίστασθαι. ὑπηγέεσθαι. Et ne credas scriptum fuisse spiritu leni ἐπικέσθαι; memineris occurrere ἐπ' ἡμέρην, κατ' ἡμέρην, ἐπ' ἵππου. ἐπ' ἑωυτῆς. κατ' ὕδατος. Ita quoque οὐκ οἷοί τε. οὐκ ὁμοίως. ἀπ' οὗ, ἐπ' ὅσον—ἐπ' οἷσί περ. Et occurrunt simplicia ἥμενοι, etsi κα-

τήμενος scriptum est. Incertus itaque teneor, cum in Homericis occurrat ὄρημι et ὅρημι, ὀρέω et ὁρέω, quod vulgo ὁράω, utrum verius sit, ut Od. Ξ. 343 ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὅρηαι.

Tertium casum πόλι, Herodoto frequentatum, cum aliis, ignorat Homerus, sed πόλει, πόληι, etsi πόλιος occurrit, cum πόληος tamen et πόλεως. vidimus tamen μῆτι Ψ. 315. 6. 8. Porro Herodoto ubique est ὦν, pro οὖν. κη pro πη. κως. κω. εἴκως. ὁκοῖος. ὁκότερος, ὁκόσος. quae et in Hippocrate leguntur, nusquam in Homero. nec in Homero ὅκε occurrit pro ὅτε. sane εἰσόκε habetur, sed est εἰς ὅ ἄν. neque δέκομαι, sed vulgare δέχομαι. Sane in his suspicari licet grammaticos antiquiora permutasse notioribus. Quis dixerit, annon antiquitus in Homero scriptum fuerit αὐτέων, αὐτέοις, αὐτέῃσι, non μέγεθος, sed μέγαθος, et similia.

Post haec omnia de iis ipsis, quae in Homero occurrunt et Ionica esse vulgo feruntur, quaeri posse arbitror, an non melius sit, ea ad priscum sermonem referre, ex quo Ionica quoque fluxere, verum nec minus inde manarunt Dorica et Aeolica; et, si subtilius judices, statuendum est, ex prisco sermone alia servata esse a Doribus, Aeolibus et Ionibus communi usu, alia modo ab his, modo ab illis usu servata, apud ceteros obscurata, tandem usu excidisse. ευ pro εο esse aiunt Ionum; ut in ἐμεῦ pro ἐμέο, ἐμοῦ. Ionum et Dorum esse hoc ait Apollonius Dyscolus (in Excerptis e cod. Voss. editis ad calc. Maittaire de Dialect. p. 423 plenior locus datus e cod. Paris. Apollonii de pronomine jam a Kustero ad Suidam To. I. p. 284) quidni potiore jure dicimus: antiquam formam eam fuisse, servatam ab Ionibus et Doribus, serius neglectam. Videmus quoque in verbis in εω sollenne in Herodoto quoque et Hippocrate πονεύμενος, ἱκνεύμενος, ποιεύμενος; itidem in Homero, καλεύμενος, καλεῦντες, καλεῦντο (Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο) nec minus tamen quoque καλέονται, (καὶ ἀθάνατοι καλέονται.) Servetur igitur Homero suus sermo, nec minus suus Herodoto; iste quidem antiquior et carmini idoneus. nam eorum opinio, qui Homerum diversas dialectos aiunt miscuisse, vix memoratu digna, dudum est explosa: vide vel locum doctiss. Burgess praefat. ad Dawes p. XIX. multo magis ea, quae ad licentiam poeticam ea revocat, quae diversi generis esse videntur.

Omnino de his ita statuendum esse existimo. Finxere sermonem Graecorum antiqua carmina; eaque multas per aetates ore et usu hominum fuere frequentata, antequam soluta oratio succederet. Ea ipsa quae primo perscripta fuere, ex carminibus erant hausta: pleraque mythica, ut ex

Hesiodo Acusilaus sua narratur exscripsisse. Evenere itaque duo: alterum, ut omnis sermo poeticus, epicorum utique poetarum, ad carmina illa antiqua se componeret, alterum ut ipsa oratio sermoni poetico per multum temporis esset simillima, nec nisi serius sensim ab eo recederet. Jam prius illud manifestum fit comparatione poetarum epicorum, qui ad nos pervenere; omnium enim oratio proxime accedit ad Homericam, quandoquidem ex antiquioribus carminibus Homerica fuerant propitia aliqua fortuna servata. Quotquot comparavi cyclicorum et gnomicorum poetarum fragmenta, ubique video orationem compositam fuisse ad exemplum Homericum; fragmenta Pisandri, Panyasis, Antimachi, non alia docent; hunc quidem, Antimachum, inquam, inter commentatores Homeri indocte relatum esse suspicor propter hoc ipsum, quod verba Homerica religiose servata frequentare solitus erat, unde intelligi posset, quid ipse legisset. Occurrunt sane nonnulla, aut poetae cuique propria, aut minus emendate scripta, aut perperam iis adscripta; ut in Simonideis occurrunt nonnulla Dorica, in Theognide Attica et communia pedestribus scriptoribus; Alexandrini autem poetae jam coepere doctrinae ostentandae studio confundere sermonis genera et usum. Quae si animo reputamus: non tam Ionicum hunc sermonem poetarum esse appellandum, sed poeticum, ab antiquioribus propagatum, consentaneum esse videtur. Ipso temporum decursu multa mutata ac novata esse facile expectes; maxime tamen per nova poeseos genera studiosius exculta; primo quidem *lyricum*, multoque magis *dramaticum*: cujus generis exempla cum non nisi Attica ad nos pervenerint, mirabimur ne omnem orationem dramaticam ad Atticam dialectum esse comparatam? cumque omnium litterarum sedes Athenis esset constituta, Atticum sermonem, ad omnem elegantiam excultum, tandem pro unico exemplo sermonis Graeci venustioris habitum esse?

Quanta autem sermonis mutatio ipso usu et studio intra non magnum temporis spatium succedere possit, etsi nos ipsi patrii sermonis nostri exemplo satis sumus edocti, Attici tamen sermonis, vulgo dialectum Atticam appellare solent, exemplum vel maxime docet. Progressus ille ab Ionico sermone, nam nulla alia vetus Attica dialectus erat quam Ionica, quod ex ipsis rerum annalibus constat, quam diversam faciem induisse videri debet, ut tandem novam prorsus indolem assumeret et pro nova ac diversa dialecto haberetur. Ita sermonem lyricorum antiquiorem, quod et fragmenta declarant, in seriore Pindaro tandem in dialectum Doricam

cum Aeolica mixtam abiisse videmus. Et ipsa oratio pedestris ex Ionica et Attica, quod Polybii exemplo primum nobis constat, in vulgarem aliquem sermonem coaluit. Interea cum philosophia primum exculta esset per poetas, et poetica dictione tot praestantissimi viri, Xenophanes, Parmenides, Empedocles περὶ φύσιος carmina condidissent, etsi hic Agrigentinus, et Parmenides Eleates; nam Xenophanes Colophonius fuit; ad prosam tandem conversi Heraclitus, Democritus, ab oratione poetica profecti vix initio multum ab ea abesse potuere. Historia autem, quae ab epicis poetis exordia sua sumserat, sensim, ipsa orationis pedestris indole et necessitate adducta, ab antiquo poetico sermone recessit et proprium sibi sermonem elaboravit, qui jam Ionicus habetur, et aliquamdiu fuit prosaicae orationi proprio aliquo modo consecratus; donec per historicos et oratores mox et philosophos Socraticos orationis Atticae studium increbuit majus et communius; ita Ionici sermonis usus sensim defecit et exspiravit.

Ex iis quae dicta sunt intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut Herodotus, qui Dorica origine erat, utpote Halicarnassensis, Ionice tamen scripserit. Erat enim ille sermo ad pedestre genus scribendi jam usu acceptus, accommodatus et frequentatus. Utinam superessent plura ex scriptoribus (συγγραφεῦσιν) Anteherodoteis! ita facile appariturum esset, a poetico sermone usque ad Herodoteam orationem transitum nequaquam fuisse subitum et momentaneum, sed colorem sensim esse mutatum, eoque Ionicam dialectum, quam vocant, suas vices subinde variasse. Quae ex Hecataeo Milesio supersunt, (v. c. ap. Schol. Il. O. 302 Demetr. de Elocut. s. 12.) et quae ex Dionysio Milesio memorantur, propiora esse video Hesiodeis vel Homericis; Acusilaus, etsi Argivus, qui primus ἱστορίαν πεζῶς ἐξήνεγκε, si Hesiodum exscripsit, ut exscripsisse traditur, certe in mythicis, vix a sermone epico multum recedere potuit. Longius recedere debuere philosophi e schola Ionica, qui pedestri oratione usi sunt; id quod docent ea, quæ ex Thalete, Anaximandro, Anaximene, Anaxagora, passim circumferuntur; etsi haud ignoro, ex paucis his fragmentis, quae suo seriorum quisque sermone, ad sententias tantum, non ad verba, recitat, parum tuto aliquid colligi posse. Heraclitum et Democritum Ionice scripsisse satis constat; etsi schola Pythagorea Dorico scribendi genere usa esse dicitur.

Neque vero post Herodotum sermo Ionicus mansit idem, sed mutatus est in multis, quod Hippocrate, qui et ipse, etsi Cous, tamen Ionice scripsit, cum Herodoto comparato,

intelligitur; quem in dialecto tamen interpolatum esse jam monitum est; ex Ctesia quae laudantur a Photio, non Ctesiae, sed Photii verbis exponuntur; ait tamen hic in principio, ubi de Indicis memorare orditur: Κτησίου τὰ Ἰνδικά ἐστιν ἐν ἑνὶ βιβλίῳ, ἐν οἷς μᾶλλον ἰωνίζει. Itaque in Assyriacis et Persicis ab Ionica dialecto aliquantum recesserat. Nec vero nisi temporum progressu, norma aliqua grammatica dialecti Ionicae constituta est, nec nisi secundum scriptores, ejus dialecti principes, et a grammaticis, quibus dialectus Ionica non erat sermo patrius; nec alios hos esse existimo quam grammaticos Alexandrinos. Adstrictiores inde his legibus fuerunt ii, qui serius Ionice scripsere, ut Aretaeus Cappadox, Hippocratis haud dubie imitator, et auctor libelli de dea Syria.

Sane quidem tota haec disputatio profecta est a tam exilibus et tenuibus, ut verear ne sint, qui me nimium grammaticis argutiis indulsisse dicant meamque λεπτολογίαν rideant; apparet tamen ex iis, quo deducta est disputatio, satis gravis momenti res cum iis esse conjunctas, de quibus pro suo quisque statuet seu lubitu seu judicio.

EXCURSUS AD ILIAD. Ψ.

EXCURSUS I.

Salebrae interpretationis et criticae ex grammatica Homeri imperfecta.

Ψ. 84. ἀλλ' ὁμοῦ ὡς ἐτράφημεν. Aeschines in suo libro haud dubie nostris antiquiore legerat: ὡς ὁμοῦ ἐτράφεμεν. Homericam orationem, cum tam polita, numerosa et suavis sit, arguere usum multorum temporum et multorum hominum, qui ejus aetatem antecedere debuerit, viri docti dudum monuerunt; debuit ipsa pronuntiatio jam multum emollita esse, antequam v. c. ex φρενσὶ, φρεσὶ, ex ἄνακστ, ἄνακστος, procederet ἄναξ, ἄνακτος; ex πάντς, πὰνς, πᾶς; ex διδὸντς, δὸντς, fieret διδοὺς, δούς; τιθὲντς, τιθέντος, τιθεὶς, et sic porro. Habuit vero lingua Graeca hanc fortunam singularem ut *per carmina* ab initio statim excoleretur, et hoc quidem per saecula multa, antequam pedestris oratio ullum cultum acciperet; hinc incomparabilis illa suavitas et dulcedo, consonarum asperitate emollita, vocalium autem con-

cursu aucto; hinc poeticae rationi ipsa grammatica debet plurima; ipsa, puto, augmenta, quae metri et modulationis caussa primum inventa esse suspicor, certe serius ea accessisse apparet.

Post haec tamen omnia aetate Homerica sermonem Graecorum nondum ad eum modum elaboratum fuisse, aut ad regulas grammaticas exactum, ad quem Graecia, quando litteris et artibus effloruerat, eum expolivit, res ipsa totque argumenta et exempla in Homericis carminibus obvia docent. Majorem formarum, in quas voces flectuntur, copiam et varietatem notionum et significatuum alterius ab altero deductorum ubertatem, inprimisque syntaxin mire variatam et locupletatam post Homerum prodiisse quis miretur! cum eo deducere debuerit poeseos per diversa genera usus, inprimis lyricorum metrorum et dramaticae artis; accedente mox numero oratorio, quo in locum vocalium diremtarum, sonis distinctis aures impellentium, successere contractiones et diphthongi uno sono pronuntiatae; haud dubie enim suavior fuit ad aures Ionica pronuntiatio εα, εε, εεν, quam Attica contracta ει, ειν. η, ῃ. etsi iidem Attici retinuere antiquam formam Ionicam in secunda futuri, γνώσει, pro γνώσῃ· vulgata res post tot notata virorum doctorum, v. c. Valcken. ad Phoen. 576. Brunck. Prometh. 293. Haec memorata si facile concesserint omnes; cur non sine offensione pronuntiare liceat: ipsam grammaticam Homeri aetate adhuc imperfectam fuisse, needum ad logicam subtilitatem ita constitutam, quin nonnulla haberet, ab analogia et ab intelligentiae lege ac norma, menti insita, recedentia, eoque ipso a perspicuitate ac proprietate declinantia; esse itaque ejus observationis rationem habendam cum in interpretatione tum in critica; neque hanc intra aetatem Aristarcheam ejusque praecepta grammatica, multo minus intra codices recentiores Saeculi XII et XIII esse continendam, sed liberiorem ei cursum per antiquiorum temporum spatia esse permittendum.

Jam primum, utramcunque opinionem sequaris, sive Homerica carmina jam a priore auctore litteris esse consignata, sive esse sine scripto memoriter decantata: illud tamen nullo modo dubitari potest, per plura saecula carmina a rhapsodis esse decantata ipsumque poetam ea sui aevi more decantasse. Unde, puto, sine controversia colligere licet, priscos poetas *unice ad aurem* et ad sonos sua carmina metiri debuisse; potuisse hoc modo multa molliri ipsa pronuntiatione, quae per se dura sunt, acui alia, et inflecti, quae ex scriptura haud aeque agnoscuntur. Eo refero v. c.

ἕως, et ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε A. 193 et similia pronuntiata ὡς e ὡς ὅτταυθ'. Cum insequentibus aetatibus, (quocunque tan dem tempore; nil refert;) scripturae usus increbesceret, e exemplarium scriptorum habendorum facultas, primo rara tandem frequentior, singularum saltem rhapsodiarum esset pronuntiatio illa Ionum antiquioris aetatis jam admodun erat immutata; multoque magis, si verum est, quod equi dem suspicatus sum, Athenis primo perscribi carmina Ho merica coepisse, asperioribus sonis multa exarari debuere Haec si ad animum revoces et expendas: vix satis confi das professioni vel doctissimi hominis, tuto nos et cert fide de Homericis numeris et prosodia, de ejus scriptione e pronuntiatione, ex nostra grammatica statuere posse. S vera fateri volumus, dicendum est: bene nobiscum agi, s lectionem Homericam ad eos numeros et modos revocar possumus, quibus Alexandrini grammatici, ad suae aetati usum, eam constituerant, antiquioris Ionicae rationis ips ignari; nos habere exempla Homericorum carminum e fide grammaticorum seriorum, qui e recensionibus gramma ticorum Alexandrinorum, dilectu facto, lectionem concinna runt; de scriptione antiqua et prosodia (nam de his nun agitur; de ipsis sententiis et partibus carminis alia quaesti est) licere conjectare multa; licere alia e certis rationibu jure meritoque mutare et restituere; priscam autem *ratio nem ante Alexandrinos grammaticos* restituere nos posse frustra aliquis sibi persuaserit; non antiquiorum, sed gram maticorum commenta nos et opiniones venditare tenendun est, quando ad eorum enuntiata provocamus; v. c. si Dysco lus pronuntiat: ἐγὼν Dores, καὶ ὁ ποιητὴς συνεχῶς διὰ τοῦ ν ὅτι φωνῆεν ἐπιφέροιτο. neque ideo plus iis tribui posse, quam u inde appareat, quid ipsi statuerint. Atque hoc illud est quod nos a toto hoc disputationum grammaticarum gener alienos reddit, cum, etiamsi ex iis probabilia forte teneamus tamen de usu ipso, qui a ratione saepe recedit, nihil tut statuere possimus, grammaticorum autem effata si amplecti mur, nos quidem auctores habere, quos sequamur, auctore tamen qui tantum opinantur, non usum docent, multo mi nus antiquiorem ex ea aetate, qua scriptores vixisse constat de quorum lectione agitur. Bene nobiscum agitur, quo graviora et scitu digniora, quae ex scriptoribus utiliter ad disci possunt, istis tricis missis factis assequi licet.

Cum antiquissima scriptura consonarum litterarum part careret, et nullum signorum discrimen haberet inter ε et η, et ω, cumque etiam diphthongi una tantum vocali notare tur, ut ει et ηι per ε vel ι. ου. οι. ω. per ο. eos, qui primi ca

mina litteris exararunt, in multis locis ambiguitatem et obscuritatem inferre debuere, quae molestiam faceret iis, qui deinceps ea exemplaria describerent: cui malo pro sui quisque ingenii et doctrinae modulo occurrere debuit; itaque jam tum debuit dubitari, sitne N. 137 ὀλοοίτροχος an ὀλοότροχος scribendum. Πολυδάμας an Πουλυδάμας. ὑπείροχος an ὑπέροχος. non memorabo geminatas litteras λλ. σσ. ρρ. quae una littera exarabantur; neque ea, quae ex defectu spiritus et accentus nascebantur: ita difficultas quaesita est in versu hujus libri 328 τὸ μὲν οὐ καταπύθεται ὄμβρῳ. Vulnera quae per ea tempora inflicta fuere carmini, partim sanata sunt a grammaticis Alexandrinis, insidere tamen adhuc haud pauca credere licet. Ex hoc genere est varietas lectionis, εἰ, ἢ, ἦ, quae saepe occurrit, nec codicum auctoritate tolli potest.

In prosodia licet credere, primas quantitates constitutas esse ex pronuntiandi consuetudine; hinc ortas syllabas breves et longas, et cum his vocales breves et longas; has quidem sono duplicato, ut v. c. νῦν δὴ primo esset νυυν δεε· ita quoque pronuntiatione duplicatae consonae; et inde nata est regula de syllabis positione productis. Facile intelligitur, severitatem in prosodia non nisi post longi temporis usum increbuisse, et potuisse sic tono nonnulla produci eoque retracto alia corripi, quamdiu non litteris exararentur; ex quo autem litteris perscripta sunt carmina, ita quidem, ut longae ac breves vocales characteribus exaratae essent diversis: omnis illa prisca licentia cessare debuit, quae in Homero occurrit, constitutoque nunc discrimine manifesto et diserto τοῦ ο et ω indicativi et subjunctivi, non amplius ferri potuit: ἄγε ἐρύσσομεν et ἐγείρομεν pro ἐγείρωμεν.

Si ad syntaxin progredimur, nam etymologiam praetermitto, etsi multa sunt, quae sive in flexionibus nominum et verborum, sive in vocibus deducendis et componendis, ipsisque etymis, v. c. Ἀργειφόντης pro Ἀργοφόντης, Ἀρχέλοχος, ἀρχέκακος, et alia, ex ista, quam urgeo, observatione facile constituuntur; sed ad *syntaxin*, inquam, si progredimur, eam in omni sermone ad regulas logicas communes constitui quidem solere, usu tamen vulgi multa se insinuare videmus, quae cum intelligendi et judicandi norma haud satis conveniunt. Sane severiore grammaticorum judicio tolluntur serius nonnulla, alia manent in sermone quoque expolito, et usu non modo defenduntur, verum etiam in elegantiarum numerum referuntur, ut fit in Atticis. Secundum haec possunt dijudicari nonnulla, alia in dubitationem adduci, quae in Homero occurrunt; de quibus passim a me memoratum

est cum in Observationibus tum in Excursibus. In his praecipue memorandus est usus pronominis tertiae personae, qui in linguis non satis grammatice constitutis omnibus quas novi vagatur: *sui* et *ejus*. Ita fere evenisse videbis in οὗ, οἷ, ἓ, σφὲ, σφῶϊν, de quibus tot sunt disputationes, etiam ap. Apollon. de Syntaxi. Homerus saepe, ubi debebat pergere, καὶ αὐτὸν, καὶ αὐτοῦ, et simili modo, mutat καὶ ἓ, καὶ ἕο, εὗ. ut in vs. Ω. 293 καὶ εὗ κράτος ἐστὶ μέγιστον. Est enim: et *suum robur est maximum*, pro, *ejus*, et rotundius, *cujus*. cf. alia in Exc. VII ad A. Saepe offendit in Homero permutatio modorum et temporum, saltem eorum non ad certam grammaticam normam facta collocatio, dum indicativus pro subjunctivo ponitur, iidemque cum optativo promiscue adhibentur, ubi politior grammatica usum accurate constituit. Ex hoc genere est, in hoc ipso libro, v. 339 ὡς δοάσσεται, cum requiratur, ὡς δοάσσηται, sententia postulante: *ita ut videatur*. ἵνα εἴδομεν ἄμφω A. 363 pro ἵνα εἴδωμεν. ἵνα μὴ ῥέξομεν ὧδε H. 353 pro ῥέξωμεν. et sic sexcenta: de quibus monitum est in Excursibus; et quidem de ὡς. ὡς ἄν. ὥς κε. ὡσεί. ὡς ὅτε. ὥς τε Excurs. I ad Il. I. de ὅπως Exc. III et de ὁπότε. ὁπότ' ἂν Exc. IV ad eund. libr. de ἵνα. ἵνα μὴ Exc. II ad Il. H. de ὅταν Exc. II ad M. et omnino de usu τοῦ ἂν et κεν in Exc. de αἴκεν et εἴκεν, III ad Il. A. et Exc. II ad E.

Jam de his bene novi statui, et statui posse, modo haud uno. Nam, ne memorem, videri nonnulla justam emendationem admittere[a], modo aiunt syllabam corripi per systolen; quod ineptum est, ac si diceres: syllabam corripi, quia corripitur; sic tamen jam veteres, v. c. Eustath. p. 684, 18 et al. pronuntiarunt; modo, fieri hoc licentia poetica ex metri necessitate; modo propter tonum in syllaba antecedente: quae ratio vereor ne multum absit ab eadem licentia poetica: nam si poeta contra naturam ac morem sollennem aliquid facit, facit utique licenter, si legem prosodiae deserit necessitate metri, et adoptat pronuntiationem, cujus ratio non erat habenda; ne nunc memorem de ea nos

[a] Ita inprimis τὸ κεν, quod saepe alieno loco irrepsisse videtur, ut et τὸ ἦν et ἄν. Ita H. 39 ἤν τινά που Δαναῶν προκαλέσσεται—οἱ δέ κε ἐπόρσειαν suspicatus sum fuisse εἴ τινα. sic et X. 419 ἤν δέ πως—αἰδέσεται. εἰ δέ πως fuisse.—Etiam aliis locis, quae passim notavi. Adjiciam E. 494 τλῆ δ' Ἥρη—τότε κέν μιν ἀνήκεστον λάβεν ἄλγος. fuit haud dubie καί. Potest quoque interdum suspicio oriri, fuisse olim scriptum γε vel τε, et accedunt codices: verum mutare aliquid in his lubricum est: non enim satis est "posse et alterum legi, et legi quoque ex communi usu;" nam quaerendum est de usu Homerico. Ita A. 175 οἵ γε με τιμήσουσι, quis neget legi posse? At hoc non sufficit ad justam mutationem.

parum tuto statuere posse; tum, si hoc largimur, licuisse subjunctivum ἴωμεν propter tonum efferre ἴομεν, similique modo similia, concedendum quoque erit, pronuntiatione accelerata et tono in antecedente longa subsistente, posse in fine vocis ante sequentem consonam corripi αι et οι, et posse scribi v. c. O. 666 μηδὲ τρωπᾶσθαι φόβονδε.

Potest tamen res subtiliore modo ita expediri, ut dicas, particulis his ἵνα, ὡς, significatum a nobis e sequentium aetatum usu tribui, ut eae pro caussalibus habeantur, antiquiorem tamen usum fuisse diversum; ὡς, inquam, contractum ex ἕως, et, eadem notatione acceptum, fuisse pro *donec.* ita ὡς δοάσσεται ἂν esse *donec visum fuerit:* quod sane nostro usu reddi potest, *ita ut videatur*, potestque hoc ita in graecis quoque reddi ὡς δοάσσηται, nec tamen antiqua ratio eodem prorsus loco est habenda. Π. 271 μνήσασθε θούριδος ἀλκῆς, ὡς ἂν Πηλείδην τιμήσομεν. *exerite virtutem* (ut experiamur) *quomodo Achillis in honorem hoc efficiamus.* A. 363 ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. vel pro, usque dum, vel pro ὧδε, *quomodo, sic: eloquere; sic scimus, compertam habemus rem uterque.* Ita ὄφρα. *donec*, et, *ut.* κλύετε, ὄφρα εἴδετε Σ. 53. ὡς. *quomodo;* itemque, *ut.* φραζώμεσθ' ὥς κεν καταπαυσόμεθα. B. 168. *deliberemus quomodo eos faciamus desistere:* etsi recte vertitur: per, *ut.* Ita quoque ratio reperiri potest, quomodo μὴ prohibente usu expediatur: K. 65 αὖθι μένειν, (nam si hoc fecerimus, videndum est, an forte) μήπως ἀβροτάξομεν ἀλλήλοιϊν. μὴ ἴομεν. quod M. 216 et alibi occurrit pro μὴ ἴωμεν, *ne eamus:* scilicet est ἴομεν praesens pro futuro, *non ibimus:* pro ne eamus, sic et E. 233 μὴ ματήσετον expedias. Υ. 300. 1. *eum servemus:* μήπως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, (veriti) *an forte Jupiter iraturus sit*, (nisi id fecerimus) et Ψ. 428 ἄνεχ' ἵππους, μήπως ἀμφοτέρους δηλήσεαι. (veritus) *an* (nisi ita feceris) *nos utrumque eversum eas.*

Atque haec quidem altera ratio ad reddendam rationem usus antiquioris admodum probabilis videri potest, hisce de caussis: quia illa indoli et naturae rudioris sermonis, tum analogiae et usui in multis aliis, convenit. Nam, quod facile expectandum erat, duriores ellipses frequentantur in Homero plures; quarum pars etiam in Atticum morem abiit, in quibus omnino est omissio τοῦ φυλάττου, ante ὡς· ὅπως. Sic quoque usus infinitivi pro imperativo. Ducunt tamen nos haec ipsa ad simpliciorem aliam rationem, in qua arbitror subsistendum nobis esse.

Fieri utique potuit ut ex ellipticis istis loquendi formis nasceretur usus ille jungendi particulas cum modis ac tem-

poribus, grammatica lege haud congruis et consentaneis; verum, ex quo usus semel invaluerat, de ista utique subtiliore ratione cogitatum non est in sermone rudiore: quandoquidem ipsa res et tot exempla alia docent, quam parum curiosus fuerit sermo antiquus in temporum et modorum legitimo usu: qua de re nunc mihi paucis monendum esse video.

Quo magis scilicet expolitus et constitutus est sermo ad grammaticam normam, eo subtilior ille et severior est in temporum et modorum notatione; eaque doctrina magnam partem regularum syntaxeos in Graeca maxime lingua, tum et in Romana, constituit, ut et in nimiam subtilitatem interdum progredi videantur viri docti, dum metaphysicas rationes in usum vulgi inferunt. In Homero in apertissimas argutias incidere necesse est, si quis ad subtilitatem similem omnia adducere voluerit; itaque itentidem, quod simplicissimum erat, pronuntiandum esse vidimus per totam Iliadem, futurum indicativi habere eandem vim quam aoristus subjunctivi; vel esse eodem loco, quo aoristi optativi; permutari ac promiscue poni futurum cum praesenti conjunctivi et indicativi atque hujus inconstantiae caussam esse incuriam grammaticae subtilitatis in antiquiore sermone, neque ad subtiliores rationes esse confugiendum; sufficere, si dixeris: Homerica aetate, nec modorum nec temporum tam severam ac rigidam legem et observationem fuisse quam seriorum temporum.

Apparebit quod sentio, ex locis nonnullis, quae iterum apponam: A. 142. 3. 4. *νῦν δ' ἄγε, νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν, ἐς δ' ἐρέτας ἀγείρομεν, ἐς δ' ἑκατόμβην θείομεν, ἀν δ' αὐτὴν βήσομεν. εἷς δὲ ἔστω.* et paullo ante vs. 137. 8. *ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι, ἢ ἄξω. ὁ δὲ κεχολώσεται.* 184 *τὴν μὲν ἐγὼ πέμψω, ἐγὼ δέ κ' ἄγω.* H. 332—340 *αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκροὺς,—ἀτὰρ κατακήομεν—τύμβον δὲ χέομεν—δείμομεν—ποιήσομεν—ὀρύξομεν.* eod. lib. 361 *ὡς δ' ὅτε ἐπείγετον—ὁ δέ τε προθέησι* nihil est, quod nos cogat statuere, esse prius positum pro *ἐπείγητον.* sed, ut in ceteris exemplis, ex usu minus subtili istorum hominum ponuntur uterque modus promiscue. K. 449 *εἰ μὲν γάρ κε σε νῦν ἀπολύσομεν ἠὲ μεθῶμεν* et sic sexcenta; in Iliade et Odyssea: ut A. 41 *ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ τε καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης.* I. 16 *ὄφρα καὶ ὑμεῖς εἴδετε, ἐγὼ δ' ἂν ἔπειτα ὑμῖν ξεῖνος ἔω.* Δ. 670 *δότε μοι νῆα—ὄφρα μιν αὐτὸν ἰόντα λοχήσομαι ἠδὲ φυλάξω.* Non ignoro, subtiles et argutas rationes excogitatas esse, quibus doceatur: inesse aliquam rationem inter futurum indicativi et aoristum, referrique haec inter observationes exquisitioris doctrinae. Habeant haec se ita in usu Attico-

rum, qui multa ex antiquiore licentia in usum suum vertit et optimorum scriptorum exemplo consecravit, ut nunc inter Atticas elegantias referantur. Mihi de Homerico ævo et usu disputatio est, ut ea, quae sermonis logica haud probat, ad grammaticam nondum excultam et absolutam referam; atque ita, si Il. A 141 ἐρύσσομεν, ἀγείρομεν, θείομεν, juncta sunt, non dicam ἀγείρομεν pro subjunctivo esse positum et subtiliorem rationem circumspiciam, nec pinguiore modo ο pro ω positum esse pronuntiabo; sed simpliciter provocabo ad rudiorem grammaticam antiquorum temporum, quae haec subtiliora haud curabat. Sic Od. K. 328 ὅς κε πίῃ, καὶ πρῶτον ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων, parum elaborate, pro ὅς κε πίῃ καὶ οὗ ἂν ἀμείψηται ἕρκος ὀδόντων τὰ φάρμακα, ut seriorum quilibet dicturus fuisset. Od. O. 442. 3 se excipiunt μήτις ἐξείπῃ—καταδήσῃ—ἐπιφράσσεται, ex usu loquendi solutiore, cum rectior oratio esset ἐπιφράσσηται. Inde quoque eodem modo dici potuisse: ἵνα μὴ ῥέξομεν ὧδε, nec desiderabo secretiorem rationem: ἵνα esse dictum alio usu, cum duriore ellipsi: quae cum ita sint, quo quidem modo, *non faciemus ita:* non magis quam, si Atticum frequentatur: ἵνα τί τοῦτο λέγεις; retinuere iidem Attici ex eo usu antiquo: μὴ, ἵνα μὴ, ὅπως μὴ, cum indicativo: de quo saepe monuere viri docti ad Tragicos. Il. A. 440 ἴομεν ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα, accuratius efferendum erat ἴωμεν, vel εἰσόμεθα, ὄφρα ἐγείρωμεν. verum incuriosius loquuta est antiquior aetas; nec tam, longam vocalem corripuisse, dicenda est, quam potius, indicativi et subjunctivi rationem certam ac definitam nondum habuisse.

Convenit cum his dictis usus non semper grammatice constitutus particulae ἂν, κὲν, quam serior inprimis Atticorum usus ad suas regulas alligavit: de quibus dicta v. Exc. III ad A. et Exc. II ad E. In Homero tamen ea, quae potentialiter et dubitanter, vel restrictive dicta sunt, per indicativum cum ἂν vel κὲν efferuntur non minus frequenter, quam cum optativo vel subjunctivo: et quamcunque subtilitatem adhibueris ad constituendam in his rationem grammatice exploratam, nihil effeceris. Aliter se res haberet, si in Sophocle vel Platone versaremur. Itaque in prima statim rhapsodia v. 66 αἴ κεν πως—βούλεται, statuere necesse est, non esse pro βούληται positum, sed promiscue tum indicativum et subjunctivum positum esse, et αἴ κεν ἄτερ σπείρου κεῖται nullam mutationem admittit; non magis quam si ἂν cum futuro positum legitur. Serius est, quod ἐὰν, ex εἰ ἂν, idem quod αἴ κεν, necessario cum subjunctivo jungitur.

In his, quae adhuc disputata sunt, apparet, certam omni-

que ex parte tutam rationem grammaticam nos fugere, nec quicquam poni posse, de quo non aliis alia possint videri. Ex his ipsis autem criticam, et in interpretatione rationem grammaticam, saepe incertam reddi. Ita K. 98. 99 μή τοι μὲν κοιμήσωνται—ἀτὰρ λάθωνται. doctior erat lectio κοιμήσονται pro altera vulgata κοιμήσωνται. nec tamen ausus sum mutare. Itaque bene sentio me ipsum non ubique eandem rationem constanter servasse; nolui enim mihi arrogare hoc, ut pronuntiarem tanquam explorata, quae suspensa tantum lance appendi posse viderem. Ita equidem nunc non dubitem profiteri Λ. 192. 3 αὐτὰρ ἐπεί κ' εἰς ἵππους ἅλεται, aut ut veteres scripserunt, ἄλεται, esse praesens a verbo ἄλομαι, pro futuro positum.

Alia est inconstantia non facile tollenda in usu subjunctivi et optativi, quoties varietas incidit, v. c. K. 367 ἵνα μή τις φθαίη, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθῃ, alii ἔλθοι. in his ac similibus putes utrumque membrum esse ad parem modum redigendum; atqui obstant tot alia exempla, in quibus aperte cum verbo optativi aliud subjunctivi conjungitur. In Atticis recte statuitur, utrumque, εἰ et εἴ κεν, cum optativo, at cum subjunctivo nunquam εἰ solum, sed solum εἴ κεν poni. An hoc in Homero et Hesiodo ita se habeat, dispexi ad lib. V p. 177. sic I. 477 καί με φίλησε, ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ. hic ad eundem scopulum offendit. ὡς εἴτε φιλήσῃ. Poterat ibi φιλήσει recipi. Etiam inter optativum et subjunctivum saepe lectio errat; ut εἰ δέ κε δύῃς et δύοις I. 600 item vs. 386. E. 303 ὃ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν. expectabas φέροιεν ἄν. nisi suspiceris pro δύο γ' fuisse δύο κ'.

Verum diutius forte, quam pro rei gravitate, immoratus sum his subtilitatibus grammaticis; paucissimis itaque attingam nonnulla alia, quorum mihi non minus caussae ex imperfecta grammatica Homericae aetatis illustrandae esse videntur. Praeclare temporum verbi rationes expedivit et constituit Clarke cum aliis; saepe quoque argutatus est de singulis locis, ut ostenderet, quomodo doctrinam in illis defenderet. Nisi tamen ad argutias et tricas confugeris, fatendum est, subtilitatem grammaticam in multis locis desiderari: v. c. Δ. 492 τοῦ μὲν ἅμαρθ'—ὁ δὲ βεβλήκει—ἤριπε δέ. quis tandem neget plusquamperfectum h. l. eodem modo ac sensu poni quam aoristum! substitue ἔβαλε. nil est quod desideres. A. 221 Achilles οὐδ' ἀπίθησε μύθῳ 'Αθηναίης. ἡ δ' Οὔλυμπόνδε βεβήκει. recte, celeritatem, dices, exprimit plusquamperfectum, jam abierat: sequitur tamen: Πηλείδης τε προσέειπε. annon istud erat, argutari? Praesens autem pro futuro innumeris locis ponitur: πείθευ, ἐγὼ δέ κε τοι εἰδέω

χάριν ἤματα πάντα. Il. Ξ. 235 et sine ἂν, Λ. 528 ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς κεῖσ' ἵππους τε καὶ ἅρμ' ἰθύνομεν. Redeunt haec ad vulgarem observationem: tempora interdum permutari, etiam a scriptoribus optimis. Recte; verum hoc ipsum pro argumento habeo, subtilitatem istam logicam ne a bonis quidem scriptoribus ubique observari, multo minus in antiquissimis; ut taceam, unam eandemque enuntiationem posse interdum haud uno modo recte efferri.

Alia passim ad grammaticam antiquam parum elaboratam, ideoque inter archaismos retuli, quae nunc non singulatim mentem subeunt. In his erat εἰς δεκάτους ἐνιαυτούς Θ. 401.

Asperiora praetuli iis, quae seriores mollierunt: ut προτὶ, τῷ ποτὶ, (pro πρός.) γίγνεσθαι, τῷ γίνεσθαι. Neque dubitassem recipere passim plura, si novandi studio tenerer; modestius et liberalius mihi videbatur factum, si, quae sentirem, in observatis reponerem, quam si pro exploratis habita in contextum inferrem. Sprevi alia, quia non satis iis confidebam ut ἁλόντε E. 487. v. Obss. Sic non ausus sum pronuntiare de voce ἐτραφέτην E. 555 quia non habeo, quod definiam, num fuerit verbum τράφω, τράφημι, vel τετράφω, actione immanente, *adolesco*, *nutrior*: v. disputata ad e. vs. et ad H. 199. B. 661. Atque Ψ. 84 in iis quae huic Excursui praescripta sunt, Aeschinis lectio, ὡς ὁμοῦ ἐτράφεμεν, antiqua Homerica lectio esse debuit.

Quid vero, annon dicemus pariter antiquo sermoni imputandum esse, quod toleranda nonnulla sunt, alia etiam probanda, in Homerico carmine, quae in sequioribus poetis haud admittimus, quaeque etiam Apollonius, nisi ubi pravo imitandi studio abripitur, sprevit? Ita accumulatae particulae Homerum decent; repetitiones crebras eorundem verborum et versuum condonamus; etsi in his haud pauca rhapsodis potius deberi censeo.

Verum in ipsa quoque prosodia sunt, quae antiquae poeseos indoli tribuenda, et ex ea veniam flagitantia, dixerim; poteruntque forte haec ad beneficium declamationis referri, quo usi sunt antiquiores poetae, cum non scriberentur carmina, sed auditu solo acciperentur; nam ita quoque syllabae breves tono facile produci poterant; quod in fine vocum tono et caesura factum est sexcenties. At illud miramur, quod tot exempla reperimus syllabae brevis productae *in thesi*, quo de genere docte disputavit Hermannus de Metris p. 81. Ita in ὑπεροπλίῃσιν A. 205. ὑποδεξίῃ I. 73. Caussam in accentu collocat: quem an nostro more constituerit Homerus, non quaeram; per diphthongum potuere illa pronuntiari, ut alia hujus generis: alia emendatione diluta esse

a Bentleio vidimus: ut Ἰλίου, quod vidit fuisse Ἰλιόφι vel Ἰλιόθι. v. ad O. 66. ἀγριόφι Φ. 213. ὁμοιϊόφι I. 440. in hoc postremo saltem syllaba producta vix admitti posse videtur. quoniam voci ὁμοῖος syllaba brevis interposita est, ut sit ὁμοίϊος. Aliae syllabae breves producuntur geminata pronuntiando consona, aliae sequente digammo, de quibus aliis locis est disputatum; at sunt alia in thesi, quorum rationem probabilem exputare difficile est: ita Λ. 36 τῇ δ' ἔπι μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο. ultima in βλοσυρῶπις nihil habet quo excuses. Si tamen forte emendatione succurri potest haud uno modo v. Obss. At quid facias Λ. 305 πληθύν. ὡς ὁπότε—In aliis malim dicere excidisse τ' vel γ', ut aliquoties πρὶν ἐλθεῖν, ubi potuit esse πρίν γ' quod et aliis in locis legitur. In aliis succurrit appositum in fine Nῦ. etsi hoc ipso adjecto versus languore suo haud levatur: de quo v. Excurs. II. ad B. p. 446. 7. Vides in his quoque nihil nos tenere, quod ex omni parte certum et exploratum pronuntiare liceat; omnino tamen probabilem et justam rationem subesse judicio nostro, si ad prosodiam nondum, ad perfectam normam elaboratam provocamus; cujus rei exempla plura in Hesiodeo carmine, minus etiam expolito, curatius inspicienti occurrent. Multo minus itaque laborandum esse puto in iis versibus, in quibus diphthongus brevis est in thesi ante vocalem sequentis vocis: nam in his diphthongus duas moras habet, quia duabus vocalibus constat; nec assentiar docto Britanno, qui similia loca corrupta esse pronuntiavit; laudatque pro exemplo Od. B. 54 δοίη δ' ᾧ ἐθέλοι, καί οἱ κεχαρισμένος ἔλθοι, in hoc excidisse ὁ vel ὅς. atqui sic versus corruptus esset, nam foret και ὅς Ϝοι. Ellipsis autem illa, etsi paullo durior, haud raro occurrit in simili structura; omninoque est hoc inter praecepta interpretationis antiqui poetae, esse ea probanda, quae sunt duriora, alia, in quibus studium leniendi et poliendi appareat, tanquam serioris fabricae, rejicienda.

Commemoravi in hoc Excursu nonnulla quae Homerico sermoni ex rudiore aetate adhaesere. Nam sexcenta alia notavi passim in Obss. quae ad eandem excusationem revocari possunt, ut etiam usum dualis pro plurali huc referre licet: v. ad A. 567 ἆσσον ἰόντε. Ne praetermittamus tamen innumera alia praeclara, quae sermo ille antiquitati debet, quorumque partem severior grammatica, et philosophica subtilitas judicii politioris seriorum aetatum, ex poesi sustulit. De his agendi nunc locus non est; de multis melius constare coepit ex iis, quae de barbaris Americae tribubus narrata accepimus: quantopere ipsa sermonis egestas et in-

opia disertos homines rudes reddat; memorabo tantum audaciam in reperiendis tropis ac figuris, syntaxeos mutatione et inversione, rhythmicam suavitatem et varietatem vocibus quoque ad sonum factis, ut: βέβρυχε μέγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι ἠϊόνες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω P. 264. 5. licentiam in particulis jungendis, in epithetis modo variandis, modo ad novam formam componendis, (quae a Virgilio quoque et ab aliis sunt expressa, quia vim inesse senserant; cf. Macrob. Sat. V, 14) modo perpetuis ac propriis iterandis, ut in πόδας ὠκὺς 'Αχιλλεὺς, in componendis vocibus etiam duriore modo, qui tamen vim augebat, ut in χαλκοτύπους ὠτειλάς. οὖθαρ ἀρούρης. ἡνίοχος νηὸς, et alia, de quibus jam olim Wood monuit. Magna itaque pars laudum, quae Homericis carminibus obtigerunt, debetur sermoni antiquo, qui, una cum versus heroici facilitate et obsequio in variandis modis, numeris, incisionibus (διαφόροις τομαῖς, ἀναπαύσεσι, βάσεσι, συνθήκαις, ῥυθμοῖς et σχήμασι, nam formas hexametri XXX numerant grammatici) sua ipsius copia ac varietate (τῷ ποικίλῳ), perspicuitate et simplicitate; ubi tamen opus est, gravitate, magnificentia, suavitate, figuris, tropis, et phantasmasi reddendis apta indole, tam multa confert ad τὴν ἐνάργειαν et ad perfectam illam μίμησιν rerum narratarum, quam nos redhibitionem et repraesentationem ipsarum rerum, (*Darstellung*) appellamus, longe diversam ab imitationis notione: qua in re Homerus etiam perfectus esse orator et historicus visus est Hermogeni (quem inter scriptores refero male neglectos) in loco praeclaro de formis Orat. (lib. II p. 487 sqq. (ed. 1614) videndus ille inde a p. 481.)

EXCURSUS II.

De Usu grammaticorum veterum in interpretatione Homerici carminis.

Grammaticorum veterum auctoritatem et utilitatem cum alii elevent et aspernentur, alii doctrinam ex eorum lectione paratam pro vero et unico signo notaque genuinae graecarum litterarum scientiae habuerint: videtur a me, post tantum studii et otii in excutiendis grammaticorum ad Iliadem commentariis positum, paucis exponendum esse, quaenam illa sint, in quibus cum alterutris mihi conveniat. Et primo quidem, non uno eodemque loco grammaticos cunctos esse habendos, multiplicem porro eorum esse usum, non ad unum rerum genus tantum referendum, aut ex unius hominis desideriis et usibus metiendum, nec de his universe

esse pronuntiandum, vix monitu opus esse videtur. Quaerimus, quem usum *ad interpretationem Homeri* habeant grammatici, quorum *scholia, fragmenta, glossas* habemus.

Jam primum in iis, quae ad carminis summam et oeconomiam, partiumque juncturam spectant, vix aliquid praeclari me ex iis didicisse ingenue fateor. Ipsa argumenta rhapsodiis singulis praeposita sunt tam exilia, tam nulla cum judicii subtilitate facta, ut ne summam quidem rerum libro eo comprehensarum inde addiscas; quare mihi ea omnino aspernanda et rejicienda esse visa sunt, neque iis repetendis operam et chartam perdere volui. Antiquiora nomina et tituli habere possunt aliam utilitatem; sunt itaque ea diligenter a me notata; et erit eorum usus in Excursu de Iliados partibus. Ex monitis autem grammaticorum, inprimis antiquiorum et Alexandrinorum, de singulis partibus et locis carminis multum me profecisse profiteor; non quidem ac si judicia eorum ubique deprehenderim esse vera, quibus subscriberem, verum quia eorum argutiae, et quae cumulaverant a re aliena, notiones tamen multarum rerum suggerebant, judicium acuebant, mentemque incitabant ad indagandum et assequendum id, quod quo minus verum viderent, nebulam objecerat, aut eos transversos ad aliena egerat.

Magnum grammaticorum meritum de poeta esset, si antiquas rerum notiones et opiniones, mythos et notitias, diligentius illustrassent, aut si seriores plura hujus generis ex antiquioribus servassent; sunt tamen vel sic in antiquioribus et melioribus Scholiis multa, quae mihi ex iis innotuisse laetatus sum; eaque observata laborem non parum levarunt, et observationum mearum partem forte meliorem constituunt. Sunt in his loca ac fragmenta versusque ex antiquissimis ac deperditis auctoribus adscripti. Male habet, quod in mythis enarrandis grammatici plerumque eos scriptores sequuti sunt, qui allegorice fabulas exposuerant. Inepta omnino est opera Scholiorum Ven. B. ejusque ordinis, in quibus quae Heraclidis nomine vulgo veniunt, Allegoriae Homericae sunt repetitae, et Porphyrii, in locis a Ven. B. excerptis. Nam serioribus, ipsique Eustathio, in hac parte, omnino parum aut nihil tribuo; quandoquidem ille vulgaria aut temere arrepta et congesta, quoties mythologica attigit, apposuit; quod notitiarum, e trivio petitarum, ad poetam recoquendarum, studium nobis tantopere molestum ab eo tempore increbescere necesse erat, quo pueris, ut patriam linguam addiscerent, cui lingua vulgaris cor-

rupta tam dispar erat, Homerus non aliter, ac nostris in scholis tironibus, vocum discendarum caussa, praelegebatur, doctrinae et eruditionis Homericae nulla ratio habebatur.

Cum in lectione constituenda, et in rationibus criticis, omnino grammaticorum auctoritas esse deberet summa, seriores omnino inertiae et socordiae sunt accusandi, quod nec ipsi de lectionis veritate laborarunt, nec ex antiquioribus varietates et judicia exscripta servarunt; qua in re iis non parum obfuit superstitiosa reverentia poetae, opinio de perfectione summa carminis ipsiusque lectionis vulgatae: qui enim ex aequo impossibile esse aiebant, (Macrob. Sat. V, 5.) vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam, vel versum Homero subtrahere, illi ne minimam quidem judicii vim ad lectionis crisin afferre debuere. Genus est grammaticarum observationum nominibus ζητήσεων et λύσεων frequentatum: de quibus mihi multa praeclara pollicebar, cum hunc laborem primum aggrederer. Multis verbis jactata legeram Porphyrii ζητήματα e Cod. Leidensi vulgata ad lib. XXII Iliadis. Nihil tamen iis vidi jejunius, cum de veritate et utilitate ad poetae interpretationem quaererem. Multo plura a me e Scholiis notata per totum Commentarium reperies, maxime ex Veneto B. sed pauca in iis bonae frugis esse mecum fateberis. Superioribus annis antiquiores grammatici votis communibus expetebantur; quibus in lucem nunc protractis, immortali inprimis Villoisoni beneficio, reperta sunt multa magnae utilitatis in critica; et de lectione Aristarchea multo melius nunc, quam antea, constat. Longe tamen absumus a notitia accurata lectionis antiquioris ante Aristarchum; cujus judicium in lectionis dijudicatione non semper probari posse saepe vidimus. Tum illi haerent in minutis, notant obvia ac vulgaria quae qui vel primis labiis attigit criticam, tenet, repetuntque ea ac recoquunt ad fastidium; in gravioribus et obscurioribus, suspectis quoque, tacent. Saepe quoque defendunt absurda et tuentur lectiones merito rejectas. Ex similibus locis observatis adductus est, ut opinor, is, qui acutus esse volebat, cumque quaesitum esset, quodnam exemplar pro emendatissimo haberet, illud inquit, quod nullus grammaticus correxit. Jocose dictum habendum, non serium! Hactenus saltem censurae accedimus acutissimi viri Knight p. 77. 78. Quod autem vel maxime male nos habet, est, quod tam parum definite criticas rationes dubitandi aut rejiciendi lectionem constituunt veteres: ἀθετεῖσθαι versum aiunt, non, quod primo loco erat memorandum, quia auctoritas codicum aut eorum adversatur, qui primi e rhapsodorum recitationibus de-

scripsere carmina, quique, non omnes rhapsodos in lectio nem consentire tradiderant; sed caussas plerumque affe runt commentitias, parum validas; ex sensu suo petitas dum aiunt: inesse aliquid in sententiis vel verbis, quod sib displiceat nec satis probetur; saepe quoque hoc ipsum ju dicium non institutum est ex Homerica ratione et indole sed ex recentiorum commentis et opinionibus. Cum hi ipsis tamen judicia haec antiquorum grammaticorum, cun eorum observatis et monitis, magnam mihi attulere volupta tem in animadversa sentiendi et indicandi ratione istorum hominum ac temporum, omnique studiorum more a nostra aetate diverso.

Observationes *a sensu poetico* aut *a recti pulcrique sensu* petitas raro observes; ita ut multum absint ab ea animi commotione, quae proxime accedere debet ad poetae afflatum divinum, seu impetum et ardorem, *si boni interpretes poetae* esse volumus[a], pauca quoque occurrunt, quae *ad prosodiam* spectent. Contra vero locupletiores et disertiores sunt grammatici in observationum genere quas *rhetoricas* et *morales* appellare possis: quandoquidem aut artificium rhetoricum in reddendis moribus et affectibus declarant, aut docent, quid in factis et narratis cum praeceptis philosophicis conveniat. Sunt in his haud dubie nonnulla, quae lubenter amplectaris; uti de comparationibus, (quas tamen ipsi haud raro male interpretantur, dum plura in comparationem assumunt quae mera ornamenta sunt: cf. Schol. Apollonii I, Arg. 882.) multa sunt praeclare pronuntiata, passim inserta Eustathio: quorum recensum videre licet in Indice Devarii voc. παραβολή. add. Porphyr. Qu. Hom. s. 6. Bene quoque Schol. br. ad B. 212 πᾶν ἐπεισόδιον λαμβάνεται τῷ ποιητῇ ἢ πιθανότητος ἕνεκεν, ἢ χρείας, ἢ κόσμου καὶ ὑψώσεως χάριν. Abundat animadversionum ethicarum genere Schol. Ven. B. cum sua secta: multoque plura hujus sectae Scholia sunt servata, quam meliora alterius in Schol. A. et Victor. longe utique plura quam velles, etiam in Eustathio; hoc idem institutum amplexus erat Porphyrius, cujus fragmenta, hoc quidem respectu habito, non magnum desiderium faciunt amissorum.

At enim regnare aiunt Scholia in *rebus grammaticis*; et recte aiunt; modo judicium hoc recte constitueris. Seriores, qui in Scholis praelegebant pueris poetam, elementa fere technicae grammaticae in notas inferserunt; antiquiores

[a] De oraculis et vaticiniis Cic. de Div. I, 18. *quorum omnium interpretes*, ut grammatici poetarum, *proxime ad eorum quos interpretantur, divinationem videntur accedere.*

et doctiores, plerumque grammaticas observationes, de quibus controversiae tum agitabantur; quae ad Homeri quidem lectionem et interpretationem raro faciunt; attamen utilitatem habent ad sermonis graeci rationem et indolem melius constituendam; etsi pleraque versantur in rebus minutis et subtilibus, si tamen de sermonis emendatiore usu quaeritur, minutias contemnere haud licet; sic sitne ἐπεί σε an ἐπεὶ σὲ scribendum recte quaeri poterat Z. 355 et alibi. Nec inutilis est disputatio Tollii ad Apollon. Lex. liceatne τοι et οἱ, τοῦ et οὗ promiscue scribere. Ex utroque genere et antiquiorum et recentiorum pleraque in suis parecbolis compilavit Eustathius; et ad ejusmodi observata et praecepta, grammatica nostra vulgaris est constituta: in qua, cum semel coeptum esset in naturam linguarum universe inquiri, facile animadversum est, multa haberi, quae ab aliis principiis sunt repetenda et aliter constituenda; unde nunc subnata est duplex sermonis graeci grammatica, neutra ita constituta, ut alteram prorsus manibus dimittere possis.

Habetur hoc pro exquisitioris alicujus doctrinae graecarum litterarum genere, si in glossariis, lexicis et Scholiis evolvendis et comparandis valde versatus sis, et rariora quaevis aut unica et dubia et corrupta inde notaveris et tolerabili aliqua conjectura constitueris. Nec repugnabo equidem, magna in laude ejusmodi doctrinam esse habendam, etsi, quando quis librorum apparatu et otio satis est instructus, non admodum difficile est, aliquantum hoc in studio proficere; si tamen ad utilitates ac fructus, quos inde percipimus, respexeris, nolim hoc pro fastigio omnis doctrinae habere; fructuosior utique erit justa interpretatio scriptorum immortalium, ad quorum normam et exemplum ingenia nostra finguntur, ornantur, et rerum utilium notitiis locupletantur. Mihi utique, pro instituti et suscepti ratione, quod in eo ipso potissimum versabatur, ut viderem, quidnam fructus et utilitatis ex ipsis Graecis grammaticis Homericae lectioni seu emendandae seu illustrandae peti aut erui possit; mihi, inquam, longe major operae pars in hoc observationum genere fuit consumenda: nec omni fructu meam operam opinor destitutam esse; si tamen de ipso poeta quaeritur, et de iis, quae ad veriorem ejus interpretationem ac lectionem, aut rerum ac sententiarum illustrationem, ingeniique divini in reddenda naturae veritate vim et felicitatem, spectant; si quis, pro spe et exspectatione, minorem messem esse dixerit, vix habebo quod respondeam.

Etenim in poetae interpretatione plerumque desideres Scholiastarum subtilitatem; ex suo plerumque sensu, non ex poetae, ejusve aetatis, et hominum antiquiorum, sensu, constituunt notiones verborum antiquatorum aut rariorum, non ex rationibus necessariis, sed ex contexto in certam sententiam deflexo, aut ex etymo ad eandem rationem temere constituto; apponunt synonyma, nec tamen in quo vis verbi poetae propria ab aliis similibus discrepet, eruunt. Antiquiores quidem hac in parte saepe praeclara monent, dum, quae de antiquis vocabulis dubiis minusve exploratis ea, quae inter grammaticos disputata sint, apponunt; potiore utique loco habenda ea sunt propterea, quia seriores plerumque ista aut praeteriere, aut manca ac truncata apposuere, ita ut interdum ne assequare quidem, quid tantopere ineptierint antiqui, ut traderent ea, in quibus sensum communem desideres, aut quae aperte falsa esse pronunties.

Hactenus in interpretatione poetae judiciis nostris hauc pauca reliquerunt veteres, sive in dijudicanda lectione, sive in constituendis sententiis et verborum acceptionibus, sive in arte poetae declaranda; de quibus omnibus nunc licebi melius judicare, et liberius, partim quod otium interpreti non est consumendum in exquirendis antiquis notitiis quandoquidem id primario studio egerim, ut ex antiquioribus redacta apponerem ea omnia, quorum usus aliquis ad poetae non modo lectionem, sed et interpretationem, esse posset; partim, quod in iis ipsis, quae ex antiquis grammaticis allata sunt, latent saepe semina et elementa bonarum observationum; partim quod magnam utilitatem habet, si sententias et verba graeci poetae verbis aliis graeci redditas videris; qua propter haec ipsa e Scholiis et Lexici graecis sedulo ac diligenter apposui. Nec vereor, ne quis quam aequus et intelligens harum litterarum judex a m dicta in invidiam adducat, et me aut antiquis grammatici detrahere, aut recentioribus ingeniis nimium arrogare jacti tet: Neque enim reponi potest, grammaticos, quibus serm poetae erat patrius, magis idonea judicia afferre debuisse eorumque, quippe qui aetate nos multis saeculis praecesserunt, auctoritatem esse debere potiorem; nam, primo, quod ad sermonem attinet, jam Alexandrinorum aetate ille ade erat usu longo immutatus, ut multa in Homero essent antiquata, utque sermonis antiqui Ionici non magis illi per sermonem vulgarem haberent scientiam, quam nos, si nullo alios scriptores legerimus, quam historicos, rhetores, philosophos et Sophistas. Saepe equidem defixus sum in han cogitationem, quam multa vocabula in Homero occurran

aut antiquata, in his sunt tot ἅπαξ λεγόμενα, aut post eum in aliam notionem deflexa, aut servata quidem, nec tamen nisi a doctioribus et in certo tantum orationis genere servata. Hoc est, quo rationem reddere liceat idoneam, cur grammatici, etiam antiquiores in his Apollonius in Lexico, tam multa interpretentur, quae nobis ex vulgaribus Lexicis nota sunt. Scilicet erant haec vocabula tantum doctioribus nota, nec usu vulgari, sed e disciplina et lectione addiscebantur. Contra vero infinita est multitudo vocum, quae in Homero non occurrunt, inque iis etiam voces multae, quae in earum locum, quibus eaedem notiones in Homero jam erant signatae, successerunt.

Ut nonnullis saltem exemplis haec declarem: non occurrunt in Homero, in locis quae maxime ea verba desiderabant, τύχη, ὀργή, πλοῖον, ἔθος, πρῆγμα s. πρᾶγμα. Facit itaque mirationem quod in Iliad. O. duae voces occurrunt, alibi non obviae, vs. 393 λόγοι et vs. 412 σοφία. Alterius generis sunt res, quarum Homerus non meminit, aliarum quidem, quas memorare potuisset, aliarum, quas nec norat. Ejusmodi exempla sunt, usus elixarum carnium, usus annulorum et fontium calidorum, Plinio mirante, contra alterum tamen hoc memores fontes Scamandri X. 148.

Secundum haec in poetae lectione seriores Graeci non minus, quam nos, lectione antiquiorum scriptorum sermonis Graeci doctioris, et ex Homeri lectione Homerici sermonis, notitiam et usum parare debuere; et quoties illi in locum difficiliorem aut vocem obscuriorem inciderant, non alia adminicula et subsidia adhibere potuere, quam ea quibus nos utimur; videmus itaque eos modo conjectare et ariolari, modo etymologias circumspicere. Erant quoque in his ipsis copiis nonnulla, quibus nos locupletiores et melius instructi sumus: nam et grammatica sermonis graeci magis est elaborata, quandoquidem in ea perficienda tot viri docti operas conjunctas per tot saecula adhibuere, et antiquissimorum hominum modos sentiendi et sensus efferendi melius nunc perspectos habemus. Incredibile enim est, quam mature, et diu ante Alexandrinos grammaticos, et, quod mireris, quantopere interdum ipsum Aristotelem fugerit antiquitatis sensus et ratio; quum ad melioris cultus vitam, instituta et mores eam redigunt, dissensuque ac discrepantia animadversa, mythice ac symbolice dicta, in prisco sermone, accipiunt proprie et ad verba, modo in diversos sensus trahunt et in allegorias diversis modis mutant.

Desideravi, fateor, multa in veteribus grammaticis; at tamen altera ex parte gratus profiteor multa ex iis bona in

poetam provenisse, multoque plura ac majora in me meos que commentarios defluxisse; ad multa enim latentia et oc culta festinantem retrahebant, ad antiquiorem lectionem re vocabant, judicium mentis acuebant, in multis firmabant eruendis verioribus materiam et facultatem suppeditabant Manent iis praeterea propriae laudes in praeceptis gramma ticis subtilioribus exponendis et proprietate sermonis glossi suis et vocabulis notioribus declaranda.

EXCURSUS III.

De Allegoria Homerica[a].

De *Allegoria Homerica, et de interpretatione allegoric Homeri*, diversa enim haec sunt, disputatum est a multis e multum, nostra inprimis aetate, et a me ipso, temporibus a rebus id a me poscentibus. Afferenda mihi nunc sunt ea quae ad hujus operae consilium et interpretis partes spe ctant. Ad notiones igitur recte constituendas, ad dilectun rerum observatarum, ad dissonas inter se antiquitatis opi niones, et ad utilitatem dicendorum mihi maxime est ani mus intendendus.

Diversum esse sermonem *allegoricum* a sermone *symbo lico*, quem *mythicum* appelles, jam alias dictum est satis: ut nisi maligne, duo haec genera diversa confundi haud pos sint. Symbolici sermonis usum intulit necessitas inter ho mines rudes ex eorum infantia, notionum et verborum pro priorum inopia, cum necdum ea intelligentiae subtilitate in structi essent, ut aliter quam per rerum formas ac specie mente conceptas, quas phantasmata appellamus, quonian aliud nomen haud innotuit, sensus animi declarare possent Itaque homines rudes ea, quae aut nunc excogitant, au quae praeterita animo et memoria tenent, aliis per similia quae ipsis innotuerunt, aut ante oculos habentur, signifi cant. Eoque modo antiquissimos Graecos sensa animi ex posuisse in confesso est; cumque notiones barbarorum sin paucae numero et de rebus obviis: facile intelligitur, noi exquisitam aliquam et subtilem sapientiam aut doctrinan dictis contineri posse. Sunt autem ea, de quibus aliqui pronuntiant, aut *rerum eventa* aut *opiniones de iis eorumqu caussis*. Atque horum fragmenta nonnulla in Graecis adhu extant, quae *mythorum antiquissimorum* nomine veniunt[b].

[a] Paratus erat hic Excursus ad rhapsodiam Φ. et ad pugnam deorum in ea enarratam; ex variis, non modo mythis, sed et diversis mythorum generibus, concinnatam; ut mi rum non sit, fuisse, qui allegoria vestigia in iis animadverterent.

[b] De *mythorum notione* et *indol*

Quaecunque autem prudentiores inter istiusmodi homines pronuntiarant, ea per progeniem repetita ad posteros propagabantur; memoria igitur, non scripto, asservabantur, multorumque ore iterata modo ab imperitis modo a peritioribus variabantur, ornabantur, mutabantur; accessit veneratio religiosa progenitoris stirpis, admiratio majorum et reverentia, eorumque, quae a patribus tradita acceperant, auctoritas: non itaque nisi cum animi affectu et impulsu, animoque inflammato, et tanquam afflatu divinitus acti, antiqua ista recitabant; idque inprimis inter coetus tribulium, in panegyri festorum sollennium, inter sacra, et epulas; ita narrata transibant in cantus, cum ipsa actione res gestas repraesentante, versa sic in drama et mimum, inflammatis per haec omnia, quae mentem mirifice impellere debuere, animis. Ita antiquiores mythi ornabantur, amplificabantur, novis aliis per succedentes aetates locupletati; erantque illi nullius alius generis, quam *mythici*, sensa animi *symbolice per sensuum objecta* declarantes.

Progressi sunt mature ad *opiniones* nonnullas de iis quae in natura nova et insolita evenire viderant, ab his ad omnem rerum naturam, caussas, ortum; fabulantes vere, non ratiocinantes, de iis, quorum nullam omnino notionem explicitam habebant: sermone autem nullo alio haec proferebant, quam illo symbolico; itaque *cogitata animi* convertebantur in *res gestas*, in *facta*, in *personas*, easque *ad homi-*

egi saepius et taedet dicta iterare. Fundamentum omnis hujus doctrinae cum antea a. 1765 in Prolus. *de caussis fabularum physicis* egissem (Opusc. Acad. Vol. I p. 184.) posueram jam anno saeculi elapsi LXXVII. in Commentatione *de origine et caussis fabularum Homericarum* (in *Novis Commentariis* Soc. R. Sc. Gotting. p. 34.) in quibus quidem, etsi de singulis rebus et exemplis multa me melius constituere XXIV annorum usus et experientia, cum repetita cura et investigandi studio, docuerit, ut tamen in principiis, a quibus reliqua ducta sunt, aliquid mutarem, nihil, quod me movere posset, vidi; adoptarunt ea viri docti, qui de his rebus egerunt, etsi aliis verbis. Subsequuta est istam commentationem alia *de Theogonia ab Hesiodo condita ad Herodot.* II, 52 in Vol. II. *Commentationum* Soc. R. Sc. Gotting. anni LXXIX. quam dignam habuit doctiss. Wolfius, ut inde potiora in Obss. suas in Theogoniam insereret: Retractavi multa in *Epistola ad Nic. Schow*, editorem Heraclidei libelli *allegoriarum Homericarum*, multo plura in *Commentariis ad Apollodori Bibliothecam* Vol. III. Recentioribus annis iterum me ad haec studia revocavit opera in Homeri interpretatione posita, retraxit quoque invitum viri, cujus ingenium et famam popularibus caram magno honore habeo, meis tamen in se officiis meritisque, cum disciplinae meae olim alumnus esset, non digna referentis, impetus in me factus, ut iterum novam disquisitionem totius rei mythicae instituerem: Vol. XIV *Commentationum* an. XCVII in Commentat. de *fide historica aetatis mythicae*; de *historiae scribendae inter Graecos primordiis*; de *opinionibus per mythos traditis*; tandem de *mythorum poeticorum natura et caussis*. Atque in his utique mihi acquiescendum esse video.

num speciem et exemplum effictas: quae tamen cum homines non essent, novum ordinem, novum genus constituerunt, cui *deorum* nomen inditum est; et ab his omnis serior mythologia ac religio fluxisse videri debet. Ita *omnis natura, elementa, elementorum vires, corpora, phaenomena, vicissitudines, effecta, in personas mutata sunt.* Cum porro Graeci jam antea, rudiore vita, sua domus quaeque, stirps, familia, pagus, habuissent numina, eorumque signa rudia et obscura, *ne nominibus quidem propriis insignita,* coepere nunc prudentiores initio *a Jove et Apolline* facto, *nominibus* illos deos distinguere, physicisque istis notionibus ea numina accommodare; atque ita sensim in *mythorum hoc genus* se insinuavit *rudis* aliqua *sapientia,* phantasiae accommodata; idque multo magis, quoniam nihil proferebatur nisi carmine, carmen autem non alio modo alii quam ex recitatione acciperent auribus, recitatum tamen cum gestu et affectu, afflatui divino simili, ita ut recitata in dramaticam actionem verterentur. Habemus igitur *genus mythorum* numero et auctoritate pollens, *in quo sermo symbolicus seu mythicus regnat.*

Cum ea aetas nondum haberet notiones *ethicas* severa cogitatione subactas et exploratas, *decori* autem *sensum* multo minus excultum: non dubitarunt, per iras, odia, bella et praelia deorum, reddere elementorum conflictus, adumbrare rerum ortus per generationem, atque hoc modo narrationes comminisci de deorum conjugiis, partubus, amoribus, stupris; quo factum est ut per rudiorum aetatum decursum conderentur religiosae opiniones et ritus eas adumbrantes, quos, per instituta et leges mentibus dudum ad meliores sensus et judicia deductis, optimus quisque damnabat et aversabatur; multo magis, ex quo melior philosophia animos ad boni rectique sensum informaverat. Haec sunt illa quae Plato ex institutione puerili sublata esse volebat, et quae ex sua republica jure meritoque proscripsit lib. II p. 377 sq.

Exornarunt hos mythos vates et ἀοιδοὶ, repetendo, variando, nova comminiscendo, certis de consiliis mutando, et in alios usus transferendo; ita sensim factum est, ut, antiquiore mythorum natura et indole mutata, substitueretur *nova mythorum facies,* eaque *diversa nec una.* Cum enim illi essent partim historici, partim philosophici generis, pro infantia cum historiae, tum philosophiae istarum aetatum, nunc illi versi sunt in *materiam* aliquam *poeticam:* quam ingenia poetarum pro lubitu fingerent, delectationi ingeniosa tractatione, variatione et expositione, unice studentium; ita exolevit omnino antiquorum mythorum natura;

abierunt ii in *mera commenta poetica*, et ingenii lusus, quibus animi audientium mulcerentur. Praeivit his Homerus, non magis ingenio quam aevi et materiae carminum fortuna felix, et invidendae sortis, poeta; usus enim antiqua persuasione, qua heroes deos viribus aequasse et dii heroibus filiis suis, adfuisse, Perseoque et Herculi comitem Athene se praebuisse narrata erat, ipse heroibus ad Trojam deos apposuit, tanquam auctores rerum et fautores partium; ita ille, quod Herodotus ait, cum Hesiodo Graecis theogoniam, primus constituisse dici potuit; nam unicuique deo suam personam, speciem, artem et munus assignavit; eaque ex carmine in vulgares religiones, caerimonias et sacra, tum et in opera artificum migrarunt, cum eodem ore ac vultu oculis subjicerentur deorum quisque; reddidit ars Jovem deorum regem, deos ejus progeniem sub specie pulcerrimarum feminarum juvenumque; nunc Vulcanus artis fabrilis ignis ope indigentis, Athene virtutis et prudentiae, Mercurius omnis sollertiae auctor et exemplum; illa armata, hic tanquam nuntius deorum antiquo celeritatis symbolo, alis instructus; et sic reliqua. At, quod alterum Homeri felix inventum fuit, mythos physicos et ethicos idem poeta in suam rem vertit ita, ut ingeniose istos pro veris factis adhiberet, eoque tam multa mira de diis commemoraret, profectos esse deos ad Oceanum, Jovi, ne vinciretur Thetidem subvenisse, latuisse Bacchum apud Thetidem, exceptum Vulcanum, ex Olympo proturbatum in insula Lemno, et, a matre Junone projectum, a Thetide et Eurynome, Oceani filiabus, sicque alia.

Deventum inde est cum temporum progressu, eo, ut, vera ratione haud animadversa, ad multa variaque commenta deverterent non recentes modo, verum ipsi veteres, iique mature vera mythorum indole ignorata. Ut exemplo rem declarem: ex vulgari more loquendi cum pulcritudo corporis etiam in singulis partibus declararetur, ut esset ῥοδοδάκτυλος Ἥρη, ita et Pelops fuit ἐλεφάντινος ὤμους; deflexa narratione in humeros vere eburnos caussa ei inventa est, rudi commento, epularum a Tantalo diis appositarum, ipsis filii membris. Ad refellendam fabulae impietatem satis erat monere de origine et caussa commenti. Senserat impietatem fabulae Pindarus, caussa autem inventi eum latebat; itaque aliud substituit commentum pueri a Jove furto in Olympum rapti. Adeo jam tum vera ratio et natura mythi ignorabatur. Religiones, hoc est *cerimoniae*, antiquis rudioribus aetatibus subnatae, per plura saecula a patribus ad posteritatem propagatae, una cum opinionibus per my-

thorum involucra multo magis obscuratis, et per poetas in veras fabulas mutatis, *hae, religiones*, inquam, magna ex parte ludicrae, indecorae, atroces quoque et nefandae, viros graves ac prudentes facile ad eam animadversionem deduxere, quam indigna ea narrata numine essent; nec tamen, instituta patria abolere, consultum videri poterat; nec privatis jus erat religionibus intercedendi; legum autem latores deos patrios publicos et sacra a majoribus condita publica rite colere jubebant; qui illi essent, non definiebant, forte nec definire poterant; viros prudentes statuisse probabile fit, quod Antisthenes quoque palam professus est, *populares deos multos, naturalem unum esse:* (ap. Cic. N. D. I, 13.) Interea poetarum figmenta de diis novis subinde fabulis aucta constituerunt *argumenta hymnorum, saltationum, chororum, dramatum, pomparum, teletarum*, seu *initiorum*, per quae etiam *mysticus fabularum sensus* inductus est, de quo multa disputandi opportunitas esset; nec tamen quisquam aut tunc pervidere potuit, aut nunc docere possit, quomodo malum sisti posset; ipsa institutio puerilis a poetarum et in his a principe Homero lectione procedebat, nec aliunde peti poterat. Inde illae philosophorum irae in Homeri impietatem, eaeque satis justae. Eorum, quae dicta sunt, momenta pleraque in Platon. de rep. lib. II reperies. Arripuit haec eadem et alio modo impugnavit, fabulas poetarum irridendo et exagitando, Lucianus; constituit ea res argumenta multorum ejus dialogorum, v. c. in Jove Tragoedo, ubi vel inspicere juvabit c. 40. In contemtum adducere religiones hac via ille potuit, at quid substituendum esset, quod vulgi animos melioribus notionibus imbueret, haud docuit; a philosophorum autem scholis et dogmatibus talia frustra expectabantur.

Hic inciderunt boni viri in aliquam viam ac rationem, qua poetae lectionem, si non omni ex parte utilem, minus tamen damnosam moribus et ingeniis, redderent; et ad eam philosophi ducebant, qui de rerum natura libros scripserant; mutuati illi erant mythicum apparatum ex antiquioribus poetis cosmogonicis, et opiniones suas per hos ipsos aut similes mythos poetico more exhibuerant, Xenophanes, Parmenides, Empedocles, quorum fragmenta vel leviter inspexisse satis est ad hoc assequendum. Hoc inventum illi transtulere in Homerica carmina, quaeque in iis narrata sunt, non vere ita dicta esse a poeta aiebant, sed latere sub his narratis sententias abditas, modo physicas modo ethicas, diis haud tam indignas quam ex enuntiatis proprie acceptis putares. Ita *allegoriae in Homerum sunt illatae.* Faciebat

fraudem hoc quoque, quod antiquiores fabulae cosmogonicae a poeta in mera facta et ornamenta epica versae natura sua fuerant mythicae, hoc est, enuntiationes sententiarum et opinionum de rebus physicis ac divinis, antiquo sermone per rerum similitudines declaratae.

Jam aperta res est, si quis Homeri mythos antiquos quos ille in facta epica mutavit, ad antiquiorem sensum poetarum ante Homerum revocat, (nemo enim hoc affirmare ausit, Homerum hos mythos primum invenisse) is non allegorice interpretatur, nec ille Homerum ipsum allegorias apposuisse, aut mythos in allegorias mutasse, pronuntiat. Fatendum est antiquitatem ipsam nec rem subtiliter satis dispexisse, nec verba distincte cuique generi constituisse. Vocibus utebantur veteres generalioribus; δι' ὑπονοιῶν vel καθ' ὑπόνοιαν aliquid dictum esse aiebant, quod ipse Plutarchus de aud. poet. p. 19 E. docuit, indeque alii; v. Ruhnk. ad Timaeum p. 200. Alii per αἴνιγμα, τρόπον, σχῆμα idem extulere; vox ἀλληγορεῖν in scholis rhetorum primo frequentari coepit, quantum assequor.

In hoc ipso studio fabulas Homericas allegorica interpretatione purgandi et eluendi non una via ac ratione ingressi sunt, inprimis philosophi, cum suae quisque scholae praecepta Homeri auctoritate firmare aut illustrare vellent. Nec spero opera et otio me abusurum esse, si potiores vicissitudines hujus studii brevissimis persequar.

A *Pythagora*, is autem haud multo post ea tempora vixit, quibus carmina Homerica si non in lucem, certe in majorem celebritatem, deducta sunt, fabulas Homericas et Hesiodeas magnopere improbatas esse, innotuit vel ex ejus dicto, quod in inferis se Hesiodi animam columnae aheneae illigatam stridentemque (τρίζουσαν,) Homerum autem ab arbore suspensum, et serpentibus implexum vidisse narraverat, propter ea, quae de diis uterque memoraverant: (Diog. Laert. VIII, 21.) tradiderat haec Hieronymus (Rhodius in Commentariis historicis) famam inter Pythagoreos servatam, saltem sequutus; nec obstat, quod alii Pythagoram tradunt, multos Homericos versus in ore habuisse, nonnulla etiam ex eo petiisse. Ulterius progressus *Xenophanes* Anaximandri aequalis, Colophonius, qui post Olymp. LX vixit, is enim iambis Hesiodi et Homeri dicta exagitavit [a]. Etiam

[a] γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσι, καὶ ἐλεγείας· καὶ ἰάμβους καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα. ita est interpungendum. ἐπικόπτειν, eodem sensu quo ἐπισκώπτειν. eodem sensu Timon cum dixerat Ξενοφάνην ὑπότυφον, Ὁμηραπάτης ἐπικόπτην h. τῆς ἀπάτης, τῶν ψευδῶς λεγομένων ὑφ' Ὁμήρου. Conveniunt versus, quos ex Xenophane Sextus Empir.

Heraclitus Ephesius, gravissimus philosophus; *Homerum dignum esse aiebat qui ex omnibus conventibus ejiceretur et colaphis caederetur; nec minus Archilochum*[a]. Et probabile fit Democriti librum περὶ τῶν ἐν ᾅδου Homericae Necyiam elevasse. Certius est Platonis judicium, idemque vulgo notum, qui Homerum ex sua republica proscripsit, enumeratis libro II et III iis, quae turpia et indigna diis in fabulis, quas Homerus in carmen suum intexuit, occurrant.

Cum hoc modo vulgata esset haec mythorum omnino, tum praecipue in Homeri carminibus, repudiatio: exortum est studium eos defendendi, abhibita interpretatione allegorica: quod quemnam primum auctorem habeat, quaeri potest. Et laudari quidem video auctores jam ante Platonem plures; eosque antiquissimos, *Theagenem* Rheginum, *Antimachum* Colophonium, *Stesimbrotum* Thasium, *Herodotum* Halic. et *Dionysium* Olynthium, aliunde haud notum; temere, cum ii tantum primi fuisse perhibeantur, qui de Homero ejusque carminibus et temporibus memoraverint ap. Tatian. Or. ad Graecos s. 48. Stesimbrotus autem paullo ante Socratem cum Anaxagora ap. Xenoph. Symp. III, 6 inter eos memoratur, qui de Homero optime praeceperint; cum tamen idem narretur περὶ Θεμιστοκλέους, Θουκυδίδου, καὶ Περικλέους, scripsisse, historicum potius fuisse videtur opusculum. Potuere forte interponi in iis judicia nonnulla de hac quoque carminis parte; et hactenus verum esse potest, quod Schol. Ven. B. ad Σ. 67 aliunde adscriptum habet, recitatis allegoriis ethicis: οὗτος μὲν οὖν τρόπος ἀπολογίας, ἀρχαῖος ὢν πάνυ, καὶ ἀπὸ Θεαγένους τοῦ Ῥηγίνου, ὃς πρῶτος ἔγραψε περὶ Ὁμήρου, τοιοῦτος ἐστὶν ἀπὸ τῆς λέξεως. *Pherecydem* Syrium, Pythagorae magistrum, inter antiquissimos auctores referendum esse haud dubito, etsi quae de ejus placitis narrantur, a serioribus fama accepta, non satis tuta sunt; fertur ille Ζῆνα, Χθόνα, Χρόνον, rerum principia constituisse: quae allegorica nomina esse quis non videat? Verum de his, quae ad hoc philosophiae antiquissimae genus spectant, Tie-

servavit IX, 193 πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε, ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ, κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν. Itaque ille obtrectator Homeri est habitus: Diog. II, 46 καὶ Σάγαρις Ὁμήρῳ ζῶντι (ἐφιλονείκει.) ἀποθανόντι δὲ καὶ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος. Quem autem fundum habeat, quod ap. eund. s. 43 ex Heraclide memoratur, L drachmis, tanquam insanientem, ab Atheniensibus esse multatum, non assequor.

[a] Diog. Laert. IX, 1. τόν τε Ὅμηρον ἔφασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ῥαπίζεσθαι. καὶ Ἀρχίλοχον ὁμοίως. ambigere licet quo sensu ἐκ τῶν ἀγώνων dictum sit. Accipiunt de certaminibus: ita saltem essent poetarum recitantium ῥαψῳδούντων certamina.

demannus noster est adeundus. *Empedocles* an diserte hoc egerit in carmine suo de Natura, ut fabulas antiquas refelleret, perspicuum mihi non est; potuit autem implicitum id ipsum agere videri, dum antiquiorum poetarum more nominibus deorum usus est ad elementa declaranda: Ita, si ignem per Jovem, terram per Junonem, aerem per Ἀϊδωνέα et aquam per Νῆστιν designavit, (fragm. ap. Athenag. in deprecat. s. 28.) eo ipso ad alias opiniones avocare debuit audientes. Et omnino per hos philosophos, qui carmine de natura rerum tradiderant, evenisse suspicor, ut frequente jam conatu mythos antiquos physice sapientiores exponerent; serius accessere alia, in quibus et hoc, quod apud barbaras quoque gentes naturam rerum modo per deum modo per deam variis modis exhibitam animadverterant ii, qui peregrinas gentes adierant, etsi similia jam ex religionibus Phoeniciis, Phrygiis, Thracicis, quae antiquissimis temporibus inter Pelasgos et Hellenes vulgatae erant, nota esse potuere. Cum his incredibile studium Homeri, summa ejus auctoritas, et numinis instar habita veneratio, homines commoverat quum reprehensa refellere non possent, ut ad alia auxilia confugerent. Evenit itaque fere idem quod in libris Hebraeorum sacris, quorum interpretes allegorias in subsidium vocarunt, cum, ignoratione priscarum aetatum, hominum, eorumque sensuum, ad verbum antiqua interpretantes, non ex sensu scriptorum, ad multa et dicta et facta offenderent, aut alios offendisse viderent. Non mirum, ut exemplo utar, Philonem, graece doctum et Platonica philosophia instructum, Mosaica sacra et praecepta allegorice enarrasse.

Is tamen, qui mythos veteres et de diis narrata per allegorias physicas interpretando sequentibus aetatibus inprimis praeivit, fuit *Anaxagoras*, qui Νοῦν θεὸν, et cum eo Aetherem et Terram, τὸν Δία καὶ Γαῖαν inducendo, viam aperuit aliis, ut ea, quae Jove aliisque diis indigna in Homero memorata essent, interpretatione in alium sensum detorquerent; Anaxagorae placita *Euripidem* inprimis adoptasse, praeclare docuit Valcken. in Diatribe Eurip. c. 4 et 5.

Ipsum *Socratem* Homericos mythos allegorice exposuisse aiunt. Socrates quidem in Xenoph. Mem. Socr. II, 6, 11 ubi de conciliandis amicorum studiis agit, Sirenum carmina memorat, quibus tanquam incantamentis ad deliniendos animos utendum sit. Enimvero hoc non est *Homerum allegorice interpretari:* sed mythum antiquum in Homero obvium adhibere ad sensum animi suavi aliquo commento ad allegoricum morem instructo declarandum; huncque morem se-

quuti sunt multi per omnia tempora, etiam nostra; habet enim suavitatem mythi antiqui usus ingeniosus vulgari enuntiationi substitutus; veluti si auream Jovis catenam aliquis transferat ad omnium rerum inter se nexum. Huic delectandi consilio debentur mythi *Platonici*, partim ex antiquioribus ducti et ad alia traducti, partim novis inventis aucti et mutati. Verum de mythis et allegoriis Platonis habemus scripta docta et acuta, etiam a nostratibus.

Omnino mihi in tota hac quaestione plura comprehensa et collecta esse videntur, quae subtilius sunt dirimenda ac discernenda. Aliud est consilio ac studio Homerum et Homericos mythos allegorice interpretari; aliud mythos universe allegorice interpretari omninoque pro explorato hoc ponere, non alio sensu et consilio hos mythos ab initio inventos esse; aliud, contendere, Homerum eos non alio sensu et opinione adhibuisse, quam ut allegorica interpretatione accipi vellet: quod ab omni epici carminis natura alienum est. Iterum alia est sententia, si quis dixerit, inesse inter mythos antiquos aliquod genus, inesse in ipso Homero, mythos, quorum primi auctores symbolice aliquam mentis sententiam declaraverint aut declarare voluisse videantur; eos tamen mythos Homerum fecisse suos, sive ut pro factis inter narrata reciperet, sive ut antiquitus fabulose narrata in suam rem verteret, ut in Ulyssis errores Sirenes, Scyllam, Charybdin, Circen, Cyclopes, Trinacriam transtulit. Haec tam diversa inter se qui confuderunt, non nisi perturbate de allegoria seu universe seu Homerica statuere et disputare potuerunt. Omnino quis non sentit primo statim monitu, diversissimi generis esse mythos errorum Ulyssis ab iis, qui de diis aut qui de heroibus in Iliade memorantur! Scilicet non dimittendum erat animo, quod ab initio monitum est, alios mythos historicam habere originem, πατροπαράδοτα, quae mythice enuntiata et a poetis ornata variataque sunt, alios mythos esse meras opiniones, judicia, sensus antiquorum hominum de rebus et eventis; et haec illa sunt μεμυθευμένα, quae fundum aliquem habuisse necesse est, et stare ita puto quod Strabo contendit, ὅτι οὐ πάντα Ὅμηρος αὐτὸς ἔπλαττε. et recte se habet judicium Polybii quod apponit lib. I. p. 20 et 23.

Secundum haec accuratius constituta facilius licebit cetera expedire. Manifestum fit, ex iis inter veteres, quibus importunum allegoriarum studium vulgo tribuitur, alios, mythos omnino, alios tantum nonnullos, alios solum Homerum et mythos Homericos interpretatos esse, nec uno consilio: nam alii religiones patrias tueri, alii poetam; alii phi-

losophicas rationes in judicia antiquiorum hominum inferre, alii novam disciplinam mythicam constituere voluere. Accessere alia; in his studium etymologicum, quod ipsum in deorum nominibus ad allegorias deduxit: quod volupe erit cognoscere, si Platonis Cratylum excusseris: (p. 396 sqq.) Apparet porro, allegoriae studium hoc profectum esse primo a singulis mythis; sunt enim in his nonnulli, qui symbolicam naturam statim prae se ferunt; quisquis enim ad Ἄρην et Ἀθήνην, eorumque partes in Homero, attenderit, statim assequitur virtutem bellicam rudiorem et doctiorem in iis esse declaratam; hoc primo factum erat symbolice; at nunc iisdem utimur nos allegorice, interdum simpliciter poetice aut tropice in ipsa oratione pedestri. Ipse Plato docet, jam ante eum hanc allegoricam interpretationem in Homerum esse illatam: in Cratylo p. 407 A. ἐοίκασι δὲ καὶ οἱ παλαιοὶ τὴν Ἀθηνᾶν νομίζειν, ὥσπερ οἱ νῦν περὶ Ὅμηρον δεινοί. καὶ γὰρ τούτων οἱ πολλοὶ, ἐξηγούμενοι τὸν ποιητὴν, φασὶ τὴν Ἀθηνᾶν αὐτὸν νοῦν τε καὶ διάνοιαν πεποιηκέναι. Ergo jam ante Platonem erant, ex ipsis Homeri interpretibus, qui Athenen allegorice interpretabantur. Et quis est, cujus mentem ea cogitatio non subeat statim in Achille a Minerva admonito in prima rhapsodia! At illi peccarunt, si poetam per Minervam τὸν νοῦν σώφρονα, allegorice declarasse putarunt, non Minervam deam historice et epice.

Illi ergo, quos dixi, ab uno et altero mytho progressi erant, qui symbolici aliquid in fronte prae se ferebat. Alii ab iis, quae indigna diis esse videbant; partimque in his substiterunt, alii ab iisdem ad alia processerunt. Aristotelem ipsum a toto hoc genere non alienum fuisse, existimare licet ex iis, quae Macrobius I Sat. 18 ex ejus Θεολογουμένοις attulit; quos tamen ille fines huic interpretandi generi statuerit, haud compertum habeo.

Pindarus fabularum impietatem bene perspectam habens in prima statim Olympica, id egit, ut mythum impium in aliam narrationem inflecteret diis magis decoram; itaque et ipse debuit in allegorica incidere. Aliis locis ille ne de heroibus quidem, ut de Hercule, impie facta proferre audet; etsi idem aliis locis fabulas de puellis a Jove et Apolline compressas memorare haud religioni ducit. Ita res ipsa et casus deduxit alios ad alia; si tamen veterum mythorum origines et caussas perspexissent, satis erat, dicere, omnino poetarum commenta esse abjicienda; Homerum his usum esse alio consilio, quod carminis epici natura poscebat, alios hinc poetas, cyclicos, lyricos, dramaticos, aliis de caussis eos exornasse; hosque adeo mythos suo cuique auctori esse re-

linquendos, non pro fundo doctrinae ethicae esse habendos, non magis quam caerimonias sacrorum vulgares. At illi viam ingressi sunt diversam, ut ineptos et impios mythos philosophicis rationibus enodarent et defenderent. Potuit hoc studium summa poetae auctoritas, et in ceteris rebus utilitas ad vitae usum et prudentiam adjuvare. Atque ita multo magis statuemus, si de Metrodoro audimus narrata, primo et classico allegoriae hujus ad tuendum Homerum susceptae auctore; quem Ion Platonis inter praestantissimos Homeri interpretes laudat cum Stesimbroto Thasio et Glaucone (ad quem loc. v. Mulleri notas p. 10 sq). *Metrodorus Lampsacenus* Anaxagorae (quem Socrates quoque audivit) erat auditor (eoque diversus ab Epicureo). Ex Favorini variis historiis Diogenes Laert. II, 11 apponit haec: primum Anaxagoram edixisse *Homeri poesin agere de justitia et virtute:* δοκεῖ δὲ πρῶτος τὴν Ὁμήρου ποίησιν, ἀποφήνασθαι, εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης, (sive eo sensu, quod credidit poetam id sibi propositum habuisse, sive, quod equidem arbitror, quia idonea sunt et apta ejus carmina ad mentem justitia et virtute imbuendam.) *Tuitum esse admodum hoc placitum, ejus discipulum Metrodorum, eundemque ulterius tendentem multum laborasse in physica poetae doctrina constituenda:* ἐπὶ πλεῖον δὲ προστῆναι τοῦ λόγου τὸν Μητρόδωρον τὸν Λαμψακηνὸν, γνώριμον ὄντα αὐτοῦ. ὃν καὶ πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματείαν, h. e. in revocandis poetae mythis ad physicas doctrinas. Atque haec diserte declarat locus Athenagorae a multis laudatus, *in quo ille fertur nihil non ad allegoriam retulisse; Junonem, Minervam, Jovem nihil aliud esse quam physicas substantias et elementorum constitutiones:* καὶ Μητρόδωρος δὲ ὁ Λαμψακηνὸς, ἐν τῷ περὶ Ὁμήρου, (fuit ejus liber) λίαν εὐήθως διείλεκται, πάντα εἰς ἀλληγορίαν μετάγων. οὔτε γὰρ Ἥραν, οὔτε Ἀθηνᾶν, οὔτε Δία τοῦτ' εἶναί φησιν, ὅπερ οἱ τοὺς περιβόλους αὐτοῖς καὶ τεμένη καθιδρύσαντες νομίζουσι· φύσεως δὲ ὑποστάσεις καὶ στοιχείων διακοσμήσεις. Jam quae sequuntur, (esse haec illa videntur, quae Eustath. respicit p. 3. med.) vereor ut ipse Athenagoras recte acceperit: καὶ τὸν Ἕκτορα δὲ, καὶ τὸν Ἀχιλλέα δηλαδὴ καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα, καὶ πάντας ἁπαξαπλῶς, Ἕλληνάς τε καὶ βαρβάρους, σὺν τῇ Ἑλένῃ καὶ τῷ Πάριδι, τῆς αὐτῆς φύσεως ὑπάρχοντας, χάριν οἰκονομίας ἐρεῖ γε (*dicit ille quidem;* nisi corruptum est. an fuit ἐκεῖ γε?) παρεισῆχθαι, οὐδενὸς ὄντος προειρημένων ἀνθρώπων. Potuit Metrodorus asserere, hos ipsos esse mera exempla characterum; potuit quoque pronuntiare, ficta esse nomina, et esse ipsas narrationes de Trojae oppugnatione et Ulyssis erroribus poetae commentum, qui

propositum haberet finem ethicum, ad quem consequendum necesse erat, ut fingeret res, casus et personas, per quas praecepta virtutum tradere posset. Extitere quoque qui tales nugas amplexi sunt: v. Morrit *Vindication of Homer* p. 63 sq.

Sequentibus aetatibus studium interpretationis mythorum cum universe, tum Homericorum per allegorias arrisit multis, inprimisque probatum est a *Stoicis:* quae jam notiora sunt, quam ut iis memorandis otium consumere opus sit. Inspicere licet Ciceronis lib. de Nat. Deor. inprimis secundum, cf. lib. I. 14. 15. et Sexti Empir. librum IX. Incredibile est, ad quas ineptias interdum confugerint, ut et lectiones Homericas mutarent excogitatis novis vocum formis grammaticae quoque adversantibus, ut ἀναδωδωναῖε Il. Π. 233 (v. sup. To. VII p. 284) utque versus interpolarent. cf. Plutarch. de poet. aud. p. 31. 33. Ex hoc genere ad nostram aetatem servatus est libellus *Allegoriarum Homericarum,* sub *Heraclidis* seu *Heracliti* nomine, ad quem v. Nic. Schow, docti editoris, Commentationem; item *Cornuti* (vulgo *Phurnuti*) libellus *de natura deorum,* ineptis etymologiis superstructus. Nobilissimum in hoc Stoicorum commentandi genere exemplum erat Hercules in sapientem transformatus: eum illustravi in commentatione *de Hercule Musageta* Commentat. Soc. R. Gotting. a. 1780. Vol. III.

Cum ethica hac allegoria confundenda non est ea interpretatio, cum Homericis narratis uti videas veteres *ad praecepta* moralia et politica declaranda et animis legentium infigenda. Exempla virtutum et vitiorum proponunt, non interpretantur. Potest quoque constitui genus allegoriae *astronomicum;* nam, cum mythorum antiquissimorum partem ad signa caelestia spectare manifestum sit, fuere qui omnem mythologiam eo referre allaborarent. Unum fuit interpretationis mythorum genus, quod sub allegoriae nomine haud comprehendi solet, vere tamen ejus naturam habet, ita ut *allegoriam historicam* appellare possis, cum veteres historiae et rerum eventus per mythos deorum declarati esse crediti sunt. Incredibile est, quantum homines docti in hoc genere ab omni probabilitate, judicio sano et rerum veritate abduci se passi sint. Voluere tamen illi ab hoc studio proficisci videri, ut probabiles modos eventuum in mythos inferrent; ex quo genere est ineptus libellus cum *Palaephati* nomine praescripto, de Incredibilibus.

Hi quidem habuere certum finem propositum, et consilium philosopho saltem haud indignum, ut lectionem poe-

tae liberarent ab iis, quae juveniles animos corrumpere plebisque impiis superstitionibus patrocinari possent; et substitere fere illi intra allegorias physicas et ethicas. At enim successere alii, *grammatici*, *rhetores*, et *sophistae*, qui seu temere et judicio animi nullo, seu inepta ingenii ostentatione, mythos veteres promiscue, nullis habitis rationibus diversitatum, cum summa ignoratione ortus, naturae, usus, mythorum, tantum id egere, ut sensum qualemcunque, in mythum inferrent, dummodo non proprium ac verum admitterent; hique modo plura, modo omnia allegoriarum genera confuderunt et promiscue copularunt, haud digni illi, quorum ineptiis immoremur enarrandis. Ex his tamen ac similibus commentis manarunt systemata pleraque recentiorum mythologica, ab uno fere rerum genere progressa et ad unum plerumque fontem omnem mythorum varietatem et diversitatem, quamvis reluctantem, machinis omnis generis adhibitis, retrahentia.

Sophistarum molitionibus multo minus aliquid tribuere debebant viri prudentes, namque illi ingeniorum suorum experimenta edere credebant, si poetarum fabulas in novum sensum interpretarentur. *Declamationum* quoque suarum argumentum hoc constituebant, ut poetarum commenta et mythos modo defenderent, modo refellerent, modo contrarium ponerent. Ex hoc genere est *Dionis* Chrysostomi Oratio XI. ad Ilienses scripta, ut in eorum gratiam, Homeri criminationes priscorum Trojanorum dilueret; cujus argutias sophisticas, cum ipse tam diserte consilium suum initio statim declaret, viris doctis fraudem facere potuisse, ut homini personam historici alicujus, comperta a se tradentis, affingerent, vix satis licet assequi, nisi eos omnes notiones justas de fide historica fugisse concesseris. Ad idem genus sophisticum referenda sunt Philostrati Heroica, Ptolemaei Hephaestionis f. liber variae eruditionis, cujus argumenta apposuit Photius, in Bibliotheca, unde ea Gale iterum vulgavit. Thematum ex Homero propositorum exempla multa adhuc extant in Dione Or. LVI sqq. plura in Libanii Progymnasmatibus. Eodem referam, quod Schol. ad Il. E. 640 memorant *Meneclem* aliquem negasse, Herculem Trojam expugnasse; idem fabulam de Hercule cum pygmaeis pugnante novo modo interpretatus esse videtur, quod ex vetere Scholio ap. Eustathium ad Ψ. 1322, 28. colligere licet.

His ipsis tamen molestiores sunt *grammatici*, non antiquiores; nam ii fere, ut Crates, philosophica sequuti sunt, *Aristarchus* autem, profitente Eustathio (p. 3.) ab

omni interpretatione Homeri allegorica alienus fuit, et historica ac poetica ex suo quodvis genere declaranda esse censuit; sed grammatici seriores, qui nullo judicio adhibito arripiunt promiscue ea, in quae inciderant, et allegorias diversissimi generis colligant in eundem fasciculum, et disjunctissima copulant; digni itaque vix sunt, ut illis studium ullum adhibeas, nisi ubi ex antiquioribus deperditis fragmenta, interdum et judicia, apponunt. Ita in Scholia in Homerum et in Eustathii Excerpta Scholiorum, immigrarunt bona et mala omnis generis; ex *Porphyrio* aliisque: v. c. ad Υ. 66. 67. E. 385. Ita ad E. 722 memoratur *Demo* aliqua, (Δημῶ) quae φυσιολογῆσαι, h. e. fabulas Homericas physice exposuisse dicitur. Ineptissimus inter omnes est *Tzetza* in Antehomericis, Homericis et Posthomericis, qui etiam ad Lycophr. 177 profitetur: se allegorias comminiscendi sollertia multum praestare aliis et superare *Cornutum*, *Palaephatum*, *Domninum*, (haud dubie chronographum a Malela laudatum, v. Bentleii Epist. ad Millium p. 73) *Cephalionem*, (v. Excurs. ad lib. II. Aeneidos) *Heraclitum*, et alios: quos hic homo vix legerat, sed nomina tantum inaudierat.

EXCURSUS AD ILIAD. Ω.

EXCURSUS I.

Judicia virorum doctorum de rhapsodia Ω.

Saepe miratus sum, ab hac demum novissima rhapsodia criticam carminis Homerici severiorem inter recentiores initia duxisse. Nam antiqui grammatici in hoc libro egerunt easdem partes, quas in ceteris servaverant, ut versus tantum singulos reprehenderent aut damnarent, judicio non ubique satis subtili. Ipsi recentiores a singulis tantum versibus et verbis processerunt et dubitationes moverunt per se parum graves; nisi quod in unum congesta ea vim mutuantur; verba notarunt in ceteris Iliados libris haud obvia; mythos aut novos aut diversos ab iis, qui antea memorati fuerant; versus jam alibi lectos, loca imitatione expressa, alia nonnulla, quae reprehensione digna censerent; languorem prodere multa in hoc libro. Recte utique nonnulla; nulla ta-

men harum reprehensionum est, quae non pari jure ac modo in ceteris Iliados libris passim opportune adhiberi potuisset. Cur non animadvertebatur similes in locos, sententias ac verba? Cur a recentioribus ne veterum quidem auctoritas in iis notandis admittebatur? cur religioni duxerunt viri docti dubitare de locis, de partibus, in suspicionem vocatis? Verum de his alio in Excursu erit agendum; nunc de rhapsodia postrema.

Praeivit, si bene memini, ceteris Iensius Obss. de stilo Homeri ad calcem Lucubrat. Hesych. p. 290 loco ab Ernestio, quoque memorato: quem apponere haud gravabor. "Iliadis ultima videntur mihi nimis languida pro omnium "priorum hujus operis membrorum spiritu ac vigore; nec "arte, dignitate ac splendore cum praecedentibus posse "comparari." Nulla est rhapsodia, in qua non sint nonnulla quae langueant, saltem ad sensum nostrum. Omnino vero hoc subtilius est enuntiandum et languoris caussae et rationes sunt excutiendae. Languent alia vitio legentis vel audientis, taedio ex animi remissione nato; languere videntur alia comparata cum aliis magno cum affectu dictis et narratis; alia vitio ipsarum rerum, quae non habent quod animum valde moveat; alia vitio scriptoris, qui rebus satis dignitatis et gravitatis impertire haud novit, adeoque ingenio et arte haud satis valuit; alia, quia cum summa argumenti non sunt necessario nexa et conjuncta. Ita languere videri possunt per se omnia quae post Hectoris caedem sunt memorata; languent ludi funebres, languent alio modo nonnulla ex iis certamina; languebant tamen nec minus pari modo deorum praelia Il. Φ. Ita vero quam multa languere pari jure dici poterant in prioribus libris! statim extrema libri primi; navium et copiarum recensus Il. B. pleraque libri tertii; sic in sequentibus libris multa; ut reditus Hectoris in urbem Il. Z. pugna Ajacis et Hectoris nihil ad carminis summam faciens et sic porro. De his nihil monitum est; at in libro postremo, quod tam multa habet, quae affectus movent, quae mirationem faciunt novitate et gravitate, nunc tandem languere animadvertimus multa; et quae tandem illa sunt?

Audi Iensium sic pergentem: "Cur enim non adjicitur "universorum lamentatio simul, et magnifica Hectoris, "quem ibi tumulant, praedicatio, qua ita Ilias finiatur? "Lege, lector, et considera; videbis ultimos XXX *versus* "simplicem esse stilo simplici enarrationem, uti ligna ad "Hectoris rogum fuerint congesta; uti Hectoris cremati "ossa in urnam lecta, monumento superstructo fuerint con-

"dita; denique uti cibum post haec omnia ceperint; per-"inde ac si hodie rustici cujusdam narrentur funeralia." Quorsum tandem haec a viro docto disputata putabimus! Quae in reliquis libris magna cum laude efferuntur, quod tenuia tenuiter, magnifica magnifice narravit poeta, nunc in vitio habentur! Scilicet desinere voluit Iliadem in versus magni affectus plenos, qui aculeos in animo legentis relinquerent: quae seu orationis contentiosae seu tragoediae laus esse posset; non carminis epici, quod cum ipsa rerum narratione finita finiendum est. Lamentatio universorum et magnifica Hectoris praedicatio, quam se requirere ait, partim aliena erat post lamenta Andromaches, Hecubae et Helenae, partim inutilis, cum non nisi iteratione eorum, quae jam multo melius e persona aliorum, quos necessitudo cum Hectore ad multo acriores affectus movere debebat, dicta erant; erant similia jam ornatissime exposita loco multo opportuniore sub ipsam Hectoris necem sub Il. X. exitum, a patre, a matre, a conjuge; quae loca sunt inter gravissimi affectus ῥήσεις. Locus igitur lamentis iterum instituendis omnino haud erat; exponenda erat sepultura Hectoris. Atque hanc Iensius voluit esse ornatam, non *simplici enarratione* factam. Iniqua reprehensio. Nam primo summa haec est carminis epici lex, ut res simplices simplici oratione sint exponendae, nec ornamenta admovenda nisi iis quae ornatum desiderent aut natura sua admittant; tum innumera sunt per totum Homerum loca, in quibus tenuia non modo tenuiter, sed saepe jejune et, cum judicium prudentius in tenuibus brevitatem postulet, ad fastidium enarrentur; at vero ultimi hi XXX versus rem narratu necessariam exponunt cum brevitate et dignitate: quam tanto magis desiderabamus, quoniam similis sepulturae locus jam bis et copiose erat pertractatus; primo caesorum in primo praelio, Il. H. 421 sqq. tum Patrocli Il. Ψ. Si ergo Ilias in sepultura Hectoris subsistere debuit, (an hoc recte constituerit auctor totius carminis, alia, ac prorsus diversa, est quaestio) non video, quo jure aut qua lege postulari possit, ut aliter, quam in his versibus, et breviter, et graviter, factum est, narratio sepulturae institueretur. Nec vero altera ex parte artem aliquam et calliditatem in eo quaeram, quod in sepulturae memoratione substitit poeta; nam rhapsodiae novissimae argumentum hac ipsa sepultura finiebatur; et his ipsis rebus, struendo rogo, cremati corporis ossibus legendis, tumulo facto, epulo funebri curato, sepulturae honos continebatur. Nulla igitur, non magis laudis, quam reprehensionis, materia inesse videtur. Nimis acutum est, quod pu-

tarunt alii viri docti, poetam id egisse, ut lector carmen manibus deponeret animo ex lectione novissimorum levi aliquo moerore contacto. Venerat id in animum jam grammaticis antiquis: Schol. Victor. ad vs. 746 ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες. οὐ μόνον, inquit, αἱ γυναῖκες. πλείονα γὰρ ἐκίνησεν οἶκτον. ἐπὶ πλείστῳ δὲ ἐλέῳ καταστρέφει τὴν Ἰλιάδα. ὅθεν καὶ οἱ Ῥήτορες ἐν τοῖς δικανικοῖς ἔσχατον τιθέασι τὸν οἶκτον, ὡς κινοῦντα τὸν ἀκροατήν.

Subjicit tandem Iensius haec: "Neutiquam igitur hic ultima nec primis, nec mediis, respondent. Primus Iliadis "versus Μῆνιν ἄειδε, θεὰ, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος, tam paucis verbis, iisque sonoris, nec facile latine imitandis, summam "totius Iliadis, magnifici profecto vestibuli instar, habet: "at postrema hujus operis nihil habent illustre, nihil eminens; cum tamen deceat, non anticas modo, sed et posticas pulcri palatii partes habere aliquid, quod spectatori "admirationem ultra excitet, ejusque exspectationi satisfaciat." In hac censura vereor ut viri docti acumen satis se probet, ex praeceptis rhetoricis, non bene huc translatis, petitum. Primo omnia ad verborum laudem refert: quae in principio carminis magnifica sint, non aeque in extremis; atqui verba a rebus et sententiis pendent, et esse debent modo propria, tenuia, modo media, ornata, sublimia, prout ipsa res postulat; servato modo carminis colore; deinde verba primi versus nihil habent magnifici, nisi in solo verborum sono; non autem omnia eodem modo sonare possunt; porro falsa praeceptio est, extrema carminis verba, ut in epigrammate, aculeum debere in animo legentis relinquere; tandem falsum est, posticas aedificii partes debere admirationem non minorem, quam exprimit antica pars, movere; respondere ea debet alteri, nec eam dehonestare, non splendore ac magnificentia aequare, multo minus augere (*ultra excitare*, ait Iensius.)

Ex his a me dictis statuet quilibet pro suo judicio de Iensiana reprehensione; intra quam ille substitit; nihil enim de tota rhapsodia pronuntiavit, sitne pro adventitia habenda; neque ipse dubitasse videtur, eundem cum ceteris carminis partibus rhapsodiam hanc auctorem habuisse; languidiorem tantum extremam partem carminis esse putavit. Dawes Miscell. crit. p. 153 laborans in vs. 449. κλισίην—τὴν Μυρμιδόνες ποίησαν ἄνακτι, cum digamma quomodo bene restitueret, non haberet, pronuntiat "occurrere in hoc libro "multa, quorum similia nusquam alibi legantur, ut contineré se nequeat, quo minus in veterum sententiam concedat, qui totum hunc librum Homero abjudicarunt" qui

tamen veteres illi sint, haud memoravit; quod tamen avide expectabam. Non itaque miror Ernestium his aliisque argumentis parum tribuendum esse censentem, nonnulla quoque refellentem. Acutius vidit Wolfius Prolegom. p. CXXXV sq. sententiam esse latam caussa nondum satis cognita; se ipsum sensum eundem habuisse, nec modo in hoc libro, sed etiam in sex postremis Iliados rhapsodiis, in quibus talia quaedam occurrere videret, quae, nisi in hac compage, sed in Hymnis legerentur, dudum ab eruditis viris detecta et animadversa fuissent. Praeclare haec! quibus equidem haec addideram, et me sensum hunc habuisse, et mecum alios, nec vero modo in sex postremis libris, sed per totum carmen [a]. Non praevideram, virum doctissimum hoc in tam malam partem interpretaturum esse, ut, omnis officii et necessitudinis, quae inter nos erat, immemor, indignis modis in me inveheret; qui bene norat, me quoque in Homero interpretando per multos annos versatum esse, idque jam in Iliadis ed. pr. 1785 praefat. p. X. ipse publice significaverat, cum equidem neque antecedentibus neque insequentibus annis quicquam de meis consiliis publice meminissem; probabile itaque erat et me de his deliberasse; quod si profiterer, non erat, cur suspicaretur, me ei laudem suam subducere aut eam mihi, qui nullam in his laureolam quaerere soleo, vindicare velle—ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ. Subjicit dictis vir doctissimus p. CXXXVIII. " de his et aliis pluribus disputandum erit alias singulatim, " et intentissima cura, qua res tanta digna est." Verba prudenti et acuto critico digna! Manet ei per me omne jus hujus disputationis integrum; fieri enim non potest, quin subtilitas doctrinae et ingenii, quae in eo est, alia a me et ab aliis haud animadversa in medium proferat. Ego enim nihil pronuntio tanquam satis exploratum; hoc aio: dubitandi rationes esse satis multas, in alterutram autem partem statuendi caussas justas mihi quidem haud suppetere. Viri itaque doctissimi disputationem, qua omnis disceptatio perimetur, avide exspecto. Ego ea tantum nunc affero, quae mei consilii et operae rationes aut postulare aut admittere videntur; ex his autem mihi primo loco videnda sunt antiquiora; nunc quidem de postrema rhapsodia; de reliquis agetur in alio Excursu.

De rhapsodia quidem hac universa judicium veterum reperire potui nullum; nam quod Aristophanem et Aristar-

[a] v. *Götting. Gel. Anzeigen* 1795. p. 1857 sqq. et Commentationem *de antiqua Homeri lectione indaganda, judicanda et restituenda* 1795 *in Commentationibus Soc. R. Scient.* Vol. XIII p. 159 sqq.

chum censuisse memorant viri docti, ad Odysseae extrema spectat, non ad Iliados; petitum ex Eustathio ad Od. Ψ. 296. p. 1948, 47 sq. et Schol. br. ad eund. vs. ubi illi duo grammatici notantur, quod finem Odysseae ibi fecerunt, aliis repugnantibus. Quae alia a grammaticis notata sunt, ad singula loca spectant, non ad totam rhapsodiam. Est in his primo loco Zoili reprehensio ab Eustathio memorata ad Ω. 649 p. 1370, 4. "non esse probabile, regem noctu in castra venisse non ante missis legatis et venia impetrata, "eumque ingredi castra, excubiis haud animadvertentibus; "intrare eum tentorium tam bene munitum aditum habens; καινότατον δὲ καὶ, τὸ πεῖσαι τὸν ἄγριον, καὶ λόγοις θέλξαι "τὸ θηρίον (Achillem); porro improbabile esse, senem tanta "libertate uti, (παῤῥησιάζεσθαι) in precibus, et mortem filii "lamentari, cujus ne nomen quidem Achilles audire po- "tuit; tandem quod non veritus est, etiamsi Achilles eum "dimitteret, superventuros esse Agamemnonem et reges "ceteros, qui novas molestias objecturi essent; habere et- "iam parum probabilitatis somnum Priami et reditum, et, "quod corpus Hectoris per tot dies insepultum et male "multatum potuit esse incorruptum." Sunt haec judicia, si modo odium commune grammaticorum, de quo Vitruvii praef. libri VII. videnda est, ex veritate ea ad nos pertulit, hominis non recordantis, se in poeta versari epico antiquo, et ad rerum mirationem omnia comparata esse, et esse debere; non autem in historico recentioris aetatis, in quo recte talia quaeri possint[a]. Ita tamen sexcenties peccatum est in critica exercenda, ut et generis et aetatis et sermonis immemores aut ignari essent ii, qui valde acuti sibi esse videbantur in fetu ingenii quamvis praeclaro elevando. Responderunt ad ista Zoili olim alii: poetam jam monitis his occurrisse διά τε θείων προσώπων, καὶ διὰ δεξιότητος, καὶ δι' ὀνείρου, καὶ ἑτεροίων τρόπων ἐθάδων αὐτῷ.

Zoilo dimisso, si aliorum grammaticorum notata ad diversa rhapsodiae loca (nam universe, ut jam dictum est, de tota rhapsodia nihil pronuntiant) reputo, loca enim iterum exscribere haud vacat, unaque cum iis ea, quae ex recentiorum lectione memoria teneo, comparo: redeunt fere re-

[a] Mireris Zoilum non legisse Aristotelem de poetica c. 24, 6. ubi dixerat, τὸ θαυμαστὸν tragoediae esse, μᾶλλον δὲ ἐνδέχεται ἐν τῇ ἐποποιΐᾳ τὸ ἄλογον δι' ὃ συμβαίνει μάλιστα τὸ θαυμαστόν. Porro τὰ ἄλογα non in poetae sermonibus, sed in rebus narratis esse debere; defensionem ea habere in eo, quod semel factum aliquod probabile visum et creditum est, ergo et reliqua inde fidem foenerari: et si qua inciderent, orationis suavitate poetam ea temperare ac diluere: νῦν δὲ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς ὁ ποιητὴς ἀφανίζει, ἡδύνων τὸ ἄτοπον.

prehensa ad haec capita: occurrere in hac rhapsodia nonnulla nova, quae in ceteris Iliados libris haud legantur; in his mythos et voces; alia e superioribus esse repetita aut imitatione expressa. Jam sub initium Excursus monui, nihil horum esse, quod non pariter in aliis rhapsodiis reprehensioni locum faciebat simili. Memorantur utique in extremo hoc loco mythi alibi in Iliade non obvii: judicium Paridis vs. 28. Thetis a Junone educata, Peleo desponsa, et nuptiarum sollenne, cui dii interfuerunt vs. 59. Eadem Thetis Jovi assidens, Minerva de loco cedente vs. 100. Niobe vs. 602 cum Nymphis ad Acheloum vs. 616. Cassandra e muris prospiciens, vs. 699. vicesimus annus post Helenam raptam vs. 765. adde vs. 259. memoratos novem Priami filios, cum memorati essent L. sup. Z. 245. et quod XIX suscepti ex Hecuba vs. 496. Mercurium hoc uno loco a Jove missum, ut in Odyss. K. et E. in Iliade ubique Irin; hanc eandem in ima ponti se immergentem adeundae Thetidis caussa vs. 777. Atqui nullus facile est liber, in quo non mythi et narrata occurrunt in ceteris haud obvia; et statim primo libro, profectio deorum ad Aethiopes, Jupiter vinculis constrictus a diis et a Briareo prudenti Thetidis consilio liberatus; Vulcanus in Lemnum praecipitatus; Vulcanus pincerna; Juno a Tethy nutrita Ξ. 202. et sic in libris ceteris; ut catena Jovis de caelo demissa; totus liber Ξ. de Junonis congressu cum Jove; varia de Hercule; et sic alia. At verba occurrere clamant alibi non obvia, aut insolito sensu apposita. v. c. μέλας πόντος vs. 79. ὁ χέρνιβος vs. 304. κήρυκα καλήτορα vs. 577. ἐπίσκοπος vs. 729. ἀθλεύων πρὸ ἄνακτος 734. Nullus tamen alius est liber Iliados, in quo non occurrant ἅπαξ λεγόμενα. Illud vero omnino nullam vim habet, quod versus aliunde expressi aut repetiti iterantur, cum innumera hujus generis exempla in superioribus notata sint.

Adhuc nihil memoratum vidimus, quod non aeque de ceteris libris moneri possit, ut ideo statuendum sit, aut pari modo de omnibus esse judicium ferendum, aut nihil esse, quo hujus libri fides ac veritas in dubitationem vocari possit. Ad summum credere licebit, loca esse nonnulla aliunde illata. Nisi forte ita colligas: sane quidem singula ejusmodi animadversa non vim habere, sed habere ea junctim sumta, et uno in libro frequentiora, quam alibi, et cumulata, aliis inprimis, quae suspicionem faciant accedentibus. Auctoritatem vetustiorum circumspexi; et ecce ex hac rhapsodia laudatur vs. 54 ab Aristotele, Rhet. II, 3. κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων. Lectam quoque rhapsodiam Aes-

chylo arguunt, ex eo, quod vs. 63. 64 ei ante oculos fuisse statuunt; quod mihi tamen valde dubium habetur; v. Obss. ad e. l. Probabilius mihi fit, locum de subducendo Hectoris corpore jam Antimacho lectum esse, nam κλέψαι μὲν ἐάσομεν vs. 71. mutasse ille memoratur in κλέψαι μὲν ἀμήχανον. Verum tamen, vel sic, quod jure inde colligas, hoc tantum est, antiquum satis hoc esse carmen; non vero, et hoc, ab eodem auctore profectum esse, qui reliquam Iliadem condidit; hoc tamen est illud, de quo quaeritur.

Qui itaque Homero abjudicare volebant rhapsodiam postremam, hoc est, pro spuria et subdititia habere, non tam levibus de caussis id se effecturos esse sperare debebant; sed aut antiquam auctoritatem idoneam afferre, aut ex carminis natura ac lege docere, eam reliquis partibus haud respondere, non convenire summae, seu argumento, seu consilio, et abhorrere toto orationis poeticae et dictionis genere: unde probabile fieri possit, fieri vix potuisse, ut ab eo, qui reliqua tam scite et ingeniose composuit, adjicerentur alia prorsus absona et abhorrentia. Ut vero de hoc recte ac vere judicari possit, de totius carminis summa non ex vulgari notione est dispiciendum. Quisquis semel hoc admisit, summum argumentum contineri ira Achillis suscepta et placata, idque jam ab initio auctori carminis fuisse constitutum, nec minus tamen admittit, tanquam cum eodem argumento necessario conjuncta, ea, quae post Hectoris caedem evenerunt, Patrocli funus ludosque funebres: ille, si sibi constare vult, nullo modo repugnare potest, quo minus etiam redemtione corporis Hectoris partem carminis novissimam bene constitui censeat. Nam accedebat haud parum gloriae Achillis et tanto majus erat ejus κῦδος ac τιμή, corpore Hectoris ingenti pretio redemto; quo nomine ludos quoque Patrocli funebres defendere licet, quia eorum magnificentia ac splendor ad nomen Achillis *honorati* illustrandum aliquid conferre poterat. Jam autem haec quoque pars novissima, tantum abest ut videri possit supervenire praeter omnem expectationem, ut potius dicendum sit, narrata de raptatione Hectorei corporis dudum injuriae hujus et contumeliae memorabili aliquo modo finiendae spem injecisse, ne, contra morem ac legem boni poetae, nos cum detestatione atrocissimi facti et immanissimi ingenii in eo heroe, cujus admiratione nos detinere voluerat, dimitteret.

His dictis ad disputationem de totius carminis argumento, ejusque partibus, deducimur: quae nisi antea subtilius constituta fuerit, temere judicia nostra feruntur sive in reprehendendo sive in laudando carmine Homerico.

EXCURSUS II.

De Iliade universe, et de ejus partibus, rhapsodiarumque compage.

νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Vetustati ea debetur reverentia, ut ejus auctoritatem ac fidem religiose servemus, nec temere et praecipitanter labefactemus; altera tamen ex parte ipsa vetustatis cognitio duo nobis praecepta injunxit, primo ut nihil nisi ex antiquitatis sensu et indole dictum factumve interpretemur; alterum, ut rerum ab ea creditarum et traditarum fidem fundumque diligenter exploremus. Fides enim antiquitati habita et per multa saecula ad nos delata ortum et incunabula habuit inter eos homines, qui rerum notitiis, litteris et prudentia, nondum ita erant instructi, ut de narrationum fide ac veritate accurate quaererent, aut memoriae acceptae primordia et tanquam stamina prima investigarent; satis iis erat, id, quod traditum acceperant, etsi nec temporum, hominum, rerum rationibus subtiliter definitis, narrare, ceteris majorum notitiis ac memoriis inserere vel attexere, verbis ac sententiis ornare. Si itaque rem recte aestimare institueris, apparebit, posse haberi aliquid inter ea, quae antiquitatis auctoritate niti creduntur, quod tamen ab unius hominis opinione, forte levitate ac temeritate, profectum, ab iis, qui primi rerum notitias collegerunt et scripto tradiderunt, temere arreptum, mox inter antiquas memorias locum obtinuerit, nuncque vetustatis auctoritate se tueatur. Nihil itaque, quod non viri intelligentis et prudentis officio dignum sit, agere videri debet is, qui, antiquarum memorias excutere, fundumque ac fontem exquirere, ad studii doctioris rationes spectare putet. Redit autem omne hoc studium ad primam rerum creditarum auctoritatem, ut indagetur, qui primus auctor fuerit, qua fide, quo judicio, is ea, quae nunc inter vulgo credita referuntur, tradiderit: neque, si subtiliore judicio utaris, ulla firmitas satis idonea inest argumento, quod vulgo affertur, "per totam antiquitatem aliquid creditum esse;" videndum enim est primo loco, sitne recte creditum.

De Homericis carminibus ipsoque Homero obtinuerunt certae persuasiones, quas ipsa antiquitas multorumque saeculorum decursus conservasse videtur, ita ut, etsi de Homero nihil constare, ipsam patriam, originem, vitam, ignorari, vulgo pronuntictur, recepta tamen sint nonnulla tanquam indubitata, fuisse aliquem Homerum, qui iis tempo-

ribus, de quibus nihil aliud constat, et quorum nulla alia extant monumenta, duo magna carmina, unus condiderit; nec dubitationem injecisse videtur quisquam, praeterquam hoc, quod fuere, qui assequi se negarent, quomodo tanti ambitus carmina aut litteris perscripta aut memoriter recitata perdurare ad seriora tempora potuerint.

Fecit mihi saepe admirationem, quod opiniones vulgo receptas retinemus interdum tanquam ab omnibus qui unquam fuerunt, probatas, tametsi multi passim extitere, qui de iis dubitarunt. Satis constat, multos fuisse, qui, de Homero nihil sciri, nec sciri posse, ingenue professi sint; de antiqua carminum conditione nihil exploratum esse, credita esse temere multa fide aut levi aut nulla; ea, quae nos tenemus, grammaticorum commentis deberi; in ipsis carminibus esse multa, quae offendant et de Criticorum decretis dubitationem moveant. Omnibus his posthabitis obtinuit tamen vulgaris aliqua persuasio, tanquam unanimi veterum consensu roborata, de Iliade et Odyssea ab Homero aliquo remotissimis aetatibus condita.

Quod nec minus mireris, est, quod non animadversum est, quam parum definita sit ipsa illa persuasio, quandoquidem multa inter se diversa in ea continentur, multaque comprehensa sunt, quae affirmare nolis; quis enim credat, carminis tam antiqui formam et habitum fuisse eundem tot saeculis ante Graeciam ullo cultu excultam, qualem in eo nunc agnoscimus; sermonem, scripturam, pronuntiationem, non fuisse admodum diversam? Altera ex parte is, qui de antiquitate carminis et poetae dubitat, aut ei, quem vulgo edunt, Homero aut partes carminis aut totum abjudicat, non eo ipso pronuntiat spurium et subdititium illud esse, aut pro seriore fetu habendum; sed tantum ea, quae vulgo credita sunt, idoneo fundo destitui pronuntiat.

Dubitationes utique exortae sunt saepe et a pluribus, verum eae fere se intra *mirationem* continuerunt. Mirati sunt, quomodo carmina duo epica, omnium judicio praestantissima, quibus simile quid nulla alia, ut aiunt, aetas protulit, ab uno eodemque ingenio proficisci potuerint. Pauci eo progredi ausi sunt, ut rem parum verisimilem ita narrari pronuntiarent; quandoquidem ante omnes litteras natas opus, quod absolutissimum esse censent, prodiisse fertur. Ut enim hoc pronunties, necesse est, ut, animo et cogitatione a nostris litteris temporibusque avocata, in ea tempora te insinues, quibus poeta vixisse et carmina condita esse feruntur; ut hominum rerumque conditionem et statum, litterarum et ingeniorum culturam, quae tum fuerit, perspe-

ctam habeas, intentoque studio compares; haec si feceris, innumeras utique exoriri senties difficultates et dubitationes; hoc autem fieri non potuit, nisi ex quo antiquitatis, inprimis Graeciae, notitia ad severiores rationes judicii subacti revocata, criticeque historiarum subtilior, locum suum in litterarum studiis occupavit. Nunc enim et hebraicorum antiquissimorum, et graecorum, librorum auctoritatem prudentius, quam a majoribus nostris factum, constituere licuit.

Ex quo autem tempore nostra aetas quaestionem de Homero Homericisque carminibus agitare coepit, partim disputatio a levioribus processit, partim ea haesit in iis, de quibus in utramque partem pari jure disceptari possit, aut, ab obscuris et inexplicabilibus exorsa, explorata inde ac certa proferri posse putavit. Malim equidem a certis et exploratis pergere ad incerta; posthabita omni quaestione otiosa, ponere momenta rerum potiora, eaque, quantum quidem fieri potest, ita constituere, ut iis reliqua probabiliter superstrui queant. Porro, subtilius quam adhuc factum esse vidi, discernendum esse puto inter momenta, argumenta et subsidia, quibus ad quaestionem solvendam utendum est; sunt enim ea diversi generis; omnis quippe de Homericis et de Homero quaestio partim historici generis est, et ex principiis criticae historicae dijudicanda; partim grammatici, ut criteria colligantur carminum tum interna, tum externa, e quibus judicium probabile fieri possit; paucissima fide historica, h. e. scriptorum fide certa et auctoritate nituntur, plurima sagaci judicio de rerum narratarum indole, temporum rationibus, et ex ipso carmine sunt elicienda.

Quod autem tam sero in hanc quaestionem deventum est, non est mirandum; partim enim superiore aetate virorum doctorum persuasio et auctoritas verecundiam, nonnullorum quoque supercilium metum, injiciebat iis, qui in antiquarum litterarum studio a sollennibus formulis et judiciis diversa apud se statuebant; partim studium Homericum iis ipsis temporibus, quibus philologiae et criticae grammaticae studia quam maxime vigebant, nunquam auctoritatem habuit eam, quam expectares esse debuisse; itaque haec quoque quaestio de Homericis carminibus non magnopere doctorum virorum acumine vel industria digna esse visa est. Opus est plerumque multarum fortuitarum rerum concursione, ut hominum ingenia convertantur ad aliquid, quod ante pedes erat positum; si semel conversa fuerint, tanquam signo edito certatim in illud, quod tam diu neglectum erat, involant ingeniorum studia.

Fuisse tamen per omnes aetates viros acutos, qui de carminibus Homericis non cum vulgo statuerent, facile credas. Commemorabo multa hujus generis in Sectionibus sequentibus. Sunt loca jam ex Kustero nota: Josephi in Apionem lib. I, 2. qui διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, memorat, et Aeliani, qui tanquam rem vulgo notam apponit: ὅτι τὰ Ὁμήρου ἔπη πρότερον διῃρημένα ᾖδον οἱ παλαιοί. unde sequitur, non nisi serius ea fuisse collecta ac disposita. Δολώνειαν (Il. K.) insertam esse in Iliadem ap. Schol. Vict. Lips. Eustath. legitur. v. Obss. Episodium de Glauco alios alio loco consecrasse, notarunt veteres: v. Obss. ad Z. 119. Eustathii verba obvia sunt statim ad prima Iliadis verba A. 1. etsi rerum momentis admodum confusis; et p. 6 extr. τοῦ δὲ ἀπαγγέλλειν τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν, ἀρχὴν ἐποιήσατο Κύναιθος ὁ Χῖος etc. Et sic alia ap. eundem, ut p. 957, 10. In vulgus nota sunt, quae de diversis auctoribus Iliadis et Odysseae disputata sunt. Notum quoque Bentleii judicium compagem rhapsodiarum multo seriorem esse Homeri aetate pronuntiantis. Nec facile puto aliquem a perlecta Iliade discessisse, quin de carminis summa et fortuna multa animo volveret. Non itaque mirum, si mihi quoque idem evenerit; idemque mihi commune esse cum aliis, ex familiarium sermonibus intelligebam; nihilque, quod admodum ingeniosum esset, in ea seu ariolatione seu dubitatione inesse suspicabar; de quaestionis tamen summa aliquid ponere aut statuere, in illud tempus differebam, dum comparatis copiis, quae ex Villoisoni promissis tum expectabantur, omninoque exhausta omni in Homerum opera, suspiciones varias animo insidentes ad certa rerum argumenta deducere possem. Videbam enim editori Homeri haud dubie eam quoque quaestionem attingendam esse; nec tamen aliter id exsequi animo constitueram, quam, ut ea, quae prudenti et attenta consideratione adhibita se mihi probassent, libero animi judicio proderem, in exquirenda autem veritate tenerem morem meum, ut in re ab antiquitate tradita ab initio nihil pro certo statuens, rerum argumentis expensis *expectarem, quid statuendum sit;* et in neutram partem propensus, nullo placito, auctoritate nulla, inclinato animo, primo loco de primo auctore seu rei narratae seu judicii et opinionis, disquirerem, sejungeremque ea, quae serius ab aliis opinata accessere; ita porro semoverem incerta a certis, magisque probabilia a minus probabilibus discernerem, nec admitterem, nisi ea, quae probabili ratione nituntur, nec tamen ne his quidem plus auctoritatis tribuerem, quam res ipsa suppeditat: tandem ut, quae non liquent satis, profiterer mihi

non liquere, quae dubitationem habent, videri mihi esse dubia, ambigua et incerta. De Homero itaque agendum esse statuebam sic, ut non ab Homero, sed ab iis, quae manibus tenemus, carminibus initium explorandi receptas opiniones facerem; atque ab his ad auctorem exquirendum progrederer.

Rem itaque omnem per aliquot Excursus ita distribuere constitui, ut *primo loco ea*, quae narrata seu, ut nos loquimur, *historica fide tradita sunt*, conquiram quantumque *auctoritatis* iis insit, edisseram; tum ut *de Iliadis argumento et partibus, earumque compage* paullo diligentius agam, interpositis iis, quae *de rhapsodis et rhapsodiarum recitationibus* memorata sunt; ita tandem ea, quae *de earum auctore, Homero*, narrantur, excutiam.

Antequam haec persequar, vel verbo monebo: primo loco, ne quis vereatur aut suspicetur, honori et laudi carminis, aut poetae antiquitati ac dignitati, aliquid detractum iri, contra vero id agi, ut opinato aut falso credita ab exploratis ac veris discernantur, istisque improbatis locum suum sibi vindicent haec altera; tum vero, persuasum sibi quisque habeat, me non refellere aut elevare velle cujusquam alterius judicium, sed me proponere tantum ea, quae, trutina diu suspensa, maturiori judicio probanda mihi visa sunt; per me nunc licere unicuique et ipsi judicio frui suo, nec me, cum ipse expertus sim, quam difficile sit, senem me dediscere ea, quae puer didiceram, (nam etiam mihi disciplina puerilis exuenda fuit) quenquam in sententiam meam pertrahere velle, multo minus cum quopiam in disceptationem descendere; obtestari tamen me viros doctos per communes litteras, ut, si haec digna esse judicent, quae impugnent ac refellant, id faciant ita, ut ne ingenua et honesta litterarum studia per contumeliose dicta et scurriles sarcasmos, dum sibi faceti esse videntur, dehonestent, nec, dum aliorum nomini detrahere volunt, ipsi suae laudi et litterarum nostrarum dignitati detrahant; illiberale esset, si quis mihi invidiam facere vellet; tantum enim abest, ut quicquam novare et paradoxa sectari velim; ut potius antiqua, eaque veriora, quaestione rite constituta et ad capita sua revocata, firmare studeam.

ἀλλὰ πίθεσθε καὶ ὔμμες, ἐπεὶ πείθεσθαι ἄμεινον.

SECTIO I.

Ea, quae de Iliade historica fide tradita videri possunt.

ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν.

Dixi, omnem de Homero quaestionem ad *criticam historicam* esse revocandam, et si de Homero ejusque carminibus quaeratur, primo loco quaerendum esse, quidnam *fide historica* stabilitum sit; cum autem ea testium fide et auctoritate nitatur, in medium ante omnia hos esse producendos; primo quidem loco aequales aetate, sin ii defuerint, saltem aetate proximos. Neutrum tamen genus testium superest; nam quae in Hymnum in Apollinem inserta sunt, 168 sq. nemo ab ipso Homero profecta esse dixerit; ex Chiorum studio Homeri et antiqua fama serius ducta ea esse, aliunde doceri potest. Commemorantur Homeridae apud Chios fama obscura et incerta: de qua v. inf. Sect. III. Sequitur, quod Lycurgus notitiam aliquam Homericorum carminum Spartam adduxisse fertur; verum et hoc fama incerta et obscura traditum est, nec constat quo auctore antiquiore; nam Heraclides Ponticus ἐν ταῖς Πολιτείαις primus narrationis auctor editur: v. inf. Sect. IV. Inde per trecentos annos nulla extat memoratio; sequitur ea, quae de Pisistratidarum et Solonis stúdiis in rhapsodiis recitandis extat. v. inf. Sect. III. omnia ex fama parum constituta. Putabimusne haec habere vim auctoritatis ac fidei historicae certae et exploratae? Nihil amplius ex his constat, quam inter Iones, et maxime Chios, extitisse carmina, singulatim recitari solita, quorum notitia Spartam perlata esse potuit; trecentis annis serius Athenas, majore honore ac studio eas excepisse; nihil amplius.

Interea ex antiquis his temporibus servata est memoria multorum ἀοιδῶν, qui carmina sua docuerunt seu decantarunt; in ipsis Homericis ii inducuntur res Trojanas canentes; ita ut appareat, jam tum multos fuisse, qui carmina epici argumenti confecissent ipsique cithara vel lyra accinente, inter epulas aut in hominum coetu, recitarent; carmina ea complexa esse singulas historias, singula heroum facta memorabilia, deorum quoque; eaque fuisse argumenti cognati, ut de Ulyssis consiliis et fatis; quae facile in corpus aut compagem redigi possent.

Jam autem ante et post Pisistratidarum et Solonis tempora memorantur plures, qui, praeter ea quae Iliadem et Odysseam constituunt, alia quoque carminibus condiderant, ita ut cyclus aliquis carminum et fabularum prodiret cum

Troicus, tum universe mythicus; fuit Arctinus, fuit Lesches, circa Olymp. XXXIII, Stasinus, carminis Cyprii auctor, tum Pisander Camirensis eadem aetate, Heracleae auctor; interea lyricorum et tragicorum ingenia inclaruerant. Verum de his disertius erit dicendum inf. Sect. IV. de rhapsodiarum compage.

Prima Homeri et antiquissima memoria extat apud Pindarum, qui Pyth. IV, 493 versum Homericum ex Il. O. 207. respicit, τῶν δὲ Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος ῥῆμα πόρσυν᾽. ἄγγελον ἐσλὸν ἔφα τιμὰν μεγίσταν πράγματι παντὶ φέρειν. porro Ulyssem inclaruisse ait, laboribus ejus Homeri carmine in majus auctis Nem. VII, 29 ἐγὼ δὲ πλέον ἔλπομαι λόγον Ὀδυσσέος, ἢ πάθεν, διὰ τὸν ἀδυεπῆ γενέσθ᾽ Ὅμηρον etc. Ajacis virtutem celebratam esse ab Homero Isthm. IV, 63 ἀλλ᾽ Ὅμηρός τοι τετίμακεν δι᾽ ἀνθρώπων, ὃς αὐτοῦ πᾶσαν ὀρθώσαις ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν. Idem Ὁμηρίδας memorat, eorumque ἔπη ῥαπτά. de quibus inf. Sect. III. Ea prima vestigia utriusque carminis, Iliados et Odysseae.

Inde Herodotus, qui lib. II, 53 Homerum et Hesiodum CCCC. fere annis ante se vixisse profitetur, nihilque adeo praeter famam antiquam de ea tenere potuit, ab iisdem mythos de diis accuratius esse constitutos et distributos narrat; lib. II, 115 videri Homerum de Paridis et Helenae in Aegyptum adventu audiisse et ex pluribus narrationibus eam elegisse censet, quae carmini maxime conveniret. Idem eod. loco diserte memorat Ἰλιάδα et Ὀδύσσειαν; et ex illa quidem Διομήδους ἀριστείαν, recitatis quoque versibus, qui nunc Il. Z. 289 habentur, porro versus ἐν Ὀδυσσείῃ, qui Δ. 228. 352 sqq. leguntur; cumque in Cyprio carmine narrarentur diversa, colligit, hoc esse diversi auctoris. Similiter de Epigonis dubitat lib. IV, 32. Porro lib. II, 23 eum, aut alium poetam antiquum Oceani nomen invenisse videri. IV, 29 laudat ἔπος ἐν Ὀδυσσείῃ de agnis in Libya nascentibus cornutis. Od. Δ. 85. Et V, 67 Clisthenem Sicyone narrat rhapsodorum recitationes sustulisse. Tandem lib. VII. 161 Atheniensium legatus ad Gelonem, nos Athenienses, τῶν καὶ Ὅμηρος, ὁ ἐποποιὸς ἄνδρα ἄριστον ἔφησε ἐς Ἴλιον ἀπικέσθαι, τάξαι τε καὶ διακοσμῆσαι στρατόν. respiciens ad vs. 554. Il. B. de Menestheo.

Thucydides Homeri aliquoties meminit: primo I. 3. ubi nomen Hellenum antiquitus ad solam Achillis in Phthiotide ditionem pertinuisse docet: τεκμηριοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος, πολλῷ γὰρ ὕστερος ἔτι καὶ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενος. iterum I. 9. de Agamemnone Arcades in ditione habente, ὡς Ὅμηρος τοῦτο δεδήλωκεν, εἴ τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι. versus est B. 612 et

B. 108. porro I. 10 ubi antiquiores Graeciae urbes cum praesenti statu comparat, τῇ Ὁμήρου αὖ ποιήσει εἴ τι χρὴ κἀνταῦθα πιστεύειν, ἣν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι. Idem tamen lib. III. 104. ad eundem refert Hymnum in Apollinem, ut hinc quoque appareat, quam parum critico judicio tum usi sint viri docti in antiquorum carminum auctoritate constituenda.

Hae igitur sunt antiquissimae, quadringentis tamen annis seriores, auctoritates, quibus extitisse duo carmina Homero alicui tributa testatum sit, neque tamen quicquam inde amplius constat, nec adjectum, qua fama, qua fide hoc acceptum aut creditum sit. Nec plura ex Platone didiceris, etsi multis in locis Homerum memorat, et versus Homericos recitat, rhapsodosque una cum exemplaribus eorum scriptis. Verum de his dicetur Sect. III. Nam lectionem Homeri fuisse jam tum in liberali disciplina habitam satis constat; ipsum quoque drama tragicum ex eo prodiisse Aeschylumque cum Sophocle et Euripide ex eo pependisse; philosophos autem physicos, Xenophanem, Parmenidem, Empedoclem, mythicam orationem ex eo adoptasse; oratione quoque pedestri mythos ex Homericis aliisque expositos esse a Pherecyde, inde a multis. De his quidem nulla est controversia. Narrata autem de Homero et varia commenta quae serior aetas tulit, exquirentur Excursu III. de Homero, Iliadis auctore.

Cum itaque tam pauca de Homero *fide* constent *historica:* sequitur liberiorem campum patere *conjecturae,* dummodo illa sit *probabilis;* hoc est, si petita illa fuerit partim *ex ipso carmine,* ut criteria inde eruas, quae seu antiquiorem seu seriorem ejus aetatem, condititionem, habitum, arguant, partim *ex rebus externis,* quae vim habeant ad eadem haec declaranda. Utendum est in his judicio firmo ac stabili, ut non adsciscas aut inferas ea, quae jam antea ariolatus sis aut somniaveris, sed ut impetum sustineas expectesque, quid ex pluribus probabiliter possit colligi, quid inter plura sit probabilius; haec autem probabilitas constituenda est non ex sensibus nostris, vita, judiciis, institutis, litteris nostris, verum referenda sunt omnia ad tempora antiqua, in quibus ista peracta sunt, et cum eorum sensibus, conditione, more, nexuque eorum cum antecedentibus et sequentibus aetatibus comparanda. Ita subnascitur analogia aliqua rerum, et sensus ejus, seu judicium animi, informatum ex multarum rerum prudenti comparatione et, modo conjunctione modo disjunctione, ut facile assequamur ea quae conveniant et respondeant ceteris, de quibus nobis jam liquet, utque at-

temperemus animadversa aliis jam animadversis, tanquam partes totius seu species generis. Comprehensa sane haec sunt sub generali interpretationis praecepto, qua videndum est, ne ulla sententia verbis subjiciatur, nisi ex eorum, qui scribunt vel loquuntur, sensibus et judiciis. An recte haec se habeant, quae dicta et scripta sunt, alius generis et indolis est quaestio. Secundum haec, omnis critices seu historicae seu grammaticae, principia ac praecepta exponam Sect. II. quae *ex ipsa Iliade de antiquiore Iliadis forma et habitu* colligi possint; Sect. III. quae *de fatis Homericarum rhapsodiarum*, tanquam partium, narrata sint, tandemque Sect. IV. *quid probabiliter inde sequatur* de *rhapsodiis in compagem redactis.*

SECTIO II.

De Iliados argumento et de partibus carminis.

ἤσω γὰρ καὶ ἐγώ, τάδε κεν Διΐ πάντα μελήσει. P. 515.

Duplici modo argumentum Iliados constitui potest: altero *ex ipso carmine*, altero *ex expositione* primorum versuum: in quibus promittitur *ira Achillis, et perniciosa ejus effecta per clades Achivorum, ex Jovis consilio; cum caussa irae motae ex contentione cum Agamemnone;* adjecta inde expositio, quomodo ea inde nata sit, quod Apollo luem immiserat propter injuriam sacerdoti supplicanti illatam, pro qua cum satisfaciendum esset reddita parenti filia capta, Agamemnon repugnavit, nec captam reddidit, nisi accepta alia captiva, Brisae filia, Achilli erepta, cui ea pro praedae parte honoraria data erat. Proprie itaque ad expositionem carminis non spectant nisi illa priora vss. 1—7. Sane quidem naturali rerum ordine et nexu expectandum erat, ut cum ira ejusque malis narraretur quoque, quomodo ira Achillis placata fuerit; quod cum effectum esset, caeso Hectore: carminis promissi utique argumentum erat absolutum; alienaeque sunt rhapsodiae duae ultimae. Neque haec latuere viros doctos alios, neque alia, quae mox exponam; attigit quoque Wolf. Prolegom. p. CXVIII.

Altero modo si *ex ipso carmine* argumentum constituitur: inde a lue immissa, quaesitoque remedio per satisfactionem pro contumelia, sacerdoti facta, laesaque ἱκετείας religione, cum inde ira et contentio inter Achillem et Agamemnonem orta esset, constituitur argumentum *per secessum Achillis ab armis*, procedit *per pugnas et clades Achivorum*, donec *Achilles iterum arma cum Achivis jungit:* quod quomodo effectum sit, est illud, quod ipsam medullam, ut ita dicam, corporis

animati constituit; nos nodum carminis appellamus; inventum per se simplex; nimirum, Patrocli amicissimi Achilli caedes; mira tamen sagacitate temperatum, cum ex Jovis consilio ductum sit, ut per clades Achivorum eo res adducatur, ut Patroclum in pugnam exire jubeat Achilles; Jupiter autem Thetidis precibus eo adductus sit, ut rerum fortunam eo modo moderaretur. Caeso Patroclo Achilles in aciem prodit ad amici caedem ulciscendam, magnaque strage Trojanorum edita Hectorem jugulat; parat inde funus Patroclo, tum ludos funebres, servato ad contumeliam Hectoris corpore; donec Priamus de eo redimendo consiliis initis filii corpus recuperat et Trojam reportatum sollenni sepulturae honore humat. Prodit ita narratio satis bene constituta, disposita et ex ipso rerum gestarum ordine ad naturalem suum exitum perducta; ut jam nihil supersit, de quo amplius quaerendum esse videri possit. Non autem, si haec sequaris, pronuntiari potest, unice iram Achillis constituere carminis argumentum; non enim subsistit illud in ejus effectibus, aut in ejus placatione. Nisi dicere malis, ad iram placandam etiam Patrocli funus et ludos funebres et redemtionem Hectoris pertinere.

Sane quidem, quod *ira Achillis* carminis argumentum constituere dicitur, ex interpretatione ad verbum facta profectum esse videri debet; nam, si recte interpretationem institueris, apparet, si prooemii verba ad sermonis rationes revocaveris, poetice enuntiata esse: *μῆνιν ἄειδε, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγεα θῆκε* pro vulgari: *ἄειδε τὰ μυρία ἄλγη, κακὰ, ἃ μῆνις Ἀχιλλέως Ἀχαιοῖς ἔθηκε.* non ira Achillis, sed mala eam insequuta, pugnae et clades Achivorum, carminis summam constituunt. Hactenus, inter plura temere cumulata, locum habet unum illud, quod in Eustathio p. 5 legitur: *σκοπὸς δὲ αὐτοῦ τοῦ βιβλίου, ὡς καὶ αὐτὸς ἐν προοιμίῳ ἐκτίθεται, εἰπεῖν ὅσα κακὰ ἐν τῷ καιρῷ τῆς τοῦ Ἀχιλλέως μήνιδος καὶ οἱ Τρῶες, καὶ οἱ Ἕλληνες ἔπαθον.* Hoc sane est, quod ceteris omnibus, quae a grammaticis de summa Iliadis et argumento dicta reperi, praeferam. Sane nomen tam latae notionis *Ἰλιὰς ποίησις*, *carmen Iliacum*, movet suspicionem, latuisse primum carminis auctorem id ipsum consilium, quod *τοῦ ἔπους* indolem propriam constituit, ut unam tantum actionem complectatur; accommodatius nomen erat haud dubie *Ἀχίλλεια*, posset ita carminis summa constitui, *Ἀχιλλέως ἀτιμία καὶ τιμὴ*— omnia enim eo tendunt, ut Achilli satis pro injuria fiat, non in Briseide, quasi ab eo amata, sed in honore laeso, quaerenda; quemadmodum nec belli Trojani caussa in Helena rapta, sed in injuria omni Graeciae per ejus raptum illata,

constituenda est. Verum simili vitio laborant nomina multarum tragoediarum, quae argumenti dramati proprii notionem idoneam haud suppeditant.

Jam si quaeritur, utram argumenti constituendi rationem praeferre malis, non dubito alteram ex ipso carmine petitam videri debere probabiliorem; illam priorem carmini praefixam a parte carminis, primaria quidem ductam, nisi ab arte et subtilitate esse profectam dixeris, quam tamen in poetam antiquiorem cadere vix credam, non satis respondere carminis narrationisque summae.

Narratio ipsa ad momenta et partes potiores revocari potest, quibus tanquam per intervalla stationes constitui possunt, unde, tanquam reparatis viribus, cursus denuo procedat; fixae eae, ipsis rerum narratarum momentis: non ex arbitrio aut ex fortuito. Haec sane divisio erit naturalis et rebus ipsis consentanea: cui subjectae sunt partitiones aliae minores. *Prima* carminis pars haberi potest: contentio mota, Jupiter Thetidis precibus expugnatus, tacitumque ejus consilium, adducendi res ad exitum quem vellet per clades Achivorum; estque haec tanquam πρότασις τοῦ δράματος. nam ad ipsum actum res inde adducitur; dum per somnium a Jove immissum Agamemnon circumventus copias educit, contemto Achille; fit primum praelium, fortuna in neutram partem conspicua; cf. Excurs. II. ad Il. Δ. Haec peracta Il. A—H. possunt per se carmen integrum constituere.

Discerni in his facile possunt partes aliae partim ex re, partim per episodia inductae. Memorabiliores sunt: navium et copiarum recensus; Il. B. Paridis et Menelai pugna Il. Γ. cum Paride victo domum reduce male excepto ab Helena. In ipso praelio eminent Diomedea Il. E. quae carmen singulare constituere posse videntur: variatis rerum eventis modo aliquo singulari, inductis in ipsum praelium diis Marte, Minerva, Venere. Totus fere Z. per episodia exigitur; Heleni consilio Hector ingreditur urbem et Minervae supplicationem per matronas Trojanas indicit; Hectoris digressus ab Andromache; et in medio carmine inde a vs. 119 ad 236. congressus Glauci cum Diomede, pars carminis sejuncta a ceteris. Nova pugna ex provocatione Hectoris cum Ajace, iterum carmen singulare; nexu arte quaesito omnia haec inter se coagmentata esse apparet.

Nova rerum facies existit medio Il. H. vs. 306 vel 312. deliberatione in castris et in urbe habita de bello solvendo;

proposita a Nestore castrorum munitione per vallum eductum; induciis pactis et caesorum sepultura; succedit nunc B. *altera pugna*, varia primum fortuna; tandem Achivi in castra se recipere coguntur; Hector noctem sub dio exigit ex adverso castris Achivorum. cf. Excurs. I ad Λ. Haec narratio, prorsus dissimilis superiori, nullis onerata est episodiis alienis; et decursum habet liberum, vereque epice narratum; ut sit inter praestantiores sui generis habenda.

Diversi generis carmen subjicitur: legatio ad Achillem Il. I. et hinc alterum Il. K. de nocturno Diomedis et Ulyssis egressu ad speculanda Trojanorum castra et de Dolonis caede. utrumque potest pro insertis haberi. III. *Pugna fit tertia* cum *oppugnatione castrorum*, τειχομαχία; explet narratio libros Λ—Σ. 1—238. cf. Excurs. I ad Λ. et Excurs. I ad M. Comprehendit hoc carmen partes varias: primo loco Ἀγαμέμνονος ἀριστείαν, Λ. 1—283. Hectore instante Achivis varia fortuna pugnatur, tandem Achivi fugantur 284—595. Interponitur episodium de Patroclo ab Achille ad Nestorem misso, vs. 596 ad f. libri. Sequitur nunc M. τειχομαχία quae per se carmen constituere potuit. Inde N. Ξ. O. expugnato vallo pugna fit intra castra, variis eventis ornata, Neptuni interventu, Idomenei ἀριστεία, usque ad navem unam crematam. Nunc Πατρόκλεια incipit a Π. cui jam supra, ut modo memoravi, prolusa erant nonnulla arte mirabili, Il. Λ. 597 sq. Patroclo ab Achille misso, ut de vulnerato, quem prospexerat, quaereret, et apud Nestorem devertente, inde apud Eurypylum, ibid. 808 et O. 390—404.

Πατρόκλεια inde a Π. continuatur usque in Σ. 238. In hac pressior ubique, nec ornamentis et episodiis variata est narratio; at interposita esse plura, nectendae narrationis caussa, ut superioribus libris, in deorum inprimis ministerio, consentiat narratio, facile animadvertas. Si Πατροκλείας partem ultio quoque Patrocli caedis caedes Hectoris constituit: procedere illa debuit per reliqua carminis, usque ad finem Ψ. interpositis tamen non paucis quae ex Achilleide aliqua profecta esse videri possunt, et ad carmen de Achille spectarunt; ut redintegrata inter Agamemnonem et Achillem gratia Il. T. et omnis pugna cum Trojanis et Hectore; quo referam etiam partes, quae diversum plane characterem habent: novi clipei fabricam Il. Σ. Pugnam deorum inchoatam Il. Υ. nec peractam nisi Il. Φ. Nisi credere malis, post Πατρόκλειαν novum carmen successisse, simile illis, quae supra vidimus, in quibus insignior modo Agamemnonis, modo Idomenei, modo Ajacis, virtus

eminebat, ut nunc simili more Achillis in pugna cum Hectore, quae ipsam Achilleidem constituere potuit, elucesceret.

Certe nova *pugna*, eaque *quarta* et ultima procedit inde ab Il. Υ. de qua cf. Excursum ad e. lib. in qua multa nova ac peregrina, nemo non qui ad carmen legendum accessit, observare debuit; maxime concursu, moxque conflictu deorum facto, inductis etiam diis, qui superioribus carminibus rerum Trojanarum et Achivarum curam nullam habuerant; singulare carmen pugna inter Aeneam et Achillem eminet in hac parte; pugna Achillis παραποτάμιος, ad fluvium Scamandrum, novi omnino generis est carmen, ut nec minus pugna deorum, quae manifesta habet vestigia alieni ortus et diversi ingenii: magna sunt phantasmata, sed judicium poetae parum severum; nec cum carmine reliquo Iliaco fabula est conglutinata. Ad Patrocliam iterum reditum est in libro de ludis funebribus Ψ. De Il. Ω. nihil post superius dicta Excurs. I. addere opus est.

Omnino facit mirationem, quod tam diversarum gentium et familiarum mythi confluxerunt in unum carmen; Pelopidarum, in Peloponneso, cum Argivis; Achillis e Peleo et Thetide nati, omninoque Aeacidarum, in Thessalia; una cum Patroclo et Myrmidonibus; Diomedis et Aetolorum; Idomenei et Cretensium: et sic reliqua; porro quod heroum facta et laudes in diversas rhapsodias digestae sunt: ἀριστεῖαι Menelai; Diomedis. Ajacis. Agamemnonis. Hectoris. Patrocli. Achillis. Inventum utique per se utilissimum ad vim poeticam in singulis non in communibus memorandis exserendam; quandoquidem poetae omnia ad unum et satis definitum aliquod sunt revocanda, ut habeat phantasia, in quo defixa immoretur; in generalibus enim et communibus illa distracta languescit.

Quisquis, nihil antea sibi persuasum habens, in Homericae Iliados lectione ad rerum narratarum partes, earumque nexum attenderit, in ea, quae commemoravi, aut his similia inciderit, necesse est, etsi hoc illudve aliter quilibet constitueret. Eidem animadversioni convenit, quod veteres diversas omnino a nostris rhapsodias laudant; traditum porro acceperant, rhapsodias ab initio sparsim, σποράδην ac sigillatim habitas, nec nisi serius in corpus coactas esse. De altero hoc postea memorabitur; nunc de rhapsodiis antiquorum videbimus, de quibus locus classicus est Aeliani V. H. XIII, 14. alia loca apud Strabonem, Dionysium Halic. Athenaeum; et jam olim apud Herodotum et Platonem; alia in Scholiis antiquioribus occurrunt partim haud

dubie seriora. Enotabo ea, quae mihi comperta sunt; appositis libris nostris, ad quos referri possunt[a].

A. Λοιμὸς καὶ Μῆνις. Λιταί. h. e. Chrysis supplicatio.

B. Ὄνειρος. Κατάλογος. Βοιωτία. Νεῶν κατάλογος ap. Aelian. l. l. et saepe ap. Strabonem. Διάπειρα ap. Strabon. lib. II p. 326[b]. alludit eo ἀπόπειρα ap. Dionys. Hal. Art. rhet. 12 cum paullo ante dixisset: τὰ ἐν δευτέρῳ τῆς Ἰλιάδος.

Γ. Ὅρκοι. Τειχοσκοπία. Μονομαχία Ἀλεξάνδρου καὶ Μενελάου. Ap. Strabon. l. l. Πρεσβεία. nam adscribuntur vss. 221. 2. 3. ex libro III. spectata Ulyssis eloquentia—καὶ ἐν τῇ Πρεσβείᾳ ἐν ᾗ φησιν. ἀλλ' ὅτε δὴ—alioqui ad librum I. referre mallem.

Δ. Ὁρκίων σύγχυσις, ap. Aelian. l. c. Ὁρκίων ἀφάνισις. Ἐπιπώλησις Ἀγαμέμνονος. ap. Strabon. IX p. 604 B. liber IV.

E. Διομήδους ἀριστεία ap. Herodot. II, 116. adscriptis tamen verss. ex Z. 249. 250. 1. 2. quos sive ipse, sive alius adscripserit, apparet tamen ex ipsa re aut Diomedeam etiam librum VI complexam esse, aut in Herodoti exemplari hunc librum adhaesisse ei, qui quintus nobis est. liber V.

Z. Ἕκτορος et Ἀνδρομάχης ὁμιλία. inde a vs. 237. liber VI.

H. Ἕκτορος καὶ Αἴαντος μονομαχία. Τάφος τῶν νεκρῶν inde a vs. 323 Τειχοποιΐα. liber VII.

Θ. Κόλος μάχη. nocte ingruente diremta. Θεῶν ἀγορὰ vss. primis lib. VIII.

I. Ἀπόπειρα. Πρεσβεία. Λιταὶ, ap. Platon. in Cratylo adscriptis vss. 640. 1. p. 428 C. ap. Strabon. I. p. 33 A. et ap. Athen. I. p. 18 B. liber IX.

K. Δολώνεια, et ap. Aelian. l. l. Δολωνία. Δολωνοφονία. Νυκτεγερσία. Ῥῆσος. liber X.

Λ. Ἀγαμέμνονος ἀριστεία. etiam ap. Aelian. l. l. liber XI.

M. Τειχομαχία. liber XII.

N. ἡ ἐπὶ ταῖς ναυσὶ μάχη. (liber XIII) etiam ap. Aelian. l. c. cum qua conjunctae fuere Ξ. O. quae (libri XIII. XIV. XV) antiquitus unam rhapsodiam constituebant; etsi inscriptae sigillatim.

Ξ. Διὸς ἀπάτη, liber XIV, et

O. Παλίωξις, liber XV.

Π. liber XVI. Πατρόκλεια. etiam ap. Aelian. l. c. una cum libro XVII. et libro XXIII. (Ψ.)

[a] Attigi haec jam in *Epimetro* ad Commentat. *de antiqua Homeri lectione* Vol. XIII Commentat. Soc. R. Sc. G. Ibidem quoque de rhapsodiis Odysseae.

[b] Ait Ulyssem probasse eloquentiam ἐν τῇ Διαπείρᾳ, ἐν ταῖς Λιταῖς, ἐν τῇ Πρεσβείᾳ. v. ad e. l. Casaub. et viros doctos ad Aelian. l. l.

P. XVII. Μενελάου ἀριστεία.
Σ. Ὁπλοποιΐα.
T. Μήνιδος ἀπόρρησις.
Υ. XX. ἡ θεῶν μάχη. Θεομαχία, una cum sequente.
Φ. XXI. παραποτάμιος μάχη. αἱ παραποτάμιαι, scil. μάχαι, ἡ θεῶν μάχη.
X. Ἕκτορος ἀναίρεσις.
Ψ. Ἀγὼν ἐπιτάφιος. ap. Aelian. l. l. etiam ap. Athenaeum. ἐπὶ Πατρόκλῳ ἆθλα.
Ω. Ἕκτορος λύτρα. Λύτρα simpliciter ap. Aelian. l. c.

Divisio rhapsodiarum, quam nunc habemus, Aristarcho tribui solita (Vita Hom. Plutarcho trib.) Alexandrinorum acumen omnino sapit; neque ejus fundamentum fuit aliud, quam ut libri inter se essent mole et versuum numero fere pares, et ut alphabeti litteris responderent; fieri itaque non potuit, quin duo, quae reprehensioni obnoxia essent, inferrentur; alterum ut in narratione nondum absoluta liber subinde finiretur, alterum ut nexus caussa versus insererentur otiosi et repetiti in fine prioris et initio alterius libri: quos notatos locis suis reperies.

Omnino grammaticis Alexandrinis irascimur, aut fato, quod eorum labores nobis invidit, quod de iis, quae nobis omnium maxime necessaria et utilia erant, nihil tradiderunt. Scire avebamus, si non ea, quae nos in critica scriptorum requirimus, codicum notationes diligenter factas, saltem lectionis, quam repererant, notationem qualemcunque, rhapsodiarum antiquiorum numerum et ordinem, et quid ipsi, ut novam divisionem in XXIV libros conderent, in carmine mutarint. Potuere multa in tot eorum libris, quorum tituli supersunt, narrata esse; verum pauca ea, quae inde in Scholiis nostris antiquioribus servata sunt, versantur pleraque in tenuibus et exilibus lectionis varietatibus; ut pigeat memorata videre nomina illustria editionum Massilioticae, Chiae, Argivae, Sinopicae, Cypriae, Creticae, omninoque, τῶν πόλεων, vel κατὰ πόλεις, quibus opponuntur αἱ κατ' ἄνδρα, hominum privatorum codices, ut Schol. A. ad Ψ. 88. et tam pauca inde bonae frugis ad nos redire. Verum, ut dixi, judicium de omni Grammaticorum opera universe facere non possumus, cum nos accuratior memoria destituat; neque eam ex dicto hominis, qui sibi dicax videri volebat, Timonis Phliasii, elevare velim: qui rogatus quaenam lectio Homeri esset verissima: respondisse fertur, eam quae in antiquis exemplaribus habeatur, non ἐν τοῖς ἤδη διωρθωμένοις· ap. Diog. Laert. IX, 113. Diversa inter se sunt, acute dictum et vere dictum. Multo minus probandum est, quod

Lucian. in Ver. Hist. II, 20. ab Homero in Elysiis dictum narrat: omnes ἀθετημένους versus scriptos a se esse. Ipse sensus communis unumquemque edocet, in carmine quod memoriter traditum et a rhapsodis repetitum mox antiquis litteris scriptum, inde in scholis lectum fuit; cujus singulae rhapsodiae in manibus habitae sunt, cum contra paucis carmen totum inspectum et cognitum esset, in tali carmine fieri non potuisse, quin, per aliquot saeculorum decursum, interpolationes, variationes et corruptelae illud occuparent; ne commemorem alia, quae casus, usus versuum a scriptoribus passim memoriter laudatorum, etiam Tragicorum, qui ex Homericis modo argumentum sumserant, modo versus et loca adumbraverant suis versibus, eorum, inquam, studium, inferre potuit. Inde quoque de singulis exemplis quaestio plerumque est ambigua, si v. c. ab Aristophane in avibus Iridi tribuitur, vs. 575 Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος ἔφασκ' ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ, quod Homerus E. 778 Junoni et Minervae tribuit: possitne hinc colligi, Homeri lectionem aliam fuisse Aristophanis aetate; nam memoriter multa alii parum accurate laudarunt. Quod Aeschines in Timarchum p. 141. ed. Reisk. φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε laudat, quod nunc in Homericis non occurrit, haud una ratione excusari potest.

Nullum est tempus, de quo plura scire aveam, et nihil traditum esse tam valde doleam, quam illud, quo primi codices litteris exarati fuere; primo, suspicari licet, unius et alterius rhapsodiae, inde plurium; qua cura putabimus eas ex rhapsodorum ore, unius an plurium, exceptas et perscriptas esse ab hominibus scribendi arte et usu parum exercitatis? quo judicio et dilectu lectionem esse constitutam? pluriumne rhapsodorum consensu, an unius alteriusve auctoritate ac fide? fieri enim non potuit, quin magna esset memoriter recitantium varietas et diversitas in singulis versibus ac locis: num in uno exemplari omnis ista industria substitit, an plura a pluribus perscripta fuere apographa ex diversorum rhapsodorum ore accepta? Haec omnia cum ignoremus, de antiquiore Homericorum carminum conditione aliquid pro explorato statuere haud licet.

Ceterum nos integrum eundemque Homerum habere, quem Alexandrini grammatici manibus triverunt, et qualem ipsi constituerunt, dubitari nequit[a]: nam quae post haec

[a] Non habemus Homeri codices, cujus generis sunt codices sacrarum litterarum hebraici et graeci sermonis, in quibus versuum numerus adscriptus est: apud Alterum tamen Hom. Iliad. e cod. Vindob. praef. Vol. II p. XVII et p. 559 video e codice memorari versus Iliados 15640. ιε̄ χιλιάδες, καὶ χ̄. μ. At in nostris exemplaribus vulgatis versuum nu-

tempora librarii vel grammatici intulere vitia non tanti momenti sunt, ut dubitationem faciant; sunt quoque magna ex parte per viros doctos sublata, tolli possunt alia, contra alia sunt emendatiora, quam quae ipsi grammatici in suis exemplaribus habuere, critices principiis melius nunc quam tum perspectis et constitutis. Hactenus olim dixi, Homerum nos habere minus vitiatum quam Virgilium. Aristarchi partes ut in Homerica lectione pro suo ingenio et pro critica istorum temporum fuere praecipuae, ita quoque ejus lectionem pro fundo esse habendam nostri Homeri, haud dubito; eam tamen aut ubique restitui posse aut ubique restituendam esse, persuasum mihi haud habeo.

Aliter constituta est quaestio, si de temporibus antiquioribus quaeritur. Hic discernenda sunt duo diversa tempora: alia lectionis fortuna et conditio esse debuit ad illud retro tempus, quo litteris exarata carmina manibus hominum versata fuere; alia per eas aetates in quibus a rhapsodis decantata fuere carmina. Sane tum cum, a rhapsodis adhuc recitari solita, et auribus excepta, litteris consignari coepere, imperfecta, quae tum erat, litterarum notatio et dialectus antiqua Ionica, jam aliquantum mutata, et, si Athenis primo perscripta fuere carmina, pronuntiatio ipsa ab Ionica deflexa, multa inferre debuerunt in exemplaria scripta, quae nunc suspicari quidem possumus, in paucis aut agnoscere aut demonstrare; nisi forte, quantum ad omissionem et postea ignorationem digammi attinet: de quibus quae mihi videbar ariolatione aliqua probabili assequi, in *Excurss.* ad Il. T. *de digammo* ad Il. Φ. *de dialecto Homeri Ionica* ad Il. Ψ. *de grammatica Homeri imperfecta*, apposui; add. Excursus ad P. *Obss. prosodicas et grammaticas.* Nec tamen per litterarum notas auctas et mutatas aut per pronuntiationem mutatam tanta vulnera infligi potuerunt, quae corpus pulcrum omnino foedarent; naevos tantum et leves maculas ista potuerunt inurere vel adspergere. Hactenus accedendum est doctissimo Knight p. 77. pronuntianti, non tantas mutationes subiisse Homerum, ut non videri debeat, adhuc esse idem, quem antiquiores, saltem Alexandrini, habuere.

Graviora vitia inferri potuere, et subinde illata esse videntur, per rhapsodos, quod sexcentis locis vidimus decla-

merus conficitur 15684. forte librarii incuria μ scriptum est pro ϖ. E Cod. Paris. enotatum video a V. C. Tollio: *οἱ πάντες στίχοι τοῦ Ὁμήρου εἰσὶ λγ καὶ· χμι.* quae corrupta esse videntur. Hoc enim positu λ esset 12000. dixeris γ adjectum cum illo numero 15000 efficere: at fieret hoc insolenti prorsus modo.

ratum; cum illi sententias novis versibus explerent, memoriter alia repeterent alieno loco, alia omitterent, alia de suo adderent similia iis quae aliis rhapsodiis recitata meminerant.

Maximas interpolationes intulisse necesse est eos, qui rhapsodias in corpus aliquod compegerunt; si quidem ut unum tenorem et narrationis et sententiarum totum carmen haberet, fieri aliter vix potuit, quam ut multa passim insererentur nexus et juncturae caussa. Cujus rei antiquam jam habemus auctoritatem apud Schol. Pindari Nem. II, 1. et ex iis Eustath. p. 6 extr. qui Cynaethum, inquit, rhapsodum aiunt multa corrupisse, et una cum ipso alios, quum multos versus a se factos insererent: ἐλυμήναντο δὲ φασὶν αὐτῇ (τῇ Ὁμήρου ποιήσει) πάμπολλα οἱ περὶ τὸν Κύναιθον, καὶ πολλὰ τῶν ἐπῶν αὐτοὶ ποιήσαντες παρενέβαλον. Porro notus Josephi locus in Apionem I. pr. ubi Iliadem ait, primo memoria rhapsodorum servatam, ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, καὶ διὰ τοῦτο πολλὰς ἐν αὐτῇ σχεῖν τὰς διαφωνίας. Verum antequam de hoc aliquid prudenter statui possit, de rhapsodorum recitationibus, et de ipsa rhapsodiarum compage est dicendum.

SECTIO III.

De Iliade per rhapsodias recitata, et de rhapsodis.

Ψεύσομαι ἢ ἔτυμον ἐρέω. κέλεται δέ με θυμός. Od. Δ. 140.

Carmina Homerica olim per rhapsodias sigillatim habitas recitata esse, notissima res est vel ex Aeliani dicto. V. H. XIII, 14. ὅτι τὰ Ὁμήρου ἔπη πρότερον διῃρημένα ᾖδον οἱ παλαιοί. neque id aliis auctoritatibus indiget; idque mirifice cum totius carminis habitu et partibus convenire, jam ante vidimus; etsi satis tuto definiri nequit, quot numero eae rhapsodiae fuerint: eas σποράδην habitas esse, ita ut alii alias haberent, hoc est, ut rhapsodi alii has, alii illas, edidicissent et memoriter recitarent, ex eo ipso intelligitur.

Multi de his egere viri docti, etiam post Kusterum et Salmasium in hist. crit. Homeri. s. 4. nuper quoque vir doct. Wolf. Prolegom. Liceat mihi meo more apponere ea, quae mihi in haec inquirenti observata sunt.

Non sequar eos, qui ab etymo rem declarare voluere; videamus potius ipsam rem et usum loquendi. Convenit in hoc omnis antiquitas, antiquioribus temporibus carmina non lecta, sed recitata esse memoriter, cum actionis tamen genere, dramatico fere more; ita poetas, ita eorum carmina alios memoria servata recitasse. Credendum itaque est, nec aliter Homerum carmina sua protulisse in vulgus, quam in

coetibus hominum recitando; idque ipsum a veteribus traditur, etiam de Hesiodo: ῥαψῳδῆσαι δέ, φησι, πρῶτον τὸν Ἡσίοδον, Νικοκλῆς. ap. Schol. Pind. l. c. Serius adhuc Xenophanes ἐῤῥαψῴδει τὰ ἑαυτοῦ (περὶ φύσιος) Laert. II, 46. Quid vero alios memoro? an non ipse Homerus inducit ἀοιδὸν ῥαψῳδοῦντα, in Odyssea Θ. 500. Demodocum?

Fuerunt post Homerum homines, qui carmina ex eo audita et ipsi recitarent, dicti Ὁμηρίδαι et ῥαψῳδοί. Etenim universe pro rhapsodis nomen Homeridarum usurpatum esse, apparet vel ex Plat. Phaedro p. 252 C. ubi Ὁμηρίδαι τινὲς λέγουσιν, ait, δύο ἔπη εἰς τὸν Ἔρωτα, et quidem ἐκ τῶν ἀποθέτων, *reconditis*, minus notis. add. de Rep. X. p. 599. E. Nárrabant Chii apud se fuisse *Homeridas*, Ὁμηρίδας, quos illi, repugnantibus tamen aliis ab alia caussa nomen familiae ducentibus, ap. Harpocrat. in Ὁμηρίδαι, ediderunt e familia poetae et heredes carminum fuisse, et ea carmina decantasse; ex iis fuisse Cinaethum circa Olymp. LXIX. Schol. Pindari Nem. II, 1. quod Scholion est primarium, exscriptum ab aliis, etiam ab Eustathio; idem multis ineptiis est oneratum in Scholiis ad Dionysii Art. gramm. ap. Villois. Diatribe p. 181 sq. Memorabilis res esset, si per quingentos et quod excurrit annos eam familiam floruisse et famam nomenque poetae servasse vere traditum est. Cinaethum illum Syracusas abiisse necesse est, nam in ea urbe primus ῥαψῳδῆσαι memoratur. Schol. Pind. l. l. Antiquissima de Homeridis auctoritas est Acusilai Argivi, qui eum aetate fere attingere debuit, apud Harpocrationem in Ὁμηρίδαι. loco illustrato a Sturzio in Fragm. Acusilai p. 61. Proxima est Pindari Nem. II, 1. qui Timodemum ait victoriarum initium fecisse a certamine Jovis, ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται Διὸς ἐκ προοιμίου h. e. ἄρχονται προοιμίου ἐκ Διός. Laudat versus et ex iis Homeridas Strabo XIV p. 955 B. Cum his Homeridis voces ῥαψῳδεῖν et ῥαψῳδῶν frequentantur, et creduntur ab iis Homerica carmina accepisse et recitasse alios quoque ῥαψῳδοὺς dictos. Pindarus eos appellat ἀοιδοὺς ῥαπτῶν ἐπέων. ita illi dicebantur ἀείδειν ἔπη ῥαπτά. quod vix alio sensu dictum esse potest, quam ut sint carmina composita, contexta, verbis ad metri legem junctis. Nec discrepat judicium Philochori, ap. Schol. Pind. l. c. qui ἀπὸ τοῦ συντιθέναι καὶ ῥάπτειν τὴν ᾠδὴν ducit, et ex fragm. Hesiodi etsi supposititio, laudat: ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν. nam eodem redit, ἀείδειν τὰ ῥαπτὰ ἔπη, et ῥάπτειν ἀοιδήν, h. e. ὑφαίνειν τὰ ἔπη, ὥστε αὐτὰ ἀείδεσθαι. ut dictum ῥάπτειν κακά, δόλους et al. Ita et ipse poeta, qui suos versus recitat, ἀείδει ῥαπτὰ ἔπη, et is, qui aliorum recitat; uterque ῥαπτῳδός, et lenius ῥαψῳδός,

quo ipso concidunt mira etyma vocis a grammaticis (v. Schol. Pindari Nem. II, 1 et Eustath. p. 6.) excogitata de partibus carminis sparsis ab ipsis apte connecti solitis, aut de ῥάβδῳ, quam manu tenuisse feruntur; quo videtur spectare, quod in Theogonia Hesiodus de se ait, vs. καί μοι σκῆπτρον ἔδον Musae, δάφνης ἐριθηλέος ὄζον etc. etiam verum esse potest, eos cum sceptro, seu baculo, aut virga, ut olim dicturos, in concionem prodiisse. Memoratur ῥάβδος locis Pindari et Callimachi, utroque obscuri sensus. Pindar. I. IV, 66. Ajacis virtutem Homerus κατὰ ῥάβδον ἔφρασε θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν. possit sane per se intelligi φράσαι κατὰ ῥάβδον, ad sceptrum, quod tenet poeta decantans, sed structura postulat κατὰ ῥάβδον ἐπέων θεσπεσίων, quod accipiendum videtur, κατὰ στίχον, διὰ στίχους, versus. Ita sentire debuit Menaechmus ap. Schol. Pind. l. c. Μέναιχμος δὲ ἱστορεῖ, τοὺς ῥαψῳδοὺς στιχῳδοὺς καλεῖσθαι, διὰ τὸ τοὺς στίχους ῥάβδους λέγεσθαι ὑπό τινων. cf. Pausan. IX, 30. p. 768. et Callimach. Fragm. Bentl. no. CXXXVIII. p. 497 τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον ἠνεκὲς ἀείδω δειδεγμένος. hic ἀείδειν μῦθον ὑφαινόμενον ἐπὶ ῥάβδῳ videtur esse πρὸς ῥάβδον, ut carmen decantetur ad sceptrum, cum sceptro, quod rhapsodus tenet. v. ad Pindar. l. c. Videtur τῷ ῥάπτειν ἔπη convenire τὸ ὁμηρεῖν, ex ὁμοῦ ἄρειν, coaptare, coagmentare, ab ὁμήρης, ut θυμήρης, et alia: unde Musae ap. Hesiod. Theog. 39 φωνῇ ὁμηρεῦσαι, h. e. ὑμνοῦσαι. Unde facile subnascitur suspicio, nomen ipsum Homeri hinc ductum esse, ut altera ex parte fabulam de caecitate ab alio vocis Ὅμηρος significatu ortum habuisse probabile fit.

Servatum inde nomen ῥαψῳδῶν iis, qui aliena declamabant, discreti ποιηταί; etsi et inter ῥαψῳδοὺς fuere, qui et ipsi versus fecerunt, ut Cinaethus, de quo modo dictum est, ad quem hymnum quoque in Apollinem retulere. (Schol. Pindari) Prooemia eos praemisisse, forte ab ipsis condita, invocato Jove, ex Pindaro patet. Declamarunt autem non modo Homeri et Hesiodi, sed et Archilochi, Mimnermi, Phocylidis, carmina: qua de re v. Athen. XIV, p. 620 C. Verbo ante frequentatum apographorum curandorum usum carminum recitationes fieri solitae sunt.

Simillima autem erat recitatio actioni scenicae, et rhapsodi voce, gestu, ipsam rem reddebant, affectus movendo, lacrimis rem miserandam, terrore horrendam, redhibendo (v. Plato in Ione p. 535 C.) ὑπεκρίνοντο δραματικώτερον. Ita recitatio erat ad modos instituta, ita ut cantui esset propior; unde ᾄσαι dicuntur ipsi, et ab ipsis carmina μελῳδηθῆναι, et ὑποκρίνεσθαι, quia cum gestu et actione mimica; ap.

Athen. l. c. ὑποκρίνεσθαι τῶν Σιμωνίδου τινὰς Ἰάμβων ἐν ταῖς δείξεσι (leg. ἐπιδείξεσι.) Non mirum itaque factam recitationem etiam in θεάτροις ibid. Constituti quoque ἀγῶνες, more Graeciae et proposita praemia; agnum memorat Schol. Pindari l. c. Nem. II, 1. etsi haec non perpetua fuisse credo; neque vocabulo ἀγῶνος moveor, quo Graeci late utuntur quoties aliquis in publico aliquid peragit ἐπιδείξεως caussa. Nobilissimus ἀγὼν Athenis ab Hipparcho institutus Panathenaeis; et eadem aetate rhapsodorum certamina Sicyone habita esse ex Herodoto discimus, qui lib. V, 67. narrat Clisthenem ῥαψῳδοὺς ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι vetuisse τῶν Ὁμηρείων ἐπέων ἕνεκα, quod in iis Argivorum, quos ipse odio insectabatur, praedicantur laudes. Ionem victorem in Asclepiis Epidauriorum τὰ πρῶτα τῶν ἄθλων reportasse memorat Plato in Ione, pr. Assumti quoque aliquando ἀγῶνες ῥαψῳδῶν in sollennia Olympiorum: ita ex Dicaearcho Athenaeus ibid. narrat Olympiae καθαρμοὺς esse recitatos; et Dionysium Syracusis rhapsodos Olympiam misisse (Olymp. XCVIII, 1) ad recitanda carmina a se facta: ἔπεμψε δὲ καὶ ῥαψῳδοὺς τοὺς κρατίστους, ὅπως ἐν τῇ πανηγύρει τὰ ποιήματα προφερόμενοι ποιήσωσιν ἔνδοξον τὸν Διονύσιον. placuere poemata primum διὰ τὴν εὐφωνίαν τῶν ὑποκριτῶν (rhapsodos memorat) mox autem explosa fuere: v. ap. Diodor. XIV, 109. Ita facile inter artes τῆς ὑποκριτικῆς referri potuit τὸ ῥαψῳδῆσαι ap. Aristot. Poet. 26. et Twining V. C. p. 549. Conf. Grammaticum in Biblioth. Coislin. p. 596. med.

Ex his apparet, tam constantem antiquitatis usum recitandi carmina fuisse, ut nihil novi habendum hoc sit memoratum de Homeri carminibus; ita vero nec de scriptura et de carminibus Homeri scriptis his aetatibus omnino quaeri potest, cum nec magis aliorum poetarum carmina scripto consignarentur. Tam parum conjuncta est cum quaestione de Homericorum carminum antiquitate illa quaestio de artis scribendi invento; tantum abest, ut ea fundum disputationis constituere possit. Inventum multis saeculis antecessit usum frequentiorem, et in aere saxoque substiterat, donec inventa esset materia habilior.

Rhapsodos ἐκ διαδοχῆς Homericam poesin recitasse, narrat Schol. Pindari Nem. II, 1. qui Ὁμηρίδας nominat; et noto loco Diog. Laert. II, 9. s. 57. Solon lege sanxisse fertur, τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι. quod ille interpretatur: οἷον, ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. Simplicius dixeris alterum alteri deinceps successisse, partibus carminis recitandis, quia nemo erat, qui totum carmen memoria teneret, sed alius alias partes. Quo ipso firmatur,

quod aliunde constat, rhapsodias singulatim esse recitatas; etsi fieri potuit, ac debuit, ut plures rhapsodias cognati argumenti jungerent, quo ipso homines incidere debuere in alterum inventum, ut pluribus rhapsodiis inter se junctis corpus aliquod conficere tentarent.

Vulgato hoc et ubique recepto usu τοῦ ῥαψῳδῆσαι factum est, ut vox illa tandem simpliciter loquendi more communi modo pro, recitare, modo pro, canere, vel ποιεῖν, frequentaretur. Apud Lucianum sic est ἃ Ὅμηρος ῥαψῳδεῖ. Jam olim Sophocli Oed. T. 399. Sphinx dicta est ῥαψῳδὸς κύων, et Eurip. Alcest. 540 ὡς δή τί δράσων τόνδ' ὑποῤῥάπτεις λόγον; h. e. ὑποβάλλεις. λέγεις.

Serius τὸ ῥαψῳδεῖν in contemtum venit: quoniam res in artem mercenariam abierat; mercedem ab audientibus exigebant, adstantium circulum obibant numos colligendo, ipsi ornati veste pretiosa et corona: (v. Ion. p. 535.) tum homines indocti artem profitebantur, qui ipsum carmen memoria tantum comprehensum parum intelligerent, et imperitia cum arrogantia ridendos se doctis praeberent: id quod ex locis Xenophontis et Platonis constat; in Xenophontis quidem Sympos. 3, 6 Socrates ait ἔθνος ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν haud esse; meliores interpretes, a quibus Niceratus institutus sit, memorat Stesimbrotum, Anaximandrum, et alios multos: si modo hoc ad Homeri lectionem revocare licet. Mem. Socr. IV, 2, 10. Fuisse tamen etiam, qui arte sua probarentur, credere licet, et colligas vel ex verbis Platonis de Legg. II, p. 658 D. ubi dixerat, adolescentes probare comoedias, τραγῳδίαν δὲ αἵ τε πεπαιδευμέναι τῶν γυναικῶν praeferunt (unde necesse est, mulieres tragoedias spectasse) pergit: ῥαψῳδὸν δὲ, καλῶς Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ἤ τι τῶν Ἡσιοδείων διατιθέντα, τάχ' ἂν ἡμεῖς οἱ γέροντες ἥδιστα ἀκούσαντες, νικᾶν ἂν φαῖμεν πάμπολυ. Video passim Platonis Ionem ita memorari, quasi hoc propositum ille habuerit, ut rhapsodos in contemtum adduceret, tanquam omnium rerum ignaros, et sonos tantum rhythmosque carminum reddentes. Quod ita se non habere, ipse dialogus docet, quo id Socrates agit, ut, non arte ac scientia rhapsodos declamare doceat, sed afflatu aliquo divino; hoc est, ad nostrum morem sentiendi, vehementi animi motu et affectu earum rerum, quas carmen tractat, specie et imagine vivida rerum objecta, correpti. Veram itaque notionem τῆς ῥαψῳδικῆς constituere voluisse videri debet, non Ionem aut rhapsodos omnino in contemtum adducere quippe qui, ut actores in scena tragoedias, ita ipsi τὰ ἔπη recitant cum actione, gestu et affectu. An altius consilium Platonis animo insederit,

ut et philosophos esse innuere voluerit δι' ὑπονοίας, qui non arte et scientia, sed phantasiae afflatu correpti commenta subtilissima proferant, quae sensus communis respuit, haud dicere ausim.

Memorantur rhapsodi adhuc Alexandriae decantasse, et comoedus Hegesias in magno theatro ὑποκρίνεσθαι τὰ τοῦ Ἡροδότου, Hermophantus autem τὰ τοῦ Ὁμήρου. ap. Athen. XIV. p. 620 D. Obscura sunt quae de Homeristis leguntur ap. Athen. XIV p. 620 B. ὅτι δὲ ἐκαλοῦντο οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ Ὁμηρισταὶ, Ἀριστοκλῆς εἴρηκεν ἐν τῷ Περὶ χορῶν. τοὺς δὲ νῦν Ὁμηριστὰς ὀνομαζομένους πρῶτος εἰς τὰ θέατρα παρήγαγε Δημήτριος ὁ Φαληρεύς. (haec ex Athenaeo Eustath. habet ad Ω. p. 1360, 37.) Nomen *Homeridarum* designasse aliquando studiosos Homeri patet ex Ione Platonis pr. (ubi v. Mueller. p. 14.)

Ceterum ex iis, quae exposita sunt manifestum fit, male sub eadem notione comprehendi rhapsodos diversarum aetatum. Primis enim aetatibus ῥαψῳδοὶ dicti ipsi poetae, ἀοιδοὶ, qui carmina sua recitabant; inde ii, qui aliorum carmina memoriter recitabant, verum etiam sua, hactenus erant poetae; inde res versa in artem, et dramaticum ἀγῶνα, habitaque res inter ἀγῶνας μουσικούς. Serius successere homines indocti, vani et arrogantes qui nec poesin ipsi edocti essent nec res in carminibus narratas, sed laudem omnem ex declamatione appeterent.

SECTIO IV.

De rhapsodiarum compage.

Νῦν δ' εἴη, ὃς τῆσδέ γ' ἀμείνονα μῆτιν ἐνίσποι. ἢ νέος ἠὲ παλαιός. ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη. Il. Ξ. 107. 8.

Iliadem ex variis partibus constare dixi, idque neminem non animadvertere posse ac debere, quocunque tandem modo eas partes sejungendas aut copulandas, omninoque constituendas, esse opinetur. Eas tamen in eam compagem tanta cum arte esse collectas, ut unum aliquod argumentum constituant, partium inter se nexu probabili, nemo non nec minus miretur. Atque in hac miratione defixa fuit mature ipsa antiquitas, praeeunte inprimis Aristotele, tanquam primo, qui nobis innotuit, hujus judicii auctore: quem sequuti alii illam unitatem tam perfectam et in singulis quoque partibus absolutam ediderunt, ut negarent ullum versum esse qui non suo loco positus sit, tanta cum sagacitate, ut si eum exemeris, tota moles corruitura sit: *quia*, ut est apud Macrob. V, 3. *tria haec ex aequo impossibilia* judicabantur, *vel Jovi fulmen, vel Herculi clavam, vel versum Homero subtra-*

here. Suborta inde est religio et sacer horror, cui similem una et altera aetate ante nos patres nostri viderunt in Critica sacrarum litterarum, ut nemo auderet carmen animi sui judicio subjicere; sin naevum aliquem offenderet, ut non de naevo, sed statim de medela, saltem de excusatione aliqua vel defensione alicunde petenda, cogitaret. Nisi tamen nobis ipsi imponere volumus, fatendum est, quod per totum decursum Observationum in singulis monitum est, multa inserta esse, quae cum summa carminis non necessario, interdum nec commode satis conjuncta sunt, alia quae curam ac studium produnt ingeniosi hominis, qui subinde uncinos, quibus diversa jungeret et constringeret, hamulos et fibulas admoveret, interdum et lapillos intergerinos interponeret, ne moles hiaret. Commissuras has bene jam perspexit et ad serioris poetae ingenium referendam esse compagem, censuit perspicaciss. Wolf. in Prolegom. p. CXXX sq.

In his manifestum est, post Aristotelem multos et multo magis recentiores in ejus vestigiis non substitisse quippe qui epopoeiam cum tragoedia comparans c. 23. de Poetica actionem unam, totam ac perfectam constituit, eamque εὐσύνοπτον, episodiis distinctam: at nusquam tam arte conjunctas ait esse partes Iliadis vel Odysseae, ut nihil possit abesse; nec asserit hoc Longinus aut Horatius. Quod Aristoteles pervidit, et acutissime vidit, est discrimen inter expositionem unius rei gestae, seu actionis, et plurium actionum, quarum altera alteram temporis progressu excipit; inter Cyclicos et Homerum hoc erat quod discrimen constituebat; et ad animadvertendum erat promtum, inter omnes narrationes epicas hanc Homericam esse unam praestantissimam; hanc animos maxime movere ac tenere, hanc rerum varietate delectare et multas alias habere virtutes: ut in Oedipo Rege felicitas argumenti simplicitate sua exemplum perfectae tragoediae adumbrat. Ducta hinc est doctrina de unitate epici carminis, tanquam summa virtute; hanc Virgilium summa cum cura ac subtilitate reddere voluisse ex ipsa carminis oeconomia apparet.

Majores utique ac potiores partes summa ingenii subtilitate coagmentatas esse patet; multo magis, si eas antea solitarias ac sparsim habitas esse cogites. Cum semel Achillis ira in Agamemnonem pro fundo esset posita: eductas eo contemto per Agamemnonis superbiam copias, etsi fortissime pugnantes cladem tamen magnam et iteratam accepisse facile expectes, donec ipse Achilles arma iterum consociaret cum Achivis: per totum autem carmen ante oculos hoc habetur mira cum arte; nec minore cum sagacitate,

forte etiam majore cum subtilitate, per diversos gradus, cum detineamur expectatione, quidnam ad Achillis iram placandam et ad mutandum consilium adducturum sit Achillem, res eo deducitur, ut Patroclus miseratione Achivorum commotus copias Myrmidonum educendas ab Achille impetret, suaque temeritate sibi fatum maturet, Achillis autem animo dolorem tantum injiciat, ut in amici mortem ulciscendam unice intentum animum habeat, atque ita ad arma capessenda iterum prodeat: hactenus *proprium* Iliadis argumentum sunt *fortunae Achivorum et Trojanorum vicissitudines ex ira Achillis ejusque postea virtute.* Exponuntur tamen eae *non per se*, sed eo respectu ac consilio, ut per eas Achillis virtus insigniatur, quippe qua destituti Achivi succumbunt, eadem reddita vincunt. Respondent ita consilio, et cohaerent mutua junctura, partes insigniores praeclare. Si hoc facile concesseris, non tamen pariter pronuntiari potest, etiam minora quaeque ac leviora aptissime ubique esse copulata. Sunt quoque partes episodicae, quae abesse poterant, forte etiam melius, quoniam animum ab eo, quod magnos animi motus et affectus excitat, avocant et ad alia avertunt, quibus ardor residit et collapsus tepescit; quo pugnae singulares interpositae, Paridis ex pugna reditus ad uxorem, Diomedis et Ulyssis nocturna profectio, et alia, referri possunt.

Studium copulandi diversas partes arguunt maxime repetiti, interdum interrupta narratione inculcati, deorum interventus, quorum memorationem ea ipsa de caussa subjeci librorum argumentis, de iisque, quae molesta esse videntur, singulis in locis monui, inprimis ad librum Π. Ρ. Σ. v. Obss. ad Π. 432 et Σ. 356. ubi etiam Zenodoti reprehensiones videre licet. Omnis rerum cardo vertitur in Jovis consilio, dum ille per easdem clades Achivis illatas, id quod volebat, assequi studet; simul tamen Achivorum virtuti et laudi nihil vult detrahi; quo ipso speciem illam augustam carmini poeta induit; simulque animus suspensus expectatione tenetur, dum consilium illud Jovis non nisi partim et per gradus sensim sensimque apertius manifestatur, (v. Not. ad lib. I, 5.) quemadmodum Achillis quoque fata primo obscurius, tum apertius produntur; v. Obss. Σ. 9.

Est itaque tenor aliquis totius carminis, unitatem vulgo appellant, per partes inter se junctas et congruas; sagacitatem quoque in eo agnoscas; etiamsi neges eam esse tam admirabilem, artificiumque inesse tantae calliditatis, ut omnem humani ingenii modulum excedat; multoque minus, si mecum ad eam quaestionem procedas: *extiteritne*

haec compages partium ante partes, an partes extiterint priu quam in compagem coagmentatae fuerint. Historiarum fid nihil hac de re traditum accepimus; itaque animi judici et conjectatione assequendum est, quid sit ceteris probabi lius.

Possunt videlicet fuisse *tres modi*, quibus Ilias condere tur: *primus*, ut ab initio statim, et a primo auctore, totun epos, quantumcunque et quale illud manibus tenemus conditum sit; *alter*, ut summa quidem carminis animo fue rit descripta, argumentum epicum adumbratum, per parte autem interjectas aut insertas serius elaboratum; *tertius*, u carmina plura ejusdem argumenti habuerit antiquitas, si gillatim circumferri et recitari solitas, e quibus serius, Grae cia jam meliore ingeniorum cultu et ubertate florente feli aliquod ingenium epos hoc scite coagmentaverit. Defi ciente, ut dixi, fide historica, probabilitatis judicio utendun est; nam, quod vulgo hac de re traditur, opinione vulg recepta nititur, non fide memoriae antiquae idonea. Rhap sodias sigillatim memoratas legimus, antequam Iliadis e Odysseae mentio ulla injecta reperiatur.

Videamus jam id, quod primo loco positum et vulgo cre ditum est, *ab uno eodemque auctore totum hoc qualecunqu habemus, epos esse inventum et perfecte elaboratum*, sitne il lud satis *probabile*. Sane profitentur iidem, qui in han persuasionem consentiunt, epos hoc esse omnibus suis parti bus absolutum et perfectum, arte mirabili et ab ingeni summo et politissimo; idemque summae simplicitatis e suavitatis. In his quis non sentiat res non modo diversas verum etiam contrarias in laudes assumi, altera ex parte e poni, quae omnem humani ingenii modum excedant, ideo que omnem fidem superent. Homerum aiunt vixisse tan remota antiquitate, qua nondum ullus ingeniorum cultu Graeciae fuit, Peloponnesus a Doribus occupata barbarie e immanitate erat oppressa, reliquae Graeciae regiones, ips Attica, nec agrorum, nec urbium cultu ullo meliore niten tes, omnium rerum egestate et tenuitate laborabant; Ione autem, qui cum Aeolibus Asiae plagas littorales nuper in sederant, rerum florentium, quae serius fuere, vix prim fundamenta jecerant. Quomodo probabile haberi potest repente unum extitisse hominem, qui conciperet anim epos, ingenio et arte mirabili adumbratum et inventum, re gulis subtilibus circumscriptum, vasti tamen argumenti; i quo simul omnia essent elaboratissima, sermonis elegantia modorum suavitas, tum sententiarum, morum, orationis simplicitas; uno verbo: summa ars cum iis ipsis, quae no

nisi ante artem, simplicitate nativa se commendantia, adesse possunt. Si tale ingenium nostris aetatibus prodiisset, essent forte, quae mirationem minuerent; at rudi ista aetate ingenium quamvis divinum non tamen tanta felicitate esse potuit, ut dotes et munera futurarum aetatum, artem cultumque politiorem praeriperet et pluribus saeculis anteverteret. Non jam commemorabo episodiorum contextum, versuum numerum, quem ingenio et memoria primus ille auctor concipere ac retinere debuit, si totum epos procreasse venditatur. Sane quidem si res fide alicujus scriptoris aequalis vel aetate proximi tradita ac firmata esset, magis lubricum esset judicium; enimvero non tradita res est, sed credita ab eo primum tempore, quo compages Iliadis et Odysseae innotuit; si de superioribus temporibus memoratur, rhapsodiae, non Ilias, non epos, antiquiorum sermone frequentantur. Credita autem res est ab iis hominibus, qui eidem Homero tot alia carmina cultu habituque inter se prorsus diversa ac dissimilia tribuerunt: quorum recensum apud Fabricium si inspexeris, vix oculis credas, tantam critices imperitiam inter Graecos, meliore quoque aetate, esse potuisse.

Restant itaque reliqui duo modi, quos diximus: quorum alter erat, ut descripta tantum a primo auctore esse credatur carminis summa, summumque argumentum; ut ab initio carmen fuerit Ilias justae molis tantique moduli, qui ingenii humani finibus continetur, cui serius insertae fuere aliae partes, quibus partim ipsa actio primaria amplius instructa decursu longiore continuaretur, partim episodiis locupletaretur. Scilicet fingat sibi aliquis aut clades Achivorum ex absentia Achillis, aut Achillis iram per se solam, carmine fuisse enarratam; accessisse serius reliqua, interjectis vel adjectis iis, quae cum rerum summa et argumento convenire viderentur. Rem ita narrares, magna ex parte magis probabilem priore opinione; molestam tamen et minus probabilem aliis de caussis. Ita enim aut credendum est, primum auctorem adumbrasse opus ab istius aevi ingeniis facultatibusque prorsus abhorrens, dum animo praevideret unitatem argumenti varietate tamen rerum et casuum locupletatam et amplificatam, ad perfectum aliquod artis mirabilis opus perduci posse, aut sumendum est altera ex parte, argumentum simplex, narratione unius facti aut rei absolutum, multorum ingeniorum per magnum temporum decursum consensu et continuata opera, iis esse accessionibus locupletatum, ut prodierit epos hoc partibus suis absolutum. Verum tanti miraculi nec ullam suspicionem ali-

eunde elicere potui, nec bene convenit illa cum antiqua fama: per rhapsodias singulas decantata primum Iliados et Odysseae carmina fuisse.

Videamus modum probabilem tertium, quo Ilias enasci potuerit, si ponatur, *primitus* carmina antiquiora plura, quae rhapsodiarum nomine mos et usus insignivit, *extitisse singula, seriusque ingeniosi hominis opera in corpus esse collecta.* Primo convenit hoc cum antiqua fama, quae rhapsodias singulas olim habitas et recitatas esse ad posteritatem prodidit: de qua actum Sect. III. Firmatur haec fama iis ipsis quae in Iliade et Odyssea memorantur de carminibus singulis recitatis a poetis, et quidem argumenti ex rebus Iliacis petiti eoque cognati et congrui; in Odyss. Α. 326. 327. 350. a Phemio, tum Odyss. Θ. 76 sq. 489 sq. 499 sq. 567 sq. de Ulysse a Demodoco carmina ejusmodi seu rhapsodiae decantatae memorantur. Tenemus itaque morem antiquorum hominum; prorsus famae antiquae consentaneum; eundemque per plura saecula continuatum, etiam post ea tempora, quibus jam Iliadem et Odysseam memoratam legimus. Convenit porro res ingenii humani indoli, modulo, mori, ut a singulis procedant omnia, seriusque colligantur similia et cognata in unum corpus; a conatibus tenuibus progredimur ad majora; propensi sumus natura ad sparsa in unam congeriem colligenda, ad revocandas species ad genus suum, partes ad totum; contra vero ponere totum aliquod, cujus ne una quidem pars adhuc innotuit, ab humano ingenio est alienum. Hoc itaque fieri potuit, et factum esse probabile fit, cum magnus numerus singulorum carminum communis argumenti de rebus Iliacis per multa saecula passim habitus et recitationibus frequentatus esset, tandem aliquando ingenium aliquod felicius eo devenisse ut plura ejusmodi carmina selecta in unum hoc corpus concinnaret.

Probabilem opinionem seu judicium esse dixi, quia temporum rationibus, famae antiquae, antiquorum hominum usui et mori, exemplis similibus, naturae ingenii humani res convenit. Magni utique ingenii etiam hoc fuit, animadvertere, tot carmina argumenti inter se cognati posse in compagem aliquam probabilem cogi; contextumque aliquod mirabili cum arte ita conficere, ut unum aliquod corpus tanquam natum, non factum, illud videri posset; potuit tamen ipsa res eo ducere, per plures conatus et experimenta, cum rhapsodi declamarent plures junctim rhapsodias; ut solent hominum inventa a tentatis minus perfectis procedere ad majora et perfecta. Temere ingenia creduntur aliquid

invenisse, cujus nec simile aliquid, aut omnino nihil extaret; alia inveniendi felicitas est, si in rei vel facti, quod jam extat, caussas latentes inquiritur. Jam ingenium illud praeclarum, cui compagem hanc tam mirae artis debemus, nobis Homerus esto: τὸ ἔνθεον commune esse dicam ei cum ἀοιδοῖς illis antiquis, qui idem rerum, mythorum, phantasmatum, artis, vitae, exemplum animis suis impressum habuerant, eodemque sermone antiquo, numeroso, eadem cum simplicitate, suavitate, pari habitu et ornatu mythico, istius exempli tanquam imaginem in tabula, carmine redhibuerant. Si antiquiores jam perspectum habuere, et palam professi sunt, non ab eodem poeta, qui Iliadem condidit, Odysseam proficisci potuisse: quidni, si probabilitas ita ferat, ipsas quoque partes carminum a diversis auctoribus profectas esse suspicari liceat!

Restat nunc quaestio: *quibus temporibus* plures rhapsodias in hoc Iliadis corpus coaluisse probabile sit? Expressam historiarum fidem nos deficere jam dictum est, omnemque rem ad probabile judicium deductam esse ex temporum, rerum, hominumque rationibus, accommodate ad ipsa carmina, constituendum.

Primam Iliadis et Odysseae memorationem in Herodoto extare vidimus supra Sect. I. Ante hunc itaque factam jam rhapsodiarum compagem esse necesse est. Ad valde remota tempora tamen referre ingeniosum inventum haud licet, quoniam culturam et artem illud prodit, quae in tempora obscura et omni litterarum luce destituta ante Olympiades cadere haud potuit. Sane quidem ii, qui Homeri aetatem ad antiquissima tempora referunt, simulque ab eodem Iliadem cum Odyssea elaboratam tradunt, de probabilitate historica parum solliciti, in hanc quaestionem haud descendent; at enim nos ea quaerimus, quae cum temporum hominumque cujusvis aetatis rationibus consentiunt, nec aperte iis repugnant.

Duo sunt tempora, in quibus carminum Homericorum diserta aliqua fit mentio; alterum est aetas *Lycurgi*, alterum aetas *Pisistrati, filiorum ejusdem, et Solonis*.

Et *Lycurgi* quidem aetas, ex probato annorum computo haud multum abfuit ab ea, qua Homerus vixisse traditur aetate; vix unius γενεᾶς intervallo. Lycurgo enim annus ante C. N. 884, ante Olympiadem primam 108. assignatur, qui haud multum ab a. 907., Homero assignari solito, abest. Ea tamen quae a serioribus narrantur de universa Homeri poesi in Graeciam a Lycurgo allata, et ex exemplari, quod apud Creophylum vel ejus posteros servabatur,

descripta, fabulosa sunt et mera commenta. En verba Heraclidis, in fragm. Πολιτειῶν, e quo alii hausere, ubi de Lycurgo memorat: καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν (non declaratur, quaenam haec fuerit; parsne aliqua, et quaenam) παρὰ τῶν ἀπογόνων Κρεοφύλου λαβὼν, πρῶτος διεκόμισεν εἰς Πελοπόννησον. Aelianus V. H. XIII, 14. de suo jam adjecit, *universam* Homeri ποίησιν esse a Lycurgo apportatam: ὀψὲ δὲ Λυκοῦργος ὁ Λακεδαιμόνιος ἀθρόαν πρῶτος εἰς τὴν Ἑλλάδα ἐκόμισε τὴν Ὁμήρου ποίησιν. Plutarchus in Lycurgo p. 41 E. multo liberalior, cum narrasset Lycurgum ex Creta in Asiam navigasse: ἐκεῖ δὲ καὶ, inquit, τοῖς Ὁμήρου ποιήμασιν ἐντυχὼν πρῶτον, ὡς ἔοικε, παρὰ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς Κλεοφύλου (ita hic nomen scriptum) διατηρουμένοις, καὶ—ἐγράψατο προθύμως, καὶ συνήγαγεν ὡς δεῦρο κομιῶν. ἦν γάρ τις ἤδη δόξα τῶν ἐπῶν ἀμαυρὰ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν. ἐκέκτηντο δὲ οὐ πολλοὶ μέρη τινὰ σποράδην τῆς ποιήσεως ὡς ἔτυχε διαφερομένης. γνωρίμην δὲ αὐτὴν καὶ μάλιστα πρῶτος ἐποίησε Λυκοῦργος. Vide quam multa veteri famae attexuerit vir in aliis praeclarus, in critica autem seu grammatica seu historica, parum cautus et subtilis. De Creophylo famam aliquam fuisse tanquam Homeri hospite, e Platone discimus lib. X, de Rep. p. 600 B. ubi ridet nomen Κρεωφίλου, ut ibi scribitur; cum enim vellet docere, τὴν μίμησιν poeticam ad veram vitam emendandam parum utilitatis habere, non constare ait, nec ποίησιν nec poetam dum viveret, reddidisse homines meliores: ὁ γὰρ Κρεώφιλος ἴσως, inquit, ὁ τοῦ Ὁμήρου ἑταῖρος, τοῦ ὀνόματος ἂν γελοιότερος ἔτι πρὸς παιδείαν φανείη, εἰ τὰ λεγόμενα περὶ Ὁμήρου ἀληθῆ. λέγεται γὰρ, ὡς πολλή τις ἀμέλεια περὶ αὐτὸν (Homerum) ἦν ἐπ' αὐτοῦ ἐκείνου, (illo vivente. f. ἀπ', ab ipso Creophylo) ὅτε ἔζη. quo patere ait, Homerum nec eos, quibuscum versaretur, meliores reddidisse. Fuisse Creophylum Samium ex Strabone discimus, XIV p. 946 A. ubi excepisse Homerum hospitio memoratur, a quo acceperit Οἰχαλίας ἅλωσιν, quam Callimachus vindicat ipsi Creophylo poetae, quem alii Homeri magistrum fuisse asserant. Ex his patet *Samiorum narrationem* aliquam antiquitus acceptam pro fundo fuisse, variam et incertam. Creophyli nepotem Hermodamantem magistrum habuit Pythagoras: Laert. VIII. 2. Fidem autem famae de Lycurgo valde esse circumscribendam facile credas; censuisse quoque sic Wolfium video. Mihi hoc saltem probabile videtur, per Lycurgum ex peregrinatione in Cretam et Asiam reducem seu unam alteramve rhapsodiam, seu notitiam aliquam carminum Homericorum venisse, mox iterum obliteratam.

Trium fere post Lycurgum saeculorum intervallo alia est

narratio *de Pisistratidis et Solone.* Cum res historica fide tradita sit, videndi sunt primo loco auctores. Antiquissimus, nec nisi centenis fere annis serior, Plato in Hipparcho, si modo ille Platonis habendus est, qua de re dubitatur; ubi in Pisistratidarum laudes excurrit: p. 228 B. To. II. Opp. Ἱππάρχῳ—ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου πρῶτος ἐκόμισεν ἐς τὴν γῆν ταυτηνὶ, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διϊέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι. Duo memorata videmus, *primum Hipparchum carmina Homerica Athenas attulisse;* (ergo antea erant Atheniensibus ignota; et hoc bene convenit cum statu Athenarum et fortuna per ista tempora.) *et instituisse ut Panathenaeis rhapsodi ea recitarent per vices se excipiendo: eo quo Platonis aetate adhuc sollenne erat modo.* Nihil in his habetur quaenam illa τὰ Ὁμήρου essent; cum tamen per vices essent recitanda a rhapsodis, apparet, eas rhapsodias sigillatim habitas fuisse. Unicus hic est scriptor, cujus, nisi serior sophista fuit, auctoritas esse potest aliqua hac in re. Lex tamen a majoribus scripta de recitandis in Panathenaeis solis Homeri carminibus memoratur quoque a Lycurgo in Leocratem p. 209. R. Alter est auctor, Dieuchidas rerum Megarensium scriptor, post Alexandri, suspicor, tempora, ap. Laert. I, 57. Soloni haec ipsa tribuit: τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι. interposita Laertii interpretatione: οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. Pergit: μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν (*illustrem reddidit*) ἢ Πεισίστρατος. ὥς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. Ambiguum est, sintne Dieuchidae tantum postrema, an et priora? Hi duo tamen soli sunt, qui famam antiquam cum fide tradant, nam reliqui, qui ab omnibus memorantur, qui haec attigerant, tam varie et supine, hac de re loquuntur, ut vix unquam explorate eos aliquid rescivisse appareat; quid Cicero? qui de Or. III, 34. de Pisistrato: *qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.* Unde recentiores nonnulli sibi persuaserunt, a Cinaetho perturbatum esse rhapsodiarum ordinem, restitutum a Pisistrato: male usi ad eam opinionem notis verbis Eustathii pr. Comment. ad Iliadem. Melius Pausanias VII, 26 p. 594 Πεισίστρατος ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καὶ ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο. Melius prius; sed alterum obscure: *aliis in locis memoriter servata.* Josepho noto loco in Apionem est διαμνημονευομένην ποίησιν ex exposito τοῦ γράφεσθαι. Ex his aliisque locis ducta est vulgaris opinio, a Pisistrato, seu ejus filiis, rhapsodias, sparsim habitas, in corpus esse coactas. Pro explorato ta-

men non habemus quod ponere liceat, nisi forte hoc: illis temporibus primum rhapsodias Homericas Athenas esse perlatas et a rhapsodis in Panathenaeis esse decantatas. Famam non satis certam fuisse patet quoque ex hoc, quod modo Soloni, modo Pisistrato, modo filiis omnino, modo uni Hipparcho res tribuitur; jam autem Solon Archon fuit et leges scripsit Olymp. XLVI, 3. ante C. N. 594. Idem vidit Pisistratum tyrannidem, h. e. summum magistratum, occupasse Olymp. LV. 1. ante C. N. 560. et paullo post senex obiit; Pisistratus autem obiit Olymp. LXIII. ante C. N. 528. et Hipparchus filius interfectus Ol. LXVI, 3. ante C. N. 513. tandem Hippias ejectus Ol. LXVII, 1. ante C. N. 512 qui idem adhuc pugnae Marathoniae interfuit annis XXII post Olymp. LXXII, 3. Ita a Solone Archonte ad Hippiae fugam habes intervallum octoginta fere annorum, intra quos fluctuat narratio, ea quidem, ut dixi, per se incerta et parum definita; his tam parum accurate traditis quantum fidei et auctoritatis tribuendum putes?

At vero alia istius aetatis memorata si compares, (Synchronismum appellant) si, litteras et artes prima tum Athenis incrementa habuisse, memineris: probabile fit, in tanto annorum spatio plura evenisse, a quibus Iliadis et Odysseae tanquam incunabula procederent[a]. Junctura plurium rhapsodiarum fieri, saepius tentari, potuit, donec totum hoc Iliadis corpus coaluit. Et recte se habere potest, quod servatum est a Suida in Ὅμηρος· ὕστερον δὲ συνετέθη καὶ συνετάχθη ὑπὸ πολλῶν, καὶ μάλιστα ὑπὸ Πεισιστράτου. Nescio an in iis, qui in disponendis Homericis carminibus studium posuerunt, fuerit *Cinaethus* (vel Cynaethus) Chius, de quo memorabilis locus ex antiquioribus est apud Schol. Pindari Nem. II, 1. pr. ἦν δὲ ὁ Κύναιθος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων Ὁμήρου ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι. οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις (igitur Syracusis primum, non omnino primum) ἐραψῴδησε τὰ Ὁμή-

[a] Ne videamur haec primi animadvertisse, sive in invidiam hoc trahatur, sive in laudem, memorare licet Bentleium non aliter statuentem (loco a Wolfio quoque laudato:) in Phileleutheri Lipsiensis Remarks s. VII. *These loose songs were not collected together in the form of an Epic Poem, till Pisistratus's time, about* 500 *years after.* Sequitur Bentleius in hoc vulgatum morem Homericae aetatis definiendae; si enim Pisistrati temporibus supra memoratis quingentos annos addideris, videbis ad decimum fere ante C. N. saeculum computum assurgere. Epigramma Pisistrati statuae Athenis adscriptum, ut aiunt, in quo versus est: Πεισίστρατος, ὃς τὸν Ὅμηρον ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον, nec antiquum esse nec auctoritatem habere, per se intelligitur.

ρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξακοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν. (haud dubie ὁ τὰ περὶ Σικελίας γενεαλογῶν. Schol. ad Pyth. VI, 4) Praecesserat in Schol. de Homeridis h. e. de rhapsodis: in quibus ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν. ultima corrupte exscripsit Eustath. p. 6 extr. nec mirum, si Cinaethus ordinavit et disposuit rhapsodias in compagem! Jure quoque memorari videntur plures οἱ διασκευάζοντες τὰ τοῦ Ὁμήρου. Etsi hoc διασκευάζειν haud uno modo dictum reperio; est tamen hoc sensu idem quod διαθεῖναι. et διασκευαστὴς, ut διαθέτης apud Herodot. VII, 61. Onomacritus est διαθέτης τῶν χρησμῶν τοῦ Μουσαίου, h. e. qui collegit et ordinavit oracula Musaei. Omnino in re libraria antiquiorum hominum prorsus animo ejicienda est nostra res libraria: quae eorum animis insidet, qui omnia ad litteraturam et mercatum nostrum revocare solent.

Adjuvit studium haud dubie usus scripturae ad notanda animi sensa redditus jam expeditior; etsi parum probabile fit, si legum Solonis scribendarum rationem reputes, eam repente tantopere frequentatam et exercitatam et perfectam fuisse, ut totam statim Iliadem librarii exararent, aut ut codicum manu exaratorum magna copia prodiret. Annorum plurium decursu haud dubie opus fuit, ad magnos in scribendi arte profectus. Potuit tamen illud nunc fieri invento, et ex Ionia illato usu τῶν διφθερῶν, pellium caprinarum ovillarumque (ap. Herodot. V, 58); cum antea per multas aetates litterarum quidem notae a Gephyraeis, qui Phoenicia origine erant, communicatae fuissent, exiguo tamen cum fructu, quia materia apta ad scribendum haud ad manus erat; a qua tamen omnem scriptionis usum pendere professus sum. Ita quoque in Ionia innotuerant litterarum notae multis ante earum usum frequentatum. Lydorum et Medorum epistolas missas jam ante Croesi aetatem memoratas legimus ap. Herodot. I, 93. 99. 123. 125. Itaque nec confectam rem putem, etiamsi σήματα in Homero ipso de scriptura intelligenda contenderis: usus enim ejus esse aliquis potuit pariter per plures alias aetates, nec tamen materia commoda, ut magnus versuum numerus perscriberetur; quod utique nec in saxo nec in aere factum, probabile fit; de alia autem materia ejusve usu nulla est memoria, cum ne quidem τοῦ γράφειν et picturae memoratio in Homero occurrat: de quo docte egit V. C. *Merian* (*Mém. de l'Acad. R. des Scienc. de Berlin, an.* 1788. p. 533) Ceterum scripturae invento non tam celeres progressus tribuendos esse,

alio tempore declaravi in Comment. *de antiqua Homeri lectione* Vol. XIII. *Commentation. Soc. R. Scient. Gotting.*

Ut paullo liberius de his pronuntiarem, gratum fuit, quod viam jam munivit Wolfius, cujus acute disputata mihi longioris disputationis otium fecerunt: digna utique quae iterum inspiciantur. Subjiciam tantum nonnulla, quae ut paullo longius procederem, me tum moverunt, cum, ex reliquorum nexu et ordine, in haec quoque intentiore cura inquirerem.

Fuit Pisistratidarum aetas ea, in qua Atheniensium ingenia repente tanquam somno discusso evigilarunt, aut potius divino aliquo afflatu excitata litteris et artibus studium operamque consecrarunt. Effloruerant litterae jam tum inter Graecos Asiae, Siciliae et Italiae; lyrica poesis ad summam laudem pervenerat; artis dramaticae incunabula in Sicilia, nunc maturam aetatem Athenis habuere. Per haec tempora etiam ingenii alicujus felicitas existere potuit, quod propriam epici carminis naturam perspiceret, et ad eum modulum rhapsodias jam ante connecti solitas ordinaret.

Quae adhuc disputata sunt, bene constituta esse videntur, quatenus de Atheniensibus agitur. At enim diversam rerum faciem objici video, si Ioniae per eadem tempora conditionem et fortunam comparo. In Asia enim et in insulis jam ante Pisistratidarum tempora et ante Solonem Archontem Olymp. XLVI, 3 praestantissima ingenia, poetices maxime, floruerant. Magnus poematum numerus memoratur, a quibus mythi antiqui, inque his Troica exposita fuerant, Cyclicos poetas appellamus, qui inde a primis Olympiadibus vixisse traduntur: in his Arctinus Milesius, qui Aethiopide Memnonis res complexus erat, Lescheus Lesbius, cujus vita Olympiadi XXXIII assignatur, Iliadis parvae notissimus auctor, Stasinus Cyprius, Cypriorum carminum auctor, cum Νόστων scriptore Augia; Pisander Camirensis Rhodius, Heracleae auctor circa Olymp. XXXIII. nam serius vixere Panyasis, Herodoti avunculus seu patruelis, alterius Heracleae auctor, et Thebaidis Antimachus. Quid? quod Lyricorum principes inde ab Olymp. XXX. cum Terpandro, Alcman, Alcaeus, Sappho, jam vixerant, Archilochus Iambographus etiam antiquior ad Olymp. XX. XXIII. XXVII. memoratus; Pisistratidarum autem temporibus nomen erat clarum Stesichori, Ibyci, Anacreontis, Simonidis; etiam Thaletis, jam septem sapientium, jam Pherecydis, Pythagorae magistri, nomina inclaruerant. Sunt

haec florentis Ioniae tempora, sub Gygis successorumque Lydiae regum aetatem. Quid ergo? in Ionum tamen rebus nihil de Homero memoratum reperitur! ubi ejus rhapsodiae latuerunt?

Scilicet infigendum est animis alte, quod saepe monui: nos parum diligenter recordari, fragmenta nos historiarum habere, non historias. Nullus autem facile populus est, cujus notitias tam jejunas habemus, quam Ionum, et ex iis maxime temporibus, in quibus artium et litterarum primordia condita sunt. Ad Athenienses spectant ea, quae supra memoravimus de rhapsodiarum recitatione, mox et scriptione; quo in loco habiti sint poetae cyclici et lyrici Ionum, ignoramus. In Ionibus autem probabile videtur, maturiorem fuisse scripturae usum, quod τῶν διφθερῶν usus apud eos antiquior probare videtur. Quid tamen scriptis eorum libris factum sit; an ii ad Platonis, ad Alexandri, ad Alexandrinorum tempora duraverint; an lyrici antiquiores omnes, aut quinam, in bibliothecam Alexandrinam illati sint, ignoramus. Maturius interiisse monumenta ingeniorum in Asia et in insulis video; et quae servata sunt, in Graeciam illata fuerant; sic Herodoti Halicarnassensis, mox Thurini; et ante eum Hesiodi, qui Cuma Aeolidis in Boeotiam se contulerat. Haec si reputaverimus, balbutire nos in rebus antiquitatis gravissimis fateamur necesse est. Interea expedit tenere paucas ac tenues notitias, quas habemus, et videre, quae ex usu, indole et nexu temporum cultuque hominum, non ex levi aliqua opinione e nostris litteris suscepta, inde elici possint. Obvia utique videtur observatio haec: quo tempore res Iliacae ante et post ea quae in Iliade Homerica comprehensa sunt, variis carminibus constitutae fuere, eo aut jam conditam fuisse Iliadem, aut rhapsodiarum in unum corpus colligendarum inventum ultro se obtulisse ingeniis acutioribus. Jam autem inter Athenienses sensus ille criticus primo emersisse videtur, et, quid majorem vim ad animum hominum haberet, et qua arte id assequamur, perspectum fuit; cui ingeniorum subtilitati eadem aetate debetur maxime dramatum natura accuratius constituta, et ad unitatis praeceptum revocata. Suspicor igitur, litteris consignatas quidem maturius fuisse rhapsodias in Ionia; compagem tamen Iliadis et Odysseae factam Pisistratidarum aetate. Vide, quomodo ita colligam, et qua probabilitate.

Ab epica poesi ad tragoediam progressus est factus, fuitque ille expeditus, primo per τὴν μιμητικὴν utrique communem, quod bene Plato docuit de Rep. X pr. tum per argu-

menta magni sensus et affectus, memorabiliumque fortunae vicissitudinum, quae vita heroica suppeditat. Factus est ille progressus Athenis, et satum drama tragicum uno actionis argumento intra justum tempus finitum; et hoc quidem potissimum auctore Aeschylo, postquam multa jam dramata in scena essent acta, per saturam plura exhibentia. Sub eadem tempora, sed paullo maturius, hoc idem animadversum esse videtur in poesi epica, ut heroici carminis vim summam assequi poetam, intelligeretur, si carmen una actione contineret; cum contra narrationis vigor minueretur rebus pluribus ac diversis alia ex alia se excipientibus, quod in Cyclicis carminibus animadverti debuit, quae etiam seu mythici seu historici generis narrationes erant. Expertus est hoc idem Aeschylus in dramate, perfecit Sophocles; et sic unitas et dramatica et epica animadversa artem utramque ita constituit, ut etsi cognatam, suam tamen utraque naturam et indolem discretam, habere videatur. Ita et Aeschylus Homeri tragici nomen meruit, et hoc sensu, suspicor, ἄκρος τῆς τραγῳδίας Ὅμηρος dictus a Platone in Theaeteto p. 152 E. Atque hujus rei sensum habuit Virgilius, qui carminis epici dignitatem cum tragica gravitate, conjunxit, quod in Virgilii Aeneide dixi characterem carminis constituere singularem, Homerico diversum.

Aristoteles a dramatis unitate ad epicam progressus, c. XXIII de poetica, a tragoediae indole plura transfert ad poesin epicam, nescio an plura, quam necesse sit pro diversa utriusque natura in multis aliis. Dubito quoque an Cyclicorum carmina, quia non una actione absolvebantur, etsi hactenus minoris artis et laudis, propterea laude quoque omni alia caruisse putanda sint. Carmina fuere historica, nonnulla etiam in hoc ad epos accedentia, quod unius herois res gestas, ut Thesei, ut Herculis, enarrarunt. (cap. VIII) Possunt omnino ejusdem generis formae esse plures, eaeque aliqua ex parte variae. Potuere quoque istae narrationes admittere omnem ingenii vim in inveniendo, exsequendo et ornando argumento. Licebat enim antiquitus tradita non modo narrare, ut erant tradita, verum etiam, quomodo, ita tradita, evenire potuerint, quod ipse Aristoteles discrimen constituit: τὸν μὲν (ἱστορικὸν) τὰ γενόμενα λέγειν, τὸν δὲ (ποιητὴν) οἷα ἂν γένοιτο. c. IX. quemadmodum historicus ipse interdum ad partes poetae transit, cum probabiliter vult declarare, quomodo res narratae ita evenerint, quod saepe idem est ac si diceres: eum exponere, quomodo res ita evenire potuerint aut debuerint κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον.

Unum est, quod de omni hac disputatione dubitationem facere possit, scilicet ut dicas: si diversorum carminum compages sit Ilias, orationis quoque ac sententiarum discrimen aliquod notabile in oculos incurrere debere. Recte hoc monetur, nec vi sua destituitur monitum, et saepe ad hanc animadversionem ipse animum attendi. Sunt tamen duo, quae observationem infringunt: *primum*, quod antiquiorum poetarum epicorum oratio eundem fere habitum habet; dum Ionicus antiquus sermo narrationi semel ita attemperatus erat, ut sollennes ubique formae ac sententiae se poetae offerrent; ita quoque poetae cyclici ad idem exemplar se composuisse videntur, in eodem quoque argumento versantes; hoc saltem docent fragmenta, hoc Scutum Herculis, quod inter Hesiodea habetur; patetque idem ex comparatione Quinti Smyrnaei, qui, nisi quod ingenii vi, rerumque copia et dilectu longe inferior est antiquis, orationis colore saepe ita incautum fallit, ut in vetere heroico aliquo carmine versari tibi videaris; nisi verum est, quod suspicor, habuisse eum adhuc in manibus poetas cyclicos: quod non improbabile est, siquidem Proclus Saeculo V. eos tractavit, secundum ea quae jam olim observavi (*Biblioth. d. alten Litt. u. Kunst.* I *Stück. Inedit.* p. 16.) Ut autem omnium epicorum poetarum orationi idem fere color inesset, caussa alia accessit, in eo, quod poetae et sua et aliorum carmina, quae memoriter recitarent, *memoria retinuerunt*, neque adeo aliter fieri potuit, quam ut eadem phantasmata, formae loquendi, comparationes, flores poetici et voces exquisitiores, ut haec omnia, inquam, animo infixa, quoties in easdem ac similes cogitationes ipsi inciderant, animo iterum se offerrent. Haec si reputes; non mirum videbitur, antiquiorum carminum colorem tam parum esse dissimilem: inprimis in praeliorum descriptionibus. Pro exemplo esse potest Batrachomyomachia, in qua paucissima sunt, quae non Homerica esse sentias. Omnino hoc magnam vim ad ingenia hominum et ad ipsum sermonem poliendum habuisse necesse est, quod *non lecta carmina* sunt, sed *memoria servata*. De eo autem nemo nunc dubitat, memoriae vires inter istiusmodi homines esse incredibiles; vid. *Jones Asiat. Researches* To. II. p. 14. et exemplum carminum Ossiani satis rem firmavit; ne memorem Delillium nostra aetate suos versus, ne chartae mandaret, omnes memoriae mandatos secum e patria efferentem. *Alterum:* quod observationem supra memoratam elevet, est hoc: frustra sumi, nihil omnino inesse in Iliados partibus sibi dissimile, nihil nisi quod sibi a summo ad imum respondeat. Immo vero

priorum librorum character haud exacte convenit oppugnationi et pugnae in castris; recedit ab iisdem Patroclia; et alius est color rerum gestarum ab Achille; nam de postremis libris jam alii viri docti nec aliter constituerunt.

Ceterum, Platonis utique tempore, carmina Homerica jam citra controversiam fuisse constituta et Homeri nomine vulgo insignita, vel ex supra dictis manifestum fit; Socratis aetate jam ad puerilem institutionem adhibitam esse Homeri lectionem, constat vel ex narratis de Alcibiade litterarium ludum ingresso et non Iliadem, sed *rhapsodiam* petente (ῥαψῳδίαν Ἰλιάδος ᾔτει) cumque magister *nihil* se habere *Homeri* diceret (μηδὲν ἔχειν Ὁμήρου) colapho inflicto abiisse: Plutarch. Apopththegm. p. 186 D. et Aelian. V. H. XIII, 38 uterque ex antiquiore auctore eodem. In Symposio Xenoph. c. 3, 5. Niceratus a patre se coactum esse ait, πάντα τὰ Ὁμήρου ἔπη μαθεῖν. καὶ νῦν δυναίμην ἂν Ἰλιάδα ὅλην καὶ Ὀδύσσειαν ἀπὸ στόματος εἰπεῖν. Exemplaria utriusque corporis rhapsodiarum jam tum extitisse apparet, etsi idem quoque rhapsodos quotidie fere audivisse profitetur. In Memorab. Socr. IV, 2, 10. Euthydemus Homeri poemata possidere (κεκτῆσθαι) dicitur. Et Isocrates in Paneg. (p. 144. ed. Gen.) majores ait in honore haberi voluisse poetae artem ἔν τε τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις καὶ τῇ παιδεύσει τῶν νεωτέρων. Nec temere id factum: philosophorum enim doctrinis subtilibus vulgus ad virtutem exercendam haud adducitur; eruditur illud factis ac rebus ad sensum expressis; utilium rerum doctrina iis immixta sola eam, quam quaerimus, vim ad animos emendandos habet. Talem itaque doctrinam videbant haberi in carminibus Homericis; etsi cum opinionibus erroneis conjunctam, quas aut legibus aut sapientum et bonorum virorum consuetudine tolli posse putabant; cum iisdem sensum pulcri sine fuco ac pigmento ali per carmina videbant.

Nec ulterius procedere necesse est. Nota sunt quae de exemplari narrantur, quod Alexander habuit ἐκ νάρθηκος, ab Aristotele emendatum, tum ab ipso Alexandro cum Callisthene et Anaxarcho illud recognitum: Ἀλεξάνδρου μετὰ τῶν περὶ Καλλισθένην καὶ Ἀνάξαρχον ἐπελθόντος *perlegente. nonnullis notatis* καὶ σημειωσαμένου τινά, ap. Strabon. XIII p. 888 B. Atque hinc deducimur ad tempora Ptolemaeorum, et ad grammaticorum Alexandrinorum studia in Homericis recensendis: de quibus disputandi materia jam largior extat in Scholiis antiquioribus a Villoisono vulgatis; quae ab eodem viro doctissimo congesta et sub unum conspectum proposita est in Prolegomenis. Omnia ista diligentissime di-

gessit, et de meritis grammaticorum Alexandrinorum in Homerum copiosissime disputavit in Prolegomenis suis: quae qui adierit, mea non desiderabit. Commentatus enim est vir doctus eruditissime inde a p. CLXIV de criticae primordiis inter Graecos, de διορθώσεσιν in Scholiis Homericis memoratis, inprimis de Zenodoto, Aristophane et Aristarcho, appositis ubique ex Scholiis locis, in quibus eorum nomina et judicia occurrunt, pertinacissimo cum studio et incredibili cum industria. Expectatur ut hanc telam vir doctus detexat non modo ad Apionis, verum etiam ad seriora tempora; ita habebimus historiam absolutam curarum, quas Grammatici eam in rem certatim per tot saecula contulerunt.

EXCURSUS III.

De Homero, Iliadis auctore.

ποίησον δ' αἴθρην, δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.

Superest nunc, ut de primo Homericorum carminum auctore quaeramus. Iterum plura in hac quaestione secernenda sunt: quaeri potest, utrum unus aliquis omnes rhapsodias condiderit? num sigillatim, omnes, an plures, per diversa tempora? num ipse eas in corpus redegerit? num jam sparsim a se editas et vulgatas? num ab initio statim totum carmen sit meditatus, illudque totum an per partes decantaverit? an vero plures rhapsodiarum auctores fuerint? num in his princeps Homerus? in cujus nominis societatem deinde venerint ceteri.

Nec vero verendum est tali disputatione nomini et dignitati poetae et carminis detrahi; nam in quamcunque opinionem deveneris, manet hoc Iliadem esse carmen antiquissimum, ac praestantissimum; et ejus auctorem, seu auctores, homines fuisse ingeniosissimos; et si ad unum hoc referimus Homerum, esto illud *sanctum hoc ac venerabile nomen*, quod per omnia saecula manebit, nec illud delebitur aut ejus memoria debilitabitur; simile aesculo, de qua Virgilius (Ge. II, 293)

Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres,
Convellunt, immota manet, multosque nepotes,
Multa virum volvens durando saecula vincit.

Aut si cum Macrobio Sat. VI, 3. loqui malis: *ille velut pelagi rupes immota, resistit.*

Cum nihil certa fide de Homero Homericisque carminibus traditum constet: nemini invidia moveri potest, qui ex rationibus probabilibus haec constituenda esse existimet. Fi-

dem autem historicam omnino nos habere nullam, patet ex ipsis narrationibus, quae ad nos pervenere; fundus enim eorum est partim fama antiqua incerta et parum definita, partim commenta ingeniosa, partim fabulae aniles, ex grammaticorum et Sophistarum Scholis. cf. disputata in Commentatione *de antiqua Homeri lectione indaganda, dijudicanda et restituenda:* 1795. in Commentat. Soc. R. Sc. Gotting. Vol. III. p. 159 sq. in qua omnino plura de iis, quae in his Excursibus exposita sunt, alia disertius, lineis alia primis, adumbravi: ut, nisi chartae parcendum ducerem, eam in hac editione repetere maluissem.

Nec obstat, quod antiquitas hanc fidem vulgo retinuit, esse Homerum aliquem poetam, auctorem Iliados et Odysseae, eoque nomine uti jam Platonem, Aristotelem, et jam ante eos Herodotum, qui non modo utrumque carmen jam norat et nomine Iliadem et Odysseam laudat, verum etiam utriusque auctorem eundem Homerum agnoscit in loco de Helena quod illa cum Paride Aegyptum adierit, laudatis vss. Z. 289—292. Od. Δ. 227—230 et 351. 2. dum contra haec Cypria carmina, in quibus contraria memorantur, ejus esse negat. Nam ejusmodi quaestiones historicas subtiliores haud facile instituerunt veteres; tum vero libelli, in quibus id egerant viri docti, ut in haec data opera inquirerent, periere, nec ex iis nisi singula dicta, nec docte satis et sollerter exposita, servata sunt.

Aristoteles quidem ad *quaestiones* subtiliores *historicas* descendisse haud videtur, etsi ille Homeri διόρθωσιν curaverat, et ἀπορήματα Ὁμηρικὰ scripserat. In iis quae inde servata sunt apparet, subtilitatem eum philosophicam passim ac rhetoricam magis esse amplexum, quam sensum poeticum servasse. Ne enim ea, quae in Sophistarum Elencho memorantur, in librum de Poetica translata, repetam, quis non miretur a tanto viro, qui de Poetica tam praeclare egit, in poetam notari potuisse ea, quae v. c. ad Γ. 441. memorantur, cur Paris Helenae amplexus appetat? aut Λ. 385 κέρᾳ ἀγλαὸν Paridem esse τὸν αἰδοίῳ σεμνυνόμενον. K. 98 (verius ad 198. 194) cur senes deliberabundi extra castra exierint. Non itaque miror eum hoc ponere tanquam opinione communi receptum, vixisse aliquem Homerum qui utrumque poema condiderit. Idem non dubitat ipsius Homeri esse prooemium Iliados c. XXIV, 5. ὁ δὲ ὀλίγα φροιμιασάμενος sqq.

Tatianus Or. ad Gr. c. 48 et ex eo Euseb. Praep. Eu. X, 11. memorant numerum magnum eorum, qui de Homero tradiderint; περὶ γὰρ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου, γένους τε αὐτοῦ,

αὶ χρόνου, καθ' ὃν ἤκμασε, προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι—*Thea-genes Rheginus*, *Cambysis tempore*, *Stesimbrotus Thasius*, *Antimachus Colophonius*, *Herodotus Halicarnassensis*, *Diony-ius Olynthius*, (ἐν Χρονικοῖς) post eos *Ephorus Cumaeus*, *Phi-ochorus Atheniensis*, *Megaclides et Chamaeleon*, *Peripate-ici*; deinde grammatici: *Zenodotus*, *Aristophanes*, *Callima-hus*, *Crates*, *Eratosthenes*, *Aristarchus*, *Apollodorus*. Malim Tatianum adscripsisse, quidnam singuli illi de quaque re radiderint; nunc annos tantum ab uno et altero constitu-os memorat. Omnes eos inter ἐξηγητὰς poetae referre noli; ntiquiores de temporibus et aetate Homeri egerant; de Antimacho dubito, num alio modo ille Homerica attigerit, quam versus et voces ex eo transferendo. Dictus olim est de Homero egisse is qui ejus mentionem fecerat, aut aliquid pposuerat, aut in locum aliquem commentatus erat, v. c. Heraclitus, qui Ἔριδα Σ. 107 aliter interpretatus fuerat, cf. bid. ad vs. 251.

De *vita Homeri* qui scripserunt, videndi sunt ap. Harles. ad Fabricium B. Gr. To. I. p. 318. et alios. Nec vero tam neptus sum, ut me certaminibus seu superiorum, seu no-strae aetatis immisceam; multo magis ab hoc versus sum, quo magis de nominibus ac vocibus agi videam, in re ple-rumque consentiri; nam antiquitatem carminum profitentur omnes, fueritne eorum auctor unus an plures, Homerusne aliquis vere dictus, an nomen appellativum plurium poeta-rum; de his et aliis statuere licet, quicquid placuerit: nos miramur carmina, et in ingenio praedicando convenimus omnes; praeclarius, quam a me fieri potuisset, exposuit haec Herderus, V. V. Mihi saltem de antiquioribus pauca sunt monenda; quae si accuratius expendas, nil nisi com-menta esse apparebit, partim ab iis urbibus, quae sibi na-tales Homeri vindicabant, inventa, partim ex nominis etymo, aut ex prava notione ἀοιδοῦ, cujus personam ex suae aetatis institutis constituerant, partim ex probabili conjectura, quod is, qui de multis terris tam accurate tradidisset, multa loca adiisse videri debet, ducta, pleraque fabellis anilibus pro-piora. Magna pars antiquiorum fabularum per urbes spar-sarum continetur *Vita Homeri*, quae *Herodoto* tribuitur[a],

[a] Judicia de ea virorum doctorum v. ap. Fabric. Harles. p. 319. 320. Non sine arte concinnatus est libel-lus: ea, quae singulis in urbibus vulgo narrata erant, in contextum aliquod redegit: Quae Cumaei, Smyr-naei, Colophonii, maxime Samii et Chii cum Ietis narrabant, ita in con-centum adduxit, ut mater Critheis Cumae nata iis, qui ad coloniam Smyrnam condendam deducebantur, comes addita eum, qui vulgo Μελησι-γενὴς dictus est, ad Meletem fl. partu ederet; Phemio nupta illa puerum

concinnata Ionice ab aliquo Sophista, (cujus generis apud Lucianum de astrologia et de dea Syria libelli sunt) qui narrata de VII urbibus in consensum revocare voluit; itaque Homerum narrat eas urbes deinceps adeuntem. In fine adjecta nonnulla sunt ex Ephoro, qui Cumis Homerum vindicabat. De Creophylo, apud cujus posteros carmina Homeri comperisse Lycurgus fertur, narrata attigit jam Plato de Rep. X, p. 600 B.

Sub *Plutarchi* nomine *duplex* scriptum extat; in quibus tamen ea, quae apud Gellium ex Plutarchi scripto memorantur, non occurrunt; *alteri* Dionysii Halic. nomen Gale Opusc. mytholog. inscribere malit; est certe rhetoris alicujus fetus. De Homero pauca memorantur; reliqua de ejus dialectis, tropis et figuris; tota ars rhetorica ex eo exemplis illustratur, tum, quae in eo latere putantur, dogmata physica, et ethica, politica et artes omnes. Praeterea est triplex *Vita Homeri brevior* a Leone Allatio in libello de patria Homeri edita; alteram et tertiam repetiit Wassenberg e cod. Leid. et illustravit; prima videtur pars fuisse Chrestomathiae Procli; repetiit eam Tychsen Collega honora-

educavit, qui a Phemio adoptatus et eruditus est; et sic porro. His lusibus quis tandem aliquid tribuat! Cum Sophistae aetate Homericae rhapsodiae a pueris in grammatistarum ludis legerentur, ludi magister Homerus quoque editur. Mentes navicularius ex Odyssea Smyrnam accedit, et cum eo navigat Homerus; in Ithaca ad Mentorem deductus de Ulyssis fatis edoctus, e morbo visu orbatur; quod alii Colophone factum narrarunt. Smyrnam redux, carmina confecisse narratur; victus egens inde Neonteichos, inde Cumen, Phocaeam, Erythras, Chium, Samum adiisse, unde cum Athenas adire vellet, nave ad Ion insulam appulsa diem supremum obiit, ibique sepulcrum nactus est. Miror de Creophylo in insula Samo nihil ab eo memorari. Inseruntur passim versus, quos vulgo circumferri solitos, ineptos plerosque et parum doctos, Sophista acceperat. Maxima fabularum pars a Chiis profecta esse videtur, qui etiam eum apud se ludum litterarium aperuisse narrarunt. Cum eo tempore, quo rhapsodorum vita diu exoleverat, ignari antiquitatis Graeculi multa de iis fabularentur, vita et conditio eorum comparabatur cum vita erronum mendicantium; hocque ipsum traductum est ad Homerum. Illud vero, quis tandem ferat, nomina ficta in Iliade et Odyssea in homines mutata, quos Homerus adierit, ut Mentam et Mentorem. Sic Tychium, fabrum, et Phocaeae, Thestoridem, quo nomine Calchas, Thestoris f. in Iliade notatur. Quae in fine adjecta sunt de Homero, Aeolensi genere, ex Ephoro adscripta esse, haud male suspicati sunt viri docti. Cum iis si contuleris extrema libri VII. Dionysii Halic. intelliges huic in ista comparatione Romanorum rituum sacrorum cum Graecis ante oculos fuisse Ephorum. Omnino autem Ephorum plerorumque antiquitus narratorum fuisse auctorem, e Vita colligas Plutarcho vulgo tributa. Matrem Cumis Smyrnam delatam ille quoque memoravit. Subjicitur ex Aristotelis libro III περὶ ποιητικῆς narratio, qua ad Ion insulam et Smyrnam Homeri pueri fata referuntur. Haec duo inter antiquiora refero: reliqua quae attexuntur, sunt panni seriorum.

iss. multo auctiorem e cod. Escuriali (in *Bibliothek der alten Litteratur und Kunst* I. *Stück* ubi cf. Notas.) In his omnibus nihil habetur, quod ad veriora ac certiora ducat: nisi quod n altero locus est de iis, qui diversis modis de patria Homeri radiderant:—τὸ γένος κατὰ μὲν Πίνδαρον Σμυρναῖος· κατὰ Σιωνίδην Χῖος. κατὰ δὲ Ἀντίμαχον καὶ Νίκανδρον Κολοφώνιος· κατὰ ὲ Βακχυλίδην καὶ Ἀριστοτέλην τὸν φιλόσοφον Ἰήτης. κατὰ δὲ Ἔφορον καὶ τοὺς ἱστορικοὺς (ex Ephoro) Κυμαῖος. κατὰ δὲ Ἀρίσταρχον καὶ Διονύσιον τὸν Θρᾷκα Ἀθηναῖος. τινὲς δὲ καὶ Σαλαμίνιον αὐτὸν εἶναι φασίν. ἄλλοι δὲ Ἀργεῖον. ἄλλοι δὲ Αἰγύπτιον ἀπὸ Θηβῶν. Facile est ad assequendum, has opiniones partim a atriae studio, partim ex ingenii lusu, partim ex auditione ntiqua de rhapsodorum recitationibus esse natas. Mirari cet, id quod omnium ineptissimum est, de aenigmate piscaorum Homero proposito, omnium esse vulgatissimum. His djungenda *vita in Suida* Ὅμηρος et *Eudocia* p. 320. Alia raetereo: Nihil in his est, quod certam et fructuosam noonem eorum, quae ad Homerum spectant, suppeditet; ec magis in iis, quae apud Strabonem et Pausaniam occurunt. Narratio antiqua de *certamine cum Hesiodo* ab inepto rammatico singulari libello plurimis commentis est amplicata.

Vidimus fide historica destitui quicquid de Homero traitum est, quod multo magis ex eo apparet, quod primo ab istoricis in quaestionem est vocatum, de temporibus, in uibus ille vixit. Alienum a consilio esset, post tot viros octissimos iterum in hanc quaestionem descendere velle ut varias epochas, quas constitutas legimus, annumerare, uae fere annis post bellum Trojanum, tempus et ipsum arum certum, tum annis ante Olympiadem et ante Romam onditam definiri solent; nec nisi ex probabilibus rationius, modo ariolando, modo ratiocinando. Varietas haec non iodo testatum facit hoc, quod *de ipso Homero* nulla certa ama superfuit, verum id ipsum quoque, quod *nec de aetate arminum* certi aliquid constitit. Hallerum nostrum meiini autumare, Iliadem ante Heraclidarum in Peloponneum reditum contextam esse debere, quia nihil de hac reum conversione in ea memoratur; quae argumentatio primo er se nullam vim habet, quia poetae et historici non eadem unt munera et partes; porro quorsum poeta, qui de rebus 'rojanis canebat, seriora immiscere aut intexere debuisset, uae nihil cum iis habebant commune? ipsum carmen veritur in rebus Pelopidarum, quorum progenies per Heraidas Peloponneso cedere coacta est; quae eadem res inter

caussas fuit migrationis Ionicae in Asiam; de qua nec magis poeta memorat, nec de Ionia et Ionibus. Quod vero omnem hanc conjecturam perimit, est, quod istam Heraclidarum et Doriensium in Peloponnesum incursationem annis LXXX ab excidio Trojae evenisse convenit, nec nisi annis LX serius Iones in Asia consederunt, Homerum autem Ionem fuisse et in Ionia vixisse, constans est antiquitatis fama[a].

Tempus, quo auctor Iliados vivere potuit, Homerus, aliquo modo saltem constituitur hac una re, quam dixi, migratione Ionica, qua utique serior esse debuit is, quem constans fama obtinet Ionem fuisse. Iones jam tum sedes certas in Asiae ora habuisse et cultu aliquo vitae floruisse probabile fit, cum ex poetae dictis tum ex orationis expolitione. Jam migratio illa refertur in annos 140 et seqq. a bello Trojano, ante C. N. 1044; jam, sumto spatio centum, et quod excurrit, annorum post migrationem, probabili aliquo modo, ductu Apollodori Athen. et ex eo Nepotis in Chronicis, Marmorisque Parii conventum nunc vulgo est in annos hos: Homerum floruisse circa annum ante C. N. 907; post migrationem Ionicam annis 137; a Troja capta (anno ante C. N. 1184.) annis 277; ante primam Olympiadem, (ab anno ante C. N. 776 procedentem) annis 131: ante U. C. (condita autem esse Roma ponitur ante C. N. 753) annis 154: Circa epochas has vagantur sententiae aliorum, e quibus saltem memoratu digniores sunt Eratosthenis, qui Homerum centum, et Aristarchi, qui eum centum quadraginta annos a Troicis temporibus abfuisse scripserant. Aliis modis recessere illi, qui Chronologiae systema condiderunt, quorum ad sua quisque placita accommodare Homeri aetatem studuit. Nobis in istis, quae posuimus, acquiescendum est, non quasi explorata et omni dubitatione sint majora,

[a] Mentionem quoque judicii sui injecit Hallerus alicubi in Recensibus nostris litterariis (*Götting. Gelehrt. Anzeig.* a. 1772 *Zugabe* p. 134) Vidi *Willm. Mitford*, elegantissimum scriptorem *historiae Graeciae*, Newtoniana hypothesi usum, in eandem rationem incidisse Vol. I p. 160. ut ante Heraclidarum Dorumque in Peloponnesum incursationem Homerum vixisse ex eo sibi persuaderet, quod alioqui eventum hoc tam memorabile alicubi memoraturus fuisset; in auxilium advocat versus Homericos Od. Α. 351. Θ. 578. Il. Β. 486. Υ. 308. quos ad proxima post bellum Trojanum tempora aetatem Homeri revocare opinatur. Enimvero nisi opinionem jam animo insitam ad ea loca attuleris, vix in talem sententiam descendes; tum vir sagacissimus haud animadvertit, sese innumeras in difficultates altera ex parte implicitum, quod sentiet, qui ejus opinionis tuendae partes suscipere volet, quandoquidem ab reliquis temporum istorum notitiis et ab omni antiquitatis notione prorsus abhorret.

verum ut habeamus terminum satis probabiliter fixum, ad quem referre possimus alia. Accedit auctoritas ex eo, quod convenit fere computus cum eo, quod Herodotus narrat Homerum et Hesiodum se esse antiquiores annis CCCC. lib. II, 53. Assequi equidem possum, quibus in rebus istius calculi cardo vertatur. Scilicet ab Olympiade prima ad suam aetatem, Ol. LXXIV. norat fere trecentos annos et elapsos esse, migrationem Ionicam antecessisse ducentis et quod excurrit annis, non autem certas Ionum sedes et res florentes ante medium fere hujus intervalli decursum esse potuisse: ita ille facile conjectare potuit ad CCCC annos Homeri et Hesiodi aetatem assurgere debuisse. Ad eundem fere morem suas epochas mythicas et historicas constituerunt Graeci, et recte; ut nos facere solemus in historiarum e sacris libris petitarum computo. Si tamen de utilitate subtilioris temporum finitionis ad ipsum carmen dispicimus, negari nequit, nos ea omnino bene carere posse. Quamcunque enim rationem arripueris, non ea satis convenit ad stabiliendum illud, quod Wood et alii ingeniose quidem, censuere, in ipsis confiniis inter vitam rudiorem et cultiorem tale carmen compositum esse debere. Ad tempora enim proxima a bello Trojano nullus computus nos revocat; et si revocaret, cultior sermonis Ionici in carmine habitus nos inde ad seriores aetates revocaret. Non ignoro ea, quae memorari solent, de tertia aetate post Trojam captam ex Il. Υ. 307. 308 Νῦν δέ τε Αἰνείαο—et quod ipse poeta Musas invocat, tanquam quae rerum memoriam habeant, ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν B. 486 et quod οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν occurrit, E. 304. Verum tribus post Trojam aetatibus non ea Ionici carminis esse potuit elegantia nec poeta inter Iones: cum necdum Iones in Asiam trajecissent. Quid igitur putabimus statuendum esse? hoc utique: non modo famam belli Trojani usque ad octavam vel nonam aetatem (γενεὰν) fuisse servatam, verum et carmina antiquiora, quibus ea fama jam condita fuerat; nec enim, quicquid in loco noto Velleius contra contendit I, 5. ad assequendum facile esset, unde tam politus et suavis sermo Ionici carminis procedere potuisset, nisi jam multa carmina antecesserant. Per ea itaque heroicae vitae mores et instituta jam ita multorum poetarum studiis informata esse poterant, ut eorum imaginem reddere tam vividam facile possent.

In medium prolata sunt alia, ingeniosa utique, commenta virorum doctorum, quibus aetatem Ionici ἀοιδοῦ constituere vellent, ut τροπαὶ ἠελίοιο Od. O. 403 in insula Syria cum aliis, de quibus v. *Ge. Costard in a Letter concerning*

the ages of Homer and Hesiod. Philos. Transact. Vol. XLVIII. P. II. p. 441. Nondum tamen vidi, his ac similibus rationibus, quicquam satis probabile effectum esse. Omninoque videtur inutilis esse disputatio, si verum est illud, rhapsodias a diversis poetis profectas esse, aliarumque antiquiores, aliarum seriores auctores fuisse. Ita quoque recte variari potuit in ipsa aetate Homeri constituenda; nec omnino absurde Theopompus libro XLIII Philippicarum historiarum et qui eum sequitur, Euphorion περὶ Ἀλευαδῶν, eum quingentis post expeditionem ad Trojam annis vixisse pronuntiavit, Gygis Lydorum regis tempore, Archilochi aequalem, qui circa Olymp. XXIII vixit: v. Tatianus Or. ad Gr. s. 49. et Clemens Alex. Strom. lib. I. p. 327. quod sequutus esse videtur Dodwell. de Cyclis Diss. III, p. 128. qui similia statuit. Hactenus nec miror fuisse qui negarent, ullum omnino Homerum extitisse, talem scilicet, qualem vulgo homines docti tradiderunt.

EXCURSUS IV.

Res memoratae ab Homero ex annis ante Iliadem, et ex annis post Iliadem.

Ex iis quae ante Iliadem, hoc est, ante tempus, quod res in Iliade narratas comprehendit, evenerunt, per episodium haud pauca passim inseri vel attingi in Iliade, nemini non est observatum. Fuit is fundus opinionis multorum, ad artem poetae hoc referendum esse, qui e multis aliis hoc sibi singulare argumentum delegerit, et inde lucratum esse hoc, ut haberet ingentes copias rerum, quibus exornare carmen posset. Virgilium in dilectu argumenti id vidisse, facile mihi persuasi; de Homero tum credam, cum de eo hoc praedicatur, qui totum corpus constituit et rhapsodias in epos concinnavit. Equidem alia via ingressus, ex iisdem mythis antiquis ita commemoratis, ut jam aliunde notos et in aliis carminibus expositos eos esse innuat, colligere soleo, multa jam tum aliorum poetarum carmina, quibus Ionicus sermo tantopere expolitus esse potuit, de rebus quoque Troicis, extitisse, e quibus facile erat, diligere ea, quae inter se argumentis convenirent, et tandem in compagem aliquam convenirent.

Res eae, de quibus ago, memoratae partim ad tempora Trojana spectant, partim ad antiquiora. Aliae quidem in Iliade, aliae in Odyssea; in hac quidem tam multae, ut et ad mirum illud judicium devenerit Longinus, c. 9. 11. 12 Odysseam τὰ λείψανα τῶν Ἰλιακῶν παθημάτων complecti et

tanquam epilogum Iliados habendam esse Odysseam. In Iliade alia repeti ex prioribus annis, ipsa res postulabat, ut ostentum in Aulide B. 300 et classe solvente vela vs. 350. quod in Menelai gratiam duces ad expeditionem convenerant A. 150. quod Juno expeditionis dux et auctor fuerat Δ. 26 et Minerva E. 715. Marte in societatem pertracto vs. 832. οἱ περὶ Τυνδάρεων ὅρκοι quos aiunt, B. 286. quod Nestor apud Peleum deverterat ante profectionem H. 127. Ducum gloriatio in insula Lemno Θ. 230. Porro ea quae Nestor de se memorat e prioribus annis A. 260 sq. pugna Centaurorum et Lapitharum, cui ipse interfuerat, qua Centauros a Pirithoo fugatos a Pelio monte ad Aethices in montibus Pindi se recepisse narrat ipse poeta: B. 743. 4. adde de Eurytione Centauro male mulcato a Lapithis Od. Φ. 295. Pugna Pyliorum cum Arcadibus in qua Ereuthalion a Nestore occisus Il. H. 132 sqq. Δ. 319. bellum Pyliorum et Epeorum Λ. 669 sqq. inprimis cf. vs. 714. 5. 720. 756. adde Nestorem praemia consequutum in ludis funebribus Amaryncei, Epeorum regis, Ψ. 629. Phoenicis res et casus I. 448 sq. Narrata de Tydei legatione ad Thebanos Δ. 370 sq. E. 801 sq. K. 285. Ξ. 113 sq. perpetua comite Minerva Δ. 390. De Aenea ab Achille fugato Υ. 187 sq. de ejus equis E. 265. quod Priamus interfuit pugnae Phrygum cum Amazonibus. Ita de urbibus ab Achille eversis I. 328 sq. Ganymedis raptus iisd. vss. Porro de reddenda Helena consilia Trojae acta Λ. 122. 138 et Ulyssis legatio ad Trojanos Γ. 205. Paridis cum Helena navigatio Sidonem Z. 290 quod Paris cum Helena multa κτήματα abduxerat N. 626. Γ. 70. Narrantur quoque antiquiora, quae ad res Iliacas haud spectant, ut de Bellerophonte Z. 154 sq. Praelia Curetum et Aetolorum et urbs Calydon oppugnata, I. 524 sq. Rhodus condita a Tlepolemo B. 657. de Hercule sunt plura loca classica, E. 392 sq. 638 sq. Θ. 362 sq. Λ. 688. Ξ. 249 sq. O. 18 sqq. T. 95 sq. v. sup. Excurs. I, ad Θ. de mythis Homericis. Et sic plura, quae a me enotata esse, nunc malim; potest ea alius vir doctus observare, et in classes redigere. Occurrunt tamen et in his nonnulla serius illata, ut de Paridis judicio Ω. 28. et de tentata ab Achivis escensione in muros Ilii E. 432 sq.

Cum duo sint mythorum genera, alterum narrationum a majoribus acceptarum de rerum eventis, alterum opinionum priscae aetatis et Hellenicae stirpis ac Pelasgicae gentis: de mythis ex cosmogoniis petitis dictum est in Excursu III. ad Ψ. *de allegoria Homerica.* De historicis autem mythis memorabilis est observatio, quae et aliis facile in mentem

venire potuit, quod ultra quintam aetatem ante tempora Trojana nulla adsurgit res narrata; proxima enim aetas seu γενεὰ est Argonautarum et belli Thebani, cui Tydeus, pater Diomedis interfuit; Euneos, Jasonis filius, commercia in Lemno exercebat cum Trojanis: H. 467 sq. Tertia aetas Herculis, Nelei, patris Nestoris; Oenei, patris Tydei, et Meleagri; inde quarta Amphitruonis et Alcmenae, et quinta Persei ac Pelopis, quorum stirps ad Jovem refertur.

Intra Aeoli genus, quod mox declarabo, comprehenditur potior mythorum numerus, a quo quinta generatio est Sarpedonis ad Trojam pugnantis: erat is filius Hippolochi ex Bellerophonte, qui Glauci Corinthii fuit, is Sisyphi, et hic Aeoli: Il. Z. 150 sq. Simili modo Priamus patrem habuit Laomedontem, is Ilum, hic Troem, ex Erichthonio natum, Dardani filio, qui ex Jove et Electra Atlantis filia natus fuit; v. Aeneae genus Υ. 213 sqq. Ita sextus a Dardano fuit Priamus. Liceret haec subtilius et copiosius persequi; ut omnino mythologia heroum per γενεὰς est constituenda: verum hujus loci res ea non est.

Verum alia observatio accedit, quod facta heroum et res per episodia memoratae de Achivis spectant omnes aut ad Pelopidas aut ad genus Aeolicum; Aeoles autem ex Thessalia oriundi in finibus veteris regni Trojani insederant loca, mox Aeolidis nomine insignita, famamque de majorum suorum fortuna et virtute secum eo attulerant. Celebratum itaque apud hos Aeoles ex Thessalia profectos nomen Achillis, mater Thetis, extra Thessaliam alioqui vix cultu et templo insignis. Potuit per hos Aeoles nec minus Pelopidarum nomen cum Oreste et Penthilo, qui Aeoles in Asiam deduxere, migrare et tantam claritatem habere. Si haec tenemus, potest quoque ratio reddi, unde ductum hoc sit, quod poetae, qui in Asiae oris degebant, Homerus et Hesiodus, ex Aeolide in Boeotiam profectus, Olympum Thessaliae montem, deorum sedem celebrarunt; antiquis scilicet narrationibus et carminibus hoc quoque e Thessalia cum Aeolibus in Asiam erat translatum. Vates itaque seu ἀοιδοὶ inter Aeoles et Iones bellum Trojanum facile in praecipuo carminum argumento constituere potuere. Inde quoque iis innotescere potuit incursatio Amazonum in Phrygiam Il. Γ. 184 quo Myrinnae sepulcrum ad Trojam est referendum B. 814. Reliquarum stirpium Hellenicarum fabulae vix ullae occurrunt. Ionum fabula est una de Erechtheo B. 547. Od. H. 80. 81. De Doribus autem omnino nihil narratum meminimus. Contra, cum Ulysses, etsi a Cephalo, adeoque a Xutho, genus ducens, ad Aeolum tamen genus

referret, a Sisypho progenitus: intelligitur, quomodo inter Aeoles Asiae memoria ejus et fama esse potuerit, quae ἀοιδῶν carminibus argumenta praeberet.

Narrantur quoque nonnulla in Iliade e serioribus temporibus: vaticinii tamen aut praesagii specie, ut de Achillis morte, primo obscurius, tum apertius declarata; ab Apolline quod Troja nec a Patroclo nec ab Achille capi possit, Π. 708. 9. Ita de Aeneae posteris regnaturis Υ. 306 sq. cum Trojae eversione. (Minus bene eversionem Mycenarum quaesivere in Δ. 53) de vallo solo aequando M. pr. ubi versu procul dubio insititio decimus annus urbis obsessae memoratur. Unum est, quod offendit Il. B. de Philoctete 724. 5. aliquando Trojam arcessendo, ab ipso poeta interpositum v. ad e. l.

Plura alia occurrere Postiliaca in Odyssea, mirum non est, cum totum carmen ad seriora spectet. Sunt tamen in his nonnulla, quae quodammodo narrationem rerum ad Ilium gestarum supplent; ut altercatio Achillis et Ulyssis in omen accepta Od. Θ. 75. porro A. 326 quod Minervae ira Achivis interitus caussa fuit; A. 37 quod Mercurius ad Aegisthum missus est de Menelai erroribus Δ. 349 sq. de Helenae raptu; item de Agamemnonis caede Λ. 386 sq. et alia; quod Ulysses speculator ingressus erat urbem, ab Helena agnitus Θ. 292 de equo durateo Ξ. 469 de insidiis quibus Ulysses insederat, Ξ. 458 sq. quod Achillem caesum e praelio absportaverat E. 308 sq. Achillis funus Ω. 57. Neoptolemi strenue gesta Λ. 504. excidium Trojae Δ. 240 sq. et alia. Narrantur quoque nonnulla antiquiora de Orione a Diana, et de Jasone a Cerere amato, Od. E. 121. 125. de Atlante A. 52. columbae Jovi ambrosiam ferentes M. 63. Longe vero diversi generis mythi sunt illi, qui Ulyssis errores constituunt et omnino alium, unde fluxerint, fontem arguunt: Verum de his suo loco agetur. Nunc de Iliade.

Observant quoque veteres *nonnulla ab Homero ignorari*; ita Strabo XIII p. 896 C. quod Cassandrae vitium illatum haud novit, sed eam ab Othryoneo expetitam esse Il. N. 365. Scilicet hujus generis sunt ea, quae a serioribus memorata eo in loco, ubi de iisdem rebus memoratur, haud occurrunt. Eo revocabant veteres judicium Paridis, quod tamen in loco insititio occurrit Ω. 28. 29. de caussa irarum Junonis et Palladis. At hujus generis memorari possint innumera, si, quae a Tragicis inventa fuerunt, in Iliade desideres, referendaque in eum censum esset omnis mythologia posthomerica; nam et Cyclici et Lyrici, sicque alii

poetae iis, quae Homerus vel omiserat vel leviter attigerat, v. c. de Epeo, ductu vss. Ψ. 667 sq. alia pro consilio mutata, ut, quod Scyro adductus narratur Achilles, cum in Iliade I. 252 sqq. sponte ille ad Trojam venerit: alia adjecerunt; sic Bellerophonti Pegasum Pindarus, quem desiderant in Z. 179. Plurima hujus generis, in hac clade praestantissimorum poetarum ignoramus, quo auctore aucta et ornata fuerint. Ita scire velim, quis Heben ab Hercule ductam, ingeniosissimum mythum adhibuerit; Pindarus eum jam attigit. Inter haec tamen perperam ponitur hoc, poetam omnia ignorasse quae non apposuit in carmine: ut recte Strabo aliquoties disputat ut lib. XII p. 831. contra Apollodorum; cf. XIV p. 995. Ita cur tandem lyram operis sociam Amphioni in condendis muris Thebarum memorare debuit Odyss. Λ. 262 ut critici censuere: v. ap. Valck. ad Phoen. p. 311.

EXCURSUS V.

De Carminum Homericorum auctoritate recte constituenda.

Si in viros ingeniis, consiliis et factis eximios calumniandi libidine saepe grassantes alios indignamur: non minus aegre ferendum est interdum, si laudum intemperantia alii in eos utuntur. Homerus, haud dubie princeps carminis epici, simulque meliorum litterarum princeps, quatenus omnes antecessit, exemplumque proposuit, quod sequuti alii ad alia et majora progressi sunt, ad tantam sui admirationem adduxit posteros, ut omnium litterarum, doctrinarum et scientiarum fontem eum esse pronuntiarent. Immodicis his, partim stolidis, laudibus offecisse illi potius poetae nomini, quam illud illustrasse dicendi sunt. Ipse Quinctilianus Instit. Or. X, 1. 46 sqq. etsi intra eloquendi artem continere voluisse suas laudes videri debet, cum eum *omnibus eloquentiae partibus exemplum dedisse* demonstrare vult, eo tamen, tanquam divino afflatu abreptus, progreditur, ut in fine subjungat: " *Quid? in verbis, sententiis, figuris,* dispositione totius operis, *nonne humani ingenii modum excedit? Ut magni sit viri, virtutes ejus, non aemulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, et in omni genere eloquentiae, procul a se reliquit; heroicos tamen praecipue; videlicet, quia clarissima in materia simili comparatio est.*" Persuasum tamen mihi habeo, et habere me alios assensuros praevideo, si nostra aetate, tale, aut idem, carmen primum in lucem prodiisset, immodicarum istarum laudum magnam partem exspiratu-

ram esse. Itaque et modus laudibus est statuendus, et inquirendum, quis earum aut fundus sit, aut fons sit habendus.

Verissime mihi Plinius dixisse videtur H. N. VII, 30. *Homero vate graeco* ingenium, inquit, *nullum felicius extitisse convenit, sive operis fortuna, sive materia aestimetur.* Neque temere dictum arbitror, si quis asseveret, semel tantum, nec nisi ista, qua conditum est, aetate carmen utrumque tam prospero successu condi potuisse; in felicitatis itaque loco esse hoc numerandum, quod poetae obtigerunt ea, quibus effectum est, ut ad omnes aetates carmina ista non modo laudem, sed et admirationem habitura sint aeternam. Continentur autem caussae istae primo loco *antiquitate* ipsa, *iisque virtutibus*, quae ab ea ductae sunt, sive in materia et argumento, sive in tractatione et elocutione; neque eae habere possent tantam vim ad hominum animos per omnia saecula tenendos, nisi eae ista aetate emersissent, qua naturae vivida vis nondum artis fuco esset corrupta, sine quo tamen nunc nullum ingenii opus carere potest, etsi in antiquissimis operibus haec tantopere probamus et miramur. Habent et haec caussas suas in ipsa ingenii humani natura. Eo tamen factum est potissimum, ut per omnes aetates habeant homines, quod in Homericis carminibus voluptatem cum admiratione afferat. Cum his tamen fatendum est, in omnibus aetatibus ac populis accessisse caussas alias ac diversas, seu admirationis seu voluptatis inde capiendae. Nam Iones haud dubie laetabantur, suorum ἀοιδῶν carmina divino aliquo munere sibi servata, et in iis ea, quae a majoribus stirpisque Hellenicae gentiumque auctoribus auditione ad se propagata erant, Musarum beneficio memoriae sempiternae tradita esse. Cum inde Athenas perlata erant carmina, Athenienses ea non minore cum voluptate audiebant, quippe qui Iones ex sua urbe digressos Asiam occupasse norant, eorumque laudes non minus ad se pertinere arbitrari debuerunt. Sequiores aetates carmina Homerica omnis antiquae memoriae tanquam codicem praestantissimum, merito summa religione, admiratione, honore, prosequuti sunt: tenebant enim in iis ἀοιδῶν suorum reliquias, priscorum ingeniorum superstites fetus, majorum laudes, facta, sensus, omnem memoriam antiquam, prima culturae omnisque sapientiae elementa, religiones, instituta, vitae praecepta; et hoc sensu dici poterat Homerus omnis sapientiae fons, ingeniorum altor, phantasiae fomes, poeseos historiaeque parens, carminis epici unicum exemplum; cumque carmina illa servata genere, argumento, colore, in-

ter se similia in unum complexum essent comprehensa, ad unum eundemque auctorem etsi nec nomine satis notum ea coepere referri, idque nomen unice celebrari. Ita, quae a venerabili isto vatum Ionicorum choro ac concentu erant recitata, cum ea singulatim sparsa, facile peritura fuissent, Homeri nomini tanquam sacro clavo affixa, memorabili fortunae beneficio ab interitu sunt servata: atque ita factum est, ut tanquam serie et catena perpetua, temporum seriorum litteratura ab eo apta ac nexa sit, vinculo aliquo subtili nec cujusvis adspectui obvio, simili illis δεσμοῖς Ἡφαιστοτεύκτοις, quos poeta memorat Odyss. Θ. 275 sqq. *ἀῤῥήκτους, ἀλύτους, ὄφρ' ἔμπεδον αὖθι μένοιεν·—δέσματα, ἠΰτ' ἀράχνια, λεπτὰ, τά κ' οὔ τε τις οὐδὲ ἴδοιτο οὐδὲ θεῶν μακάρων.*

Verum, etsi brevissimis, exponendum tamen est disertius de iis, quae a *vetustate rerum et sermonis* maxime profecta sunt in carminis laudes tantopere cumulatas. Ipsa videlicet *antiquitatis religio* animis hominum insita, vita hominum in primis cultioris vitae gradibus constitutorum, sua simplicitate et naturae veritate placens, cum ipsa, quam dicimus, generis humani infantia, oratio mythica, quae tota a sensibus oculorum animique pendet, narrationibusque continetur rerum a sensu et phantasia ductarum adumbratione; mythorum natura sensibus impellendis accommodata, maxime quod cum ipso hominum actu et rebus gestis copulati illi sunt, eorumque enarratio cum candore tam ingenue facta, ut poetam haec omnia tanquam vera habita cum fide ac persuasione persequi videas; nata ex deorum interventu factorum naturam humanam superantium probabilitas; ex eaque miratio mentem audientium, expectatione eventorum continua arrectam tenens: haec, inquam, adspersere carmini has illecebras, seu praestigias, quibus deliniti tenemur; per quas occulta illa iynx, quae carmini insidet, nos ad lectionem revocat; tum narrationis simplicitas et suavitas ad eventum properantis, mutato per eventorum vicissitudines ipso orationis colore, cursu per hexametros cum gravitate aut celeritate variato; narratione per ipsum rerum actum detexta et oculis exposita, ut qui narrat ipse agentis partes sustinere videatur, ita ut drama agi, non memorari facta, putes; dum res porro ex naturae veritate ipsis propriis formis et nativis coloribus redduntur, ut eas ante oculos positas arbitreris. Hae praeclarae carminis dotes etiamnum nobis, in tanta vitae, opinionum et judiciorum, diversitate, voluptatem instillant, et mirationem exprimunt; humanitatis incunabula cupide discimus, et historias antiquas aliorum populorum, libros sacros Hebraeorum antiquiores,

tum notitias recentiorum aetatum de populis barbaris et ab humano cultu alienis, curiose comparamus; sermonem antiquissimorum hominum juvat cognoscere, quandoquidem linguarum origines inter studia nostra nunc referimus, et grammaticam universalem cum litteraturae, grammaticae ac criticae studio conjungimus. Per haec ipsa enim eo tandem perventum est, ut a verborum tricis ac formulis sapientiae sacrae ac profanae studia ad utiliorem rerum, populorum, naturaeque cognitionem conversa sint; ita utilius quoque Homeri studium subnasci potuit. Nec tamen postulari potest, ut unusquisque admiratione ac judicio suo comprehendat omnia, quae in carmine praeclara sunt; hoc enim plus studii et otii postulat, quam quod ii quoque, qui liberalibus litteris bene imbuti sunt, impendere possint. Satis est, pulcri ac veri notionem habere ac sensum ita informatum, ne ad potiora et eminentiora caecutiat aut hebeat.

Antiquorum hominum priscaeque vitae adumbratione magnam voluptatis, cujus fructum Homerica impertiunt, partem contineri dixi. Cedit ea in laudem ipsius poetae, propter veritatem, qua res antiquae sensibus nostris redditae sunt; ceteroqui eae animos nostros tenent per se; id quod peregrinatorum per barbarorum terras narratione etiam recentiorum, experimur. Ex quo itaque ad haec attendi coeptum est, studium Homeri subnatum est, quod cujusvis ingenui hominis otio dignum haberi potest.

Alia laus accessit Homero ex ipso argumento, quia ex belli Trojani eventis ductum est, cujus fama in antiquitate fuit celebratissima, idque merito: nam ex eo omnis melioris vitae cultus primordia inter Hellenes ducta esse credebantur. Primum hoc fuit tempus, quo distracta per tribus, gentes ac familias Hellenica stirps in commune coiit, commercia junxit et populi notionem vere explevit; *tum primum Graecia vires Contemplata suas: tum sparsa ac dissona moles In corpus vultumque coit et rege sub uno Disposita est*, verba sunt Statii Achill. I, 456 sq. Belli hujus memoria ac fama jam ante auctorem Odysseae antiquiorum ἀοιδῶν carminibus erat celebrata; nam Ulysses audire memoratur apud Alcinoum ἀοιδὸν res Trojanas narrantem; ut satis hinc pateat, Homerum non fuisse primum belli Trojani ἀοιδόν, cum ipse alios ante se memoret eadem tentasse.

Nuper quoque Troadis adeundae et cum Homericis comparandae studium exortum est, nondum satis subtiliter constitutum notitiis et consiliis, quae res postulat. Neque

vero de his agendi nunc est locus; pluribus Excursibus haec attigi, quorum recensus est inspiciendus: quandoquidem nec recentiorum studia a meis curis aliena esse putavi.

Inter fortunae munera referendum est quoque hoc, quod mirationis in audientium animis movendae instrumenta Homerus habebat efficacissima ex interventu deorum, qui non ab arte inventus, sed, cum indole aetatum et sensibus hominum, subnatus erat; debuit enim incredibilem vim ad hominum animos habere, qui talia, majorum fide ac fama accepta, persuasa sibi habebant. Sane et nostros sensus ista feriunt; at quam diversa ratione! nunc antiquitate et doctrina placent.

Alia, quam miramur, poetae felicitas est in exprimendis naturae impulsibus, sensibus, motibus, affectibus et sic porro; tum in viva rerum sensui objectarum redhibitione per poeticam orationem: hoc illud est, quo maxime poetae ingenium summum eminere censeo. Eam tamen felicitatem ille non ab arte petiit; sed vivida ingenii vi expressit ea, quae ipse perceperat ac senserat. In ista autem vitae simplicitate, animis hominum nondum per varias curas et studia districtis, multo vividior sensuum impulsus et phantasiae vis et vigor esse debuit. Ab aetatis priscae usu profectum erat hoc, ut, qui rem factam narraret, ita narraret, ut eam inter narrandum ipsa actione redderet et ante oculos poneret, et auctores facti ipsos induceret illud enarrantes; erat id tanquam drama, dramatica actio, ad affectus magnos movendos accommodata; sic nata est narratio epica, qua tantopere animi audientium deliniuntur.

Magnam dulcedinis partem narrationis epicae a virtutibus versus hexametri proficisci jam ab aliis monitum est; rhythmo ille suo, variato motu, et modo rivi modo fluminis more lenior vel concitatior incessus, facilis et continuus, in graecis Homeri incredibili modo narrationem adjuvat.

Ea ipsa, quae nunc in oratione vulgaria, languida, incomta, diceres, in laude habentur orationis Homericae, propter carminis antiquam simplicitatem, sermonemque nondum cultu expolitum; placent particulae ejusdem iterationes modo copulandi modo disjungendi modo adversandi vi ac sensu positae; novae propositiones pro iis, quae junctura cum antecedentibus decurrere debebant; verba juncta cum nominibus omissa praepositione, (v. c. ποθὴ ἵξεται υἷας Ἀχαιῶν, pro ἐπὶ υἷας, h. e. ἐφίξεται) casus secundus positus sine ἕνεκα vel διά. et alia sigillatim notata; Epitheta perpetua, otiose posita, sine vi in iis locis. Cui non in memo-

riam venit πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεὺς, etiam quando stat et sedet, et sic innumera. Ipsa vox θεῖος, θεοειδὴς, θεοείκελος, toties apposita sine ulla vi, et nullo cum fructu ad sententiam; cum alibi praestantiam quamcunque designet; de quibus notata sunt multa; nec sine reprehensione otiosi usus; attamen in ipsa lectione Homeri haud offendunt, delectant quoque numeris suis eorumque vi ad hexametri suavitatem. Tam multa sunt in his, quae ex orationis genere, charactere et habitu sunt dijudicanda.

GODOFREDI HERMANNI

DISSERTATIONES.

GODOFREDI HERMANNI

DE

LEGIBUS QUIBUSDAM SUBTILIORIBUS SERMONIS HOMERICI

DISSERTATIO PRIMA.

LIPS. 1812.

HOMERUS quemadmodum facillimus est ad intelligendum inter scriptores Graecos, ita idem jure habetur difficillimus. Nam si quis in universum quaerat, quae quoque in loco ejus mens sit, nihil illo simplicius, nihil planius fingi potest; sin vero accuratius singula pervestiget, neque eum temere aut voces ponere nihil significantes, aut verborum tempora modosque confundere existimet, tam varia est, tamque implicata ejus oratio, ut vix initium inquirendi, nedum finem invenias. Nec mirum. Sermo enim liberior, nec dum aut artis quibusdam praeceptis formatus, aut, ut postea factum, usu huc vel illuc inclinante constrictus coarctatusque, plurimas habet et perquam subtiles notionum enunciationumque rationes: quas quidem cognovisse, recteque perspectas habere, tanto magis necessarium est, quod omnis recentiorum sermo ex his quasi radicibus effloruit. Quamobrem qui grammaticam Homericam, quae quidem et plena sit, et erroribus vacua, condiderit, eum propemodum universae linguae Graecae naturam rationemque explicuisse dixerim. At nimirum hoc aliquanto difficilius est, quam visum est nuper Frider. Thierschio, viro praestantis ingenii, mihique veteri necessitudine conjunctissimo. Quem quum viderem in actis philologorum Monacensium de verborum modis, quibus apud Homerum tempora et caussae rerum indicantur, ita disputasse, ut, quamvis multa acute dissereret, tamen in iis, quae quasi fundamenta sunt hujus quaestionis, a vero, ut ego quidem arbitror, nonnihil recederet:

non alienum esse a munere meo existimavi, monere vel adolescentes, qui litteras Graecas accuratius cognoscere cuperent, vel alios etiam, qui ad assentiendum proniores essent, ne, tantae difficultatis quaestionem pro re judicata habentes, orationem poetae, nuper eximia Wolfii sollertia a plerisque sordibus purgatam, inconsideratius sollicitatum irent. Faciam autem hoc sic, ut, quoniam tres illas regulas, quas Thierschius proposuit, neque explicatas ab eo video, neque ab omni parte veras esse puto, primo omnem illam rationem constructionum temporalium in partes quasdam describam, deinde autem de singulis partibus, quantum quidem in hac scriptionum Academicarum brevitate licet, dicam explicatius, non quo nova proferam, sed ut faciam, nota ne novis obscurentur.

Ac primum quidem tenendum est, constructiones, quibus tempora notantur, non aliis contineri regulis, quam illas constructiones, quae caussis vel finibus significandis inserviunt. Id enim, ex quo constructionis ratio pendet, commune habent: conditionem dico. Est autem omnis conditio talis, ut aut vere esse aliquid vel non esse, aut posse esse dicatur. Hoc postremum rursus duplex est: nam quae possunt esse, ea, si philosophorum more loqui licet, aut objective possibilia sunt, aut subjective, i. e. ut ad communem captum verba accommodem, aut nos nescimus utrum sint, necne, ideoque dubitanter loquimur, quum illa tamen re vera vel sint, vel non sint; aut, utrum sint necne, non quaerimus, sed fingimus esse, etiam si non sint, vel non esse, etiam si sint. His rationibus indicandis inventi sunt modi, indicativus, conjunctivus, optativus. Eἰ γενήσεται, si erit, quod futurum est; εἰ γένηται, si fuerit, quod an eventurum sit, necne, nescimus; εἰ γένοιτο, si fiat, quod fingimus fieri, nihil curantes, futurumne sit, an forte ne possit quidem fieri. Sed quantumvis plana sit haec modorum distinctio, tamen usu fit impeditissima, et quidem propter ipsam conjunctivi optativique naturam. Nam conjunctivus quum ea notet, quae nos tantum, sintne an non sint, nescimus, necessario omnes, quae per eum modum indicantur conditiones, in futurum tempus conjicit: quia etiamsi quid ex eo pendet, ut aliquid jam multo ante factum sit, tamen, quum nos, dum conjunctivo utimur, utrum id sit factum necne, nondum sciamus, tota res in eo versatur, ut cognito demum, quid rei sit, conditio impleatur: unde conjunctivo adhaesit vis futuri exacti. Alia ratio est optativi, qui quum natura sua, pariter atque indicativus, non sit cujusquam temporis proprius, usurpatur ille tamen singulari quodam modo de

praeterito tempore. Nam ut, quae hactenus dicta sunt, ad sententias temporales transferamus, his aut certa res, quae fuerit, sit, vel futura sit, designetur necesse est, ut, ὅτε ἦν, ὅτε ἔστιν, ὅτε ἔσται; aut incerta, eaque vel sic, ut nos tantum, utrum sit, an non sit, ignoremus: quae conditio quum ex eventu adhuc cognoscendo suspensa sit, planum est, hanc totam rationem non nisi ad futurum tempus pertinere. Nam id tantum, quod nondum factum est, potest ex conditione incerta pendere. Quod autem revera vel fit, vel factum est, id si qua ex conditione pendet, ea conditio non jam incerta esse potest, sed revera impleta fuerit necesse est, quia aliter, quod ex ea pendebat, non evenisset. Quare recte dicas ξενίσω, ὁπότε ἵκηται; non autem possis, ἐξένισα, ὁπότε ἵκηται. Sed poteris in praesenti tempore, modo ne de eo, quod nunc ipsum fiat, (hoc enim certum est) sed de eo, quod indefinitum est, ideoque aliqua sui parte ex eo pendet, quod adhuc incertum est: ut, τῷ νῦν σοὶ μὲν ἐγὼ ξεῖνος φίλος Ἄργεϊ μέσσῳ εἰμὶ, σὺ δ' ἐν Λυκίῃ, ὅτε κεν τῶν δῆμον ἵκωμαι, *hospes sum, si quando istuc venero*. Jam intelligetur, cur idem in praeteritis per optativum significetur. Nam quum conjunctivus, ut qui futuri notionem contineat, non possit praeteritis accommodari, apparet, si quid in his infinitum est, id per eum significari modum debere, quo quid omnino sine temporis notatione ut incertum, solaque in cogitatione positum indicatur: is est autem optativus. Unde illud dictum est, πολλάκι μιν ξείνισσεν, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο, *hospitio eum excepit, si quando*, vel *quoties veniret*. Sed ex hoc ipso, quod optativus omni temporis notione caret, facile intelligitur, nihil, nisi usum, obstare, quin eodem modo etiam in praesentibus et futuris usurpetur. Restat alia adhuc conditionis notatio. Quas enim hactenus vidimus, earum prima in iis, quae certa sunt, versabatur, cui destinatus est indicativus; secunda erat eorum, quae sintne an non sint, nondum scimus, cui servit conjunctivus; tertia continebat ea, quae sive sunt, sive non sunt, sumimus esse, cujus proprius est optativus. Jam his quarta accedit, quae est eorum, quae sic sumimus esse, ut simul non esse confiteamur. In qua quoniam hoc, non esse aliquid, certum est: placuit Graecis modo uti eo, quo simul et res certa, et quae non est, indicaretur, id est indicativo praeteritorum, excepto, ut par erat, perfecto, quod in hoc praesentis significatio reperiretur. Itaque quod Latini, *si hoc esset* vel *fuisset*, Graeci per indicativum imperfecti vel plusquamperfecti vel aoristi dicunt.

His positis quasi fundamentis, sententias temporales ac-

curatius consideremus. Est autem earum aliquanto major numerus, quam visum est Thierschio. Quid enim, num ὄφρα, ἕως, εἰσόκε, πρὶν non sunt particulae temporales? Quin haud raro etiam pronomina sic usurpantur, ut apertius tectius temporis notationem contineant. Quare ne haec quidem prorsus negligenda putamus. Omninoque, quum ne finalium quidem particularum alia ratio sit, ita disseremus, ut magis de modo verbi, quam utrum is cum temporali an finali particula junctus sit, quaeramus.

Incipiamus autem ab indicativo, quo utendum esse, ubi de re certa sermo est, sive ea facta sit, sive fiat, sive futura sit, tam apertum est, ut non putarim umquam exstiturum esse, cui de eo dubitandum videretur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium, in prima illarum, quas posuit, regularum, indicativi usum ad solas res praeteritas vidi restringere. Difficile profecto sit, rationem vel aliquam hujus rei excogitare. Sed nimirum exemplis ille rem conficere voluit. Quorum quum sat multa in rebus praeteritis, pauca autem in futuris vel praesentibus versari videret, haec explicando vel mutando removere studuit. Videamus vero. Odyss. Σ. 272. νὺξ δ' ἔσται, ὅτε δὴ στυγερὸς γάμος ἀντιβολήσει οὐλομένης ἐμέθεν. Negat Thierschius p. 7. particulam hic temporalem esse, sed positam vult pro relativo ἐν ᾗ, quod equidem non video quomodo a temporali significatione diversum sit. Quin nemo, opinor, reperietur, quin, si quis quaerat, utrum rectius dictum sit, hoc, an illud, ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ, magis in conjunctivo, quam in indicativo haereat. Porro quod ex hymno Apollinis affert, ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει, in quo particulam vult caussalem esse, primo, si ita esset, sententia esset eadem, ac si diceres ὅτι τοξοφόρος ἐστὶ, quod et alienum ab illo loco est, et a sermonis Homerici natura abhorret; deinde ipsa illa caussalis significatio nititur temporali, cadatque, nisi temporalis admittatur, necesse est. Nam quid aliud est, ἦ δὴ λοίγια ἔργ', ὅτε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεις Ἥρῃ, vel, τί νύ σε ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις, quam, *malum factum erit, quum tu me coges altercari*, vel *quid faciunt, quando tu sic irata es?* Luculentum exemplum in his est, Od. E. 356. ὤ μοι ἐγὼ, μή τις μοι ὑφαίνῃσιν δόλον αὖτε ἀθανάτων, ὅτε με σχεδίης ἀποβῆναι ἀνώγει. Sed cave huc trahas Iliad. Π. 52. ἀλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει, ὁππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι, καὶ γέρας ἂψ ἀφελέσθαι, ὅτε κράτεϊ προβεβήκει. Nam neque ὅτε particula est, sed antiquum pronomen pro ὅστε, et verbi tempus, manifesto vitiosum, optimam lectionem προβεβήκῃ revocari postulat. Ut redeam ad hymnum illum,

nemo negabit, τιταίνῃ scribi potuisse, modo ne quis indicativum falsum esse pronunciet. Pariterque Latine et *si arcum tendat*, et *quum arcum tendit* dicas. Sed videamus aliud exemplum: Odyss. Ω. 87. ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος ζώννυνταί τε νέοι, καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα. Putat Thierschius p. 188. poetam necessitate coactum ζώννυνται dixisse, quod hoc verbum conjunctivo careret, ideoque certe ἐπεντύνονται in conjunctivum mutari debere. Malum vero, si poeta tam inops fuisset consilii, ut non aut conjunctivum declinare, aut verbo uti, quod haberet conjunctivum, potuisset. Hoc quidem in loco tam necessarii sunt indicativi, ut neque uti conjunctivis, neque non uti indicativis licuerit. Quod quum tam apertum sit, ut demonstratione non indigeat, satis habeo adjicere, quemadmodum Latine non dixeris, *multos vidi ludos, quum certamina instituerint juvenes*, sed *quum instituunt*, ita cavendum esse, ne Graecos jubeas dicere, quod dici non potest. Sed quid verbis opus? Inveniuntur enim loci, qui tam sunt adversus omnes machinas muniti, ut, nisi nescio quo casu Thierschii diligentiam effugissent, regulam istam, sat scio, non fuisset propositurus. Odyss. Σ. 217. νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας ἐσσὶ, καὶ ἥβης μέτρον ἱκάνεις, οὐκέτι τοι φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι. 408. ἀλλ' εὖ δαισάμενοι, κατακείετε οἴκαδ' ἰόντες, ὁππότε θυμὸς ἄνωγε· διώκω δ' οὔτιν' ἔγωγε. Iliad. N. 817. σοὶ δ' αὐτῷ φημὶ σχεδὸν ἔμμεναι, ὁππότε φεύγων ἀρήσῃ Διῒ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν θάσσονας ἴρηκων ἔμεναι καλλίτριχας ἵππους. Sic etiam Od. P. 390. οὐκ ἀλέγω, εἴως μοι ἐχέφρων Πηνελόπεια ζώει ἐνὶ μεγάροις, καὶ Τηλέμαχος θεοειδής. Ita ἕως etiam Iliad. P. 727. in oratione elliptica. Alios locos, quos attulit quidem Thierschius, sed ut eos tentaret, tum videbimus, quum de comparationibus Homericis dicetur. Ille tamen non est hic praetermittendus, qui Od. O. 195. exstat: ἀλλὰ θεοὶ δυόωσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους, ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσονται ὀϊζύν. Ubi quum Thierschius p. 192. futurum recte, ut arbitror, improbaret, tamen non debebat codicum lectionibus ad conjunctivum restituendum abuti, quem sensus loci, in quo particula ὁπότε caussalis est, prorsus alienum esse ostendit.

Aliis in locis, quum conjunctivus vel optativus usurpari posset, indicativum praetulit poeta, quo res gravius affirmaretur. Od. Θ. 317. ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμὸς ἐρύξει, εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα. Quo tamen non velim quosdam locos trahi, in quibus πρὶν invenitur, ut Il. A. 29. et Σ. 283. Nam ibi πρὶν non *priusquam*, sed *prius* significare, majoremque antecedere debere interpunctionem puto,

sic: τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν, et, οὐδέ ποτ' ἐκπέρσει· πρίν μιν κύνες ἀργοὶ ἔδονται. Frequens est ille indicativi usus in pronominibus, ut Il. A. 174. πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι, quocum compara I. 155. 297. Od. E. 36. Particula κὲν in hujusmodi formulis respondet nostrae *wohl*, eoque a ποὺ differt, quod est *vielleicht*. Inde dicit poeta ὁ δέ κεν κεχολώσεται Il. A. 139. eademque ratio est in his, A. 523. I. 61. 386. K. 281. Ξ. 102. 239. O. 211. X. 66. Od. Γ. 255. Δ. 80. 546. T. 558. Ab his videat mihi quis quam diversum sit hoc, Il. X. 41. αἴθε θεοῖσι φίλος τοσσόνδε γένοιτο, ὅσσον ἐμοί· τάχα κέν ἑ κύνες καὶ γῦπες ἔδονται κείμενον· ἤ κέ μοι αἰνὸν ἀπὸ πραπίδων ἄχος ἔλθοι. Sensere grammatici, hic, ut in re prorsus incerta, non esse indicativo locum: unde alii ἔδοιντο, Aristarchus recte ἔδοιεν posuit. In ludis funebribus Patrocli Achilles pugilatus praemia proponit victori mulam, victo poculum. Surgit Epeus, mulamque prehendens, ita loquitur, Il. Ψ. 667. ἄσσον ἴτω, ὅστις δέπας οἴσεται ἀμφικύπελλον. Audimus certum victoriae. Ita habebis, quo explices B. 229. I. 167. Φ. 70. 587. Ψ. 675. Od. K. 432. Π. 306. Sed Il. Ψ. 707. 758. 831. ὄρνυσθ', οἳ καὶ τούτου ἀέθλου πειρήσεσθον, indicativus non videtur idoneam rationem habere, potiusque requiri conjunctivus. Ita etiam in his Il. K. 44. χρεὼ βουλῆς ἐμὲ καὶ σὲ κερδαλέης, ἥτις κεν ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσει Ἀργείους. Od. Δ. 207. ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων ὄλβον ἐπικλώσει γαμέοντί τε γεινομένῳ τε. Θ. 147. οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὄφρα κεν ᾖσιν, ἤ ὅ τι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν: quorum ex primo vitium jam Thierschius sustulit p. 181. Eodem modo in his Il. Ω. 553. μή μέ πω ἐς θρόνον ἵζε, διοτρεφὲς, ὄφρα κεν Ἕκτωρ κεῖται ἐνὶ κλισίῃσιν ἀκηδὴς, reponendum putem κῆται. Sed recte se habent, quamquam singulari modo conformata, haec, Od. Π. 437. οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται, ὅς κεν Τηλεμάχῳ σῷ υἱέϊ χεῖρας ἐποίσει: et A. 403. μὴ γὰρ ὅγ' ἔλθοι ἀνὴρ, ὅστις σ' ἀέκοντα βίηφιν κτήματ' ἀποῤῥαίσει, Ἰθάκης ἔτι ναιεταώσης.

Alia indicativi ratio ex vitae communis usu repetenda est, qui etiam in nostro Latinorumque sermone saepe indicativum conjunctivo praefert. Od. Π. 282. ὁππότε κεν πολύβουλος ἐνὶ φρεσὶ θήσει Ἀθήνη, νεύσω μέν τοι ἐγὼ κεφαλῇ. Poterat θείῃ dicere, quod Thierschius p. 195. reponi vult, sed recte etiam indicativus stabit. Multa enim hujusmodi apud Homerum inveniuntur. Ut Il. Γ. 101. ἡμέων δ' ὁπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται, τεθναίη. 308 Ζεὺς μέν που τόγε οἶδε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι, ὁπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν. K. 394. ἠνώγει δέ με ἀνδρῶν δυσμενέων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἔκ τε πυθέ-

σθαι, ἠὲ φυλάσσονται νῆες θοαὶ, ὡς τὸ πάρος περ, ἢ ἤδη, χείρεσσιν ὑφ' ἡμετέρῃσι δαμέντες, φύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν, οὐδ' ἐθέλοιτε νύκτα φυλασσέμεναι. In iisdem verbis v. 308 alter quoque indicativus βουλεύουσι positus est. Od. Δ. 632. ἦ ῥά τι ἴδμεν ἐνὶ φρεσὶν, ἠὲ καὶ οὐκὶ, ὁππότε Τηλέμαχος νεῖτ' ἐκ Πύλου: quod non recte explicat Thierschius p. 190. P. 120. εἴρετο δ' αὐτίκ' ἔπειτα βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος, ὅττευ χρηΐζων ἱκόμην Λακεδαίμονα δῖαν. Confer Il. Φ. 608. Ejusdem modi haec sunt Il. Θ. 110. ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ἢ καὶ ἐμὸν δόρυ μαίνεται ἐν παλάμῃσιν. Π. 242. ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ἤ ῥα καὶ οἶος ἐπίστηται πολεμίζειν ἡμέτερος θεράπων, ἤ οἱ τότε χεῖρες ἄαπτοι μαίνονθ', ὁππότ' ἐγώ περ ἴω μετὰ μῶλον Ἄρηος. Qui duo loci haud scio an alio etiam communis sermonis vestigio memorabiles sint, indicativo εἴσεται dico. Nam aliud agebat, opinor, Thierschius, quum p. 180. εἴσεται in conjunctivis numeraret. Quod si quis ὄφρα, *ut* significans, cum futuro ferre nolit, poterit id pro *donec* accipere. Ita autem cognatae hae significationes sunt, quam rem attigit Porsonus ad Eurip. Phoen. 89. ut in Odyssea ἕως non semel *ut* significet, v. c. Δ. 800. E. 386. Z. 80. Nec sordes appellarim indicativos in his locis: Od. A. 316. δῶρον δ', ὅττι κέ μοι δοῦναι φίλον ἦτορ ἀνώγει, αὖτις ἀνερχομένῳ δοῦναι, ubi, quum modo obtulerit donum Telemachus, idonea caussa est, quare admitti indicativus possit; et Il. M. 226. πολλοὺς γὰρ Τρώων καταλείψομεν, οὕς κεν Ἀχαιοὶ χαλκῷ δῃώσουσιν, ubi ut praeferendus sit conjunctivus, at indicativus non est tamen falsus. Sed in illo Od. I. 277. οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην οὔτε σεῦ, οὔθ' ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύει, ut a sermone familiari excusatio sit, tamen sententiae caussa optativum anteponam.

Denique alius generis hoc est Od. Υ. 385. ἀλλ' ἀκέων πατέρα προσεδέρκετο, δέγμενος αἰεὶ, ὁππότε δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει. Non refrager, si quis cum Thierschio p. 192. ex cod. Vrat. ἐφείη praeferat, modo idem etiam v. 29. reponat: sed ἐφήσει qui defendere volet, eo uti argumento debebit, quod Graeci, quae ex aliena mente dicuntur, saepe velut ex praesentis ore proferant. Qui mos, frequens apud recentiores, ipse quoque radices suas in Homero habet. Itaque his quoque in locis ἐφήσει, si versum 39. compares, habebit, quo defendatur. Rara tamen haec sunt apud Homerum. Il. M. 59. πεζοὶ δὲ μενοίνεον, εἰ τελέουσιν. Od. N. 339. αὐτὰρ ἐγὼ τὸ μὲν οὔποτ' ἀπίστεον, ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ ᾔδε', ὃ νοστήσεις, quod Minerva jam reverso dicit. P. 360. αὐτὰρ Ἀθήνη ὤτρυν', ὡς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι, γνοίη θ', οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι. In illo Ξ. 331. Τ. 288. ὤμοσε, ἐπαρτέας ἔμμεν ἑταίρους, οἳ δή μιν πέμψουσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,

postremus versus ut ab eo, qui haec narrat, adjectus accipi potest.

Venio ad conjunctivum. Cui quoniam, ut supra demonstratum est, futuri significatio adhaeret, domicilium ille habet in rebus futuris, ideoque aut ad aliud tempus futurum, aut ad praesens refertur, non etiam, simpliciter quidem, ad praeteritum, quia praeteritis et futuris nulla est nisi per praesens communio. Quare ubi cum praeteritis jungitur conjunctivus, praesens aliquod, quo ille referatur, lateat necesse est: quod quum pluribus modis fieri possit, de potioribus exponendum videtur.

Ac primo latet praesens, ubi per praeteritum designatur: ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ, Il. A.218. Sic E. 508. K. 225. Ω. 531. Od. Δ. 357. Et cum particulis temporalibus: Il. Π. 689. ὅς τε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην ῥηϊδίως, ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνησι μάχεσθαι. Vide P. 98. Od. O. 409. cujus loci rationem non prorsus perspexit Thierschius p. 16. Eadem ratio etiam in negativis sententiis obtinet: Od. K. 327. οὐδὲ γὰρ οὐδέ τις ἄλλος ἀνὴρ τάδε φάρμακ' ἀνέτλη, ὅς κε πίῃ, καὶ πρῶτον ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων. M. 66. ἀλλ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν, ἥτις ἵκηται. Difficilius hoc est, Il. Ξ. 521. οὐ γάρ οἵ τις ὁμοῖος ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν, ἀνδρῶν τρεσσάντων, ὅτε τε Ζεὺς ἐν φόβον ὄρσῃ, ubi Thierschius p. 15. neque hanc lectionem, neque alteram ὦρσεν ferri posse judicans, ὄρσαι scribi vult; non ille quidem primus: nam et alii viro docto ita visum erat, et mihi ipsi in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 20. sed dubitare postea coepi, monente etiam optativo, praeter solitum particulam τε comitem habente, an haec saltem via deserenda esset. Nec sane damnem ὦρσεν, quia nihil impedit, quominus haec de Trojanorum fuga intelligantur: quin prorsus id ex more poetae foret; sed ne conjunctivus quidem plane spernendus est, si quidem ἀνδρῶν τρεσσάντων universe dictum accipiatur pro ἐν τροπῇ μάχης: *nemo eum aequabat in persequendo; quum cedunt hostes, ubi terrorem incusserit Juppiter.*

Alius modus est, quum praeteritum tale est, ut ejus vis etiam in praesenti futuroque tempore permaneat. Il. K. 88. γνώσεαι Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα, τὸν περὶ πάντων Ζεὺς ἐνέηκε πόνοισι διαμπερὲς, εἰσόκ' ἀϋτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ. Sic Il. Υ. 313. (coll. Φ. 373.) Φ. 229. Ω. 175. et 194. (coll. 119. 147.) Od. Θ. 44. K. 21. Λ. 432. P. 55. Ψ. 267. Ω. 201. Hujus generis est etiam hoc Il. H. 394. καὶ δὲ τόδ' ἠνώγεον εἰπεῖν ἔπος, αἴκ' ἐθέλητε παύσασθαι πολέμοιο δυσηχέος, εἰσόκε νεκροὺς κείομεν. Compara cum hoc Π. 61. Σ.

189. Vix opus est, ut adjiciam, eodem modo particulas finales construi, ubi effectus rei praeteritae adhuc praesenti tempore conspicuus, vel futuro exspectandus est. Od. Ω. 359. ἔνθα δὲ Τηλέμαχον καὶ βουκόλον ἠδὲ συβώτην προὔπεμψ', ὡς ἂν δεῖπνον ἐφοπλίσσωσι τάχιστα. In apparanda enim coena adhuc illi occupati erant. Vide etiam vers. 479.

Porro quem supra in indicativo vidimus morem Graecorum, cogitata e praeterito tempore in praesens transferendi, is etiam in conjunctivi usu invenitur. Od. Π. 368. ἐμίμνομεν ἠῶ δῖαν, Τηλέμαχον λοχόωντες, ἵνα φθίσωμεν ἑλόντες. Il. Ο. 22. ὃν δὲ λάβοιμι, ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται γῆν ὀλιγηπελέων. Ad hoc genus pertinent duo alii loci, similes illi quidem inter se, sed tamen quodammodo oppositi: Il. Ξ. 161. ἥδε δέ οἱ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλὴ, ἐλθεῖν εἰς Ἴδην εὖ ἐντύνασαν ἓ αὐτὴν, εἴ πως ἱμείραιτο παραδραθέειν φιλότητι ᾗ χροιῇ, τῷ δ' ὕπνον ἀπήμονά τε λιαρόν τε χεύῃ ἐπὶ βλεφάροισιν ἰδὲ φρεσὶ πευκαλίμῃσιν, ubi optativus et conjunctivus personis distinguendis inserviunt, ita quidem ut χεύῃ, quod proprie est *an debeat*, ad ipsam Junonem referatur. Eadem personarum distinctio, sed inversa ratione, et recte quidem, invenitur Π. 646. de Jove: καὶ φράζετο θυμῷ, πολλὰ μάλ' ἀμφὶ φόνῳ Πατρόκλου μερμηρίζων, ἢ ἤδη καὶ κεῖνον ἐνὶ κρατερῇ ὑσμίνῃ αὐτοῦ ἐπ' ἀντιθέῳ Σαρπηδόνι φαίδιμος Ἕκτωρ χαλκῷ δῃώσῃ, ἀπό τ' ὤμων τεύχε' ἕληται, ἦ ἔτι καὶ πλεόνεσσιν ὀφέλλειεν πόνον αἰπύν. Aliud hujusmodi exemplum exstat Ο. 595. ss. Ex hac significatione explicandus conjunctivus Od. Ξ. 327. τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι, ὅππως νοστήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον. Certe vulgatum νοστήσῃ praestat eo, quod Wolfius dedit, νοστήσει. Sed ubi haec repetuntur, Τ. 296. prorsus de more scriptum est, ὅππως νοστήσειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. Eodem modo fortasse alii quoque conjunctivi, ut Il. Β. 4. defendi poterunt.

Denique commemorandus est is conjunctivi usus, quo hic modus apud Homerum etiam solus per se futuri significationem habet. Qui usus derivandus est ex significatione dubitativa, quam in conjunctivo esse satis constat. Est autem haec significatio duplex. Nam aut in eo cernitur, quod agendum sit, quam deliberativam significationem dixeris: eaque Homerus, pariter ac caeteri scriptores, tantum in prima persona sive singularis sive pluralis numeri utitur, cujus rei rationem alio loco aperui; aut spectat ad id, quod sit vel fiat, quam conjecturalem appellari licebit, qua Homerus in omnibus personis utitur. Utraque non ubique eamdem vim habet. Nam ut in omnibus linguis multa, quae tamquam incerta proferuntur, ita dici solent, ut potius

maxime affirmari intelligantur, ita idem Graecis in conjunctivo videmus placuisse. Itaque quum ἴωμεν proprie dubitantis esset, deinde ad adhortationem decretumque translatum est. Eodem igitur modo in illa conjecturali significatione primo incertum intelligitur futurum. Telemachus in primo libro Odysseae, ubi non affectare se regnum dicit, quoniam multi sint in Ithaca viri generis nobilitate conspicui, subjicit v. 396. τῶν κέν τις τόδ' ἔχῃσιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς. Sic etiam Δ. 691. ἥ τ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων, ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη. Vide Il. B. 488. Od. B. 333. Δ. 240. N. 215. Interdum pene nihil a simplici futuro differt, ut Il. Π. 129. Od. M. 383. Sed saepe habet fortiorem quamdam vim ac futurum, ita ut etiam a futuro distinguatur; Od. Π. 437. οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται. Germanice dicas, *der ist nicht, und wird nicht seyn, und soll nicht seyn.* Similiter Z. 201. M. 191. Sed plerumque mollitur haec significatio, ut dubitanter loquendo affirmes. Il. O. 349. αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε γνωτοί τε γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα, ἀλλὰ κύνες ἐρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο: quod eadem figura Germanice dicas, *sie sollen ihn wohl nicht bestatten.* Sic vero illud intelligendum est, ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή, Il. Δ. 164. Z. 448. ut ex priore potissimum loco intelligitur. Alia exempla vide Il. Γ. 54. 417. Λ. 386. 431. Ξ. 235. Σ. 308. X. 244. 505. Od. Δ. 389. K. 507. Σ. 265. Sic possis etiam intelligere ὅς κεν ἔῃσι et similia Il. B. 365. Ψ. 344. Od. Δ. 756.

Perventum est ad optativum. Hic modus quoniam ea indicat, quae in sola cogitatione posita sunt, per se nullam omnino habet temporis significationem, sed pro cujusque loci conditione vel ad praeteritum tempus, vel ad praesens, vel ad futurum refertur. Il. N. 343. μάλα κεν θρασυκάρδιος εἴη, ὃς τότε γηθήσειεν ἰδὼν πόνον, οὐδ' ἀκάχοιτο. His verbis, quae ibi de re praeterita dicuntur, uti possis etiam in re praesente et futura. Ita fit, ut et illud de futuro recte dicatur, Il. Ω. 619. ἔπειτά κεν αὖτε φίλον παῖδα κλαίοισθα, et hoc de praeterito Il. Γ. 453. οὐ μὲν γὰρ φιλότητί γ' ἐκεύθανον, εἴ τις ἴδοιτο, pro eo, quod plerumque dici solet, εἴ τις εἶδεν. Vide E. 311. 388. P. 70. T. 90.

Quamquam autem omnis optativi usus eo redeat, ut quid in sola cogitatione positum esse significetur, tamen variae sunt rationes modique, quibus id fieri possit. Horum primus maximeque simplex is est, quum quid nulla alia notione adjuncta ut sola cogitatione fictum narratur. Ut in re praeterita Il. Δ. 539. ἔνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀνόσαιτο μετελ-

θῶν, ὅστις ἔτ' ἄβλητος καὶ ἀνούτατος ὀξέϊ χαλκῷ δινεύοι κατὰ μέσσον; in praesenti Od. Φ. 139. ποῖοί κ' εἶτ' Ὀδυσῆϊ ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι; in futura Il. Ω. 139. ὃς ἄποινα φέροι, καὶ νεκρὸν ἄγοιτο, i. e. *abducat licet.* Quoniam autem, quae sola cogitatione finguntur, ad experientiae veritatem comparata, non re vera fiunt, sed possunt fieri: consentaneum est, optativo, quae possint fieri, significari. Isque frequens apud Homerum usus est. Od. M. 112. εἰ δ' ἄγε δή μοι τοῦτο, θεά, νημερτὲς ἔνισπε, αἴ πως τὴν ὀλοὴν μὲν ὑπεκπροφύγοιμι Χάρυβδιν, τὴν δέ κ' ἀμυναίμην, ὅτε μοι σίνοιτό γ' ἑταίρους. Vide Il. A. 60. E. 192. (Ξ. 299.) Z. 452. H. 231. Θ. 291. K. 166. 171. Ξ. 241. O. 736. 738. P. 640. X. 348. Ω. 149. Od. A. 254. B. 52. Γ. 319. Δ. 167. 560. (E. 17. 142. P. 146.) E. 166. I. 126. s. K. 434. Λ. 366. M. 287. Ξ. 120. Π. 257. 297. 305. Υ. 383. X. 138. Ω. 189. s. 532. Hinc fit, ut saepe conjunctivus et optativus in eadem constructione conjungantur, ut Il. Σ. 307. ἀλλὰ μάλ' ἄντην στήσομαι, ἤ κε φέρησι μέγα κλέος, ἤ κε φεροίμην. Germanice dicas, *ob er siegen soll, oder ich siegen könne.* Vide X. 244. seqq. Od. M. 156. s. Unde Ξ. 183. scribendum: ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἁλώῃ, ἤ κε φύγοι, καί κέν οἱ ὑπέρσχῃ χεῖρα Κρονίων: compara Il. Δ. 249. Non debebam in dissertatione de praeceptis quibusdam Atticistarum p. 18. ad hanc constructionem illud referre Od. X. 75. ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχωμεν ἀθρόοι, εἴ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ θυράων, ἔλθωμεν δ' ἀνὰ ἄστυ, βοὴ δ' ὤκιστα γένοιτο. Nam ibi majore interpunctione post ἄστυ posita, quae sequuntur, non pendent ex particula εἰ, sed per se posita sunt, hoc sensu: *tum poterit auxilium advocari.* Sic eadem verba intelligenda sunt etiam v. 133. Eadem ratio loquendi saepius occurrit: exemplo in eadem dissertatione eadem pagina ex Il. H. 41. s. allato adde B. 160. Γ. 53. Λ. 802. videturque ea etiam in conjunctivi usu restituenda Γ. 417. Ad hunc autem, de quo agimus, optativi usum pertinent illa quoque exempla, in quibus voluntatis quaedam significatio adjuncta cernitur, ut Od. Δ. 637. τῶν κέν τιν' ἐλασσάμενος δαμασαίμην. Ea ad secundam tertiamve personam translata, saepe monentis vel jubentis est, ut Il. Ω. 149. κῆρυξ τίς οἱ ἕποιτο γεραίτερος; tum etiam optantis, quae quidem ratio etiam alias formas habet, ut interrogativam cum particulis πῶς ἄν, ellipticam cum particula εἰ, aliasque.

Sed redeo ad simplicem illum optativi usum, quo nihil nisi quae tantum in cogitatione posita sunt, indicantur. Is in primis inservit consilio rationique, ob quam quid fiat, significandae. Sed placuit Graecis, de praesenti futurove consilio fere tum optativo uti, si effectus dubius esset; sin

minus, potius conjunctivo utuntur, ut qui rei vere futurae praesentisve notionem contineat. Contra de praeteritis consiliis conjunctivum ibi usurpant, ubi effectus adhuc durat, vel exspectandus est; quum autem jam praeteriit, quoniam id diserte nullus verborum modus indicat, optativum adhibent, qui quum effectum non verum, sed modo cogitatum notet, saltem non significat eum adhuc manere, sed potius refert ad illud tempus, quo captum est consilium. Il. H. 438. ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ἐνεποίεον εὖ ἀραρυίας, ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη. Eadem verba exstant v. 339. sed quum ibi ποιήσομεν dicatur, etsi εἴη non est falsum, tamen nisi significari voles, *ut possit esse*, conjunctivo usum esse poetam credas. Frustra autem conjunctivi formam εἴῃ in Thierschii grammatica Homerica quaeras: quam tamen diligens poetae lectio non uno loco, opinor, vindicare poterit: vide Il. I. 245. Od. O. 448. P. 586. neque aliter, nisi fallor, Il. Σ. 88. Utrum autem εἴῃ an ἤῃ praestet, non dijudicarim. Illud certum est, Aristarcho et accuratioribus grammaticis (vide Etym. M. p. 787, 26) φανήῃ aliasque similes formas etiam in his verbis, a quibus Thierschius eas abjudicare ausus est, probatas fuisse. Sed hoc obiter. Utrique modo locus est in hoc, Il. X. 252. νῦν αὖτέ με θυμὸς ἀνῆκεν στήμεναι ἀντία σεῖο, ἕλοιμί κεν ἤ κεν ἁλοίην, prout ad tempus capti consilii, vel quo perficitur, referas. Sed patet hic optativi usus aliquanto latius, et saepe etiam in constructione particularum temporalium cernitur. Il. Δ. 262. σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοὶ, πιέειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι. Od. Θ. 69. πὰρ δ' ἐτίθει κάνεον, καλήν τε τράπεζαν, πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι. Significatur enim poculum ea mente appositum, ut, quando vellet, biberet. Sed in priore loco quae praecedunt, πέρι μέν σε τίω Δαναῶν, ἠμὲν ἐνὶ πτολέμῳ, ἠδ' ἐν δαίθ', ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον Ἀργείων οἱ ἄριστοι ἐνὶ κρητῆρσι κέρωνται, apparet, conjunctivum habere, quia res non ex cujusquam cogitatione suspensa est. Quod si in eadem re v. 344. optativum videmus, is quomodo explicandus sit, infra dicetur. Sed accuratius quaedam ex hoc genere consideremus. Od. Σ. 147. μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ, ὁππότε νοστήσειε. Νοστήσῃ si diceret, esse rediturum Ulyssem indicaret: nunc, optativo usus, incertum reddit, an sit rediturus: ut si plene hoc velis exprimere, dicendum sit, *quum redierit, si redibit.* Sic Π. 391. Φ. 161. ἡ δέ κ' ἔπειτα γήμαιθ', ὅς κεν πλεῖστα πόροι, καὶ μόρσιμος ἔλθοι. B. 335. Π. 385. οἰκία δ' αὖτε τούτου μητέρι δοῖμεν ἔχειν, ἠδ' ὅστις ὀπυίοι. Aliter O. 20. οἶσθα γὰρ, οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός· κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν, ὅς κεν ὀπυίοι: ubi quum de ea sermo sit, quae re vera habeat maritum,

ὀπυίῃ scriptum oportebat. Frequentia sunt talia, ut Il. Ψ. 494. καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσᾶτον, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι: Od. A. 47. ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι. Sed ad illud primo adspectu nonnihil offendas, Od. Z. 286. καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ, ἥτις τοιαῦτά γε ῥέζοι, ἥτ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἐόντων ἀνδράσι μίσγηται: nam quae addita sunt, nihil nisi explicant priora, ut idem verbi modus videatur adhibendus fuisse. Nihilo minus omnia recte dicta. Nam prius illud ut prorsus incertum ponitur: tum illo posito, reliqua, ut inde vere consequutura, per conjunctivum adjiciuntur: quod utrumque Germanice sic dicas: *wenn eine das thun könnte, und gegen den willen der ihrigen einem manne folgte.* Porro recte positus optativus in his, Il. I. 304. νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἕλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθοι. T. 206. νῦν μὲν ἀνώγοιμι πτολεμίζειν υἷας Ἀχαιῶν νήστιας, ἀκμήνους· ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι τεύξεσθαι μέγα δόρπον, ἐπὴν τισαίμεθα λώβην. Ω. 226. αὐτίκα γάρ με κατακτείνειεν Ἀχιλλεὺς, ἀγκὰς ἑλόντ' ἐμὸν υἱὸν, ἐπὴν γόου ἐξ ἔρον εἴην. Od. Δ. 222. ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη, οὔ κεν ἐφημέριος γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν. Ω. 254. τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε: de quibus locis duos neglexit Thierschius, qui in his, quae p. 196. seqq. et 213. de particula ἐπεὶ disserit, immemor eorum, quae p. 186. ipse dixerat, regulas comminiscitur, in quibus haud scio an nihil omnino veri sit. Qui si, quum ἐπὴν cum optativo jungi posse negat, in illo solo, ἐπὴν δαΐδας παραθεῖτο Od. B. 105. T. 150. Ω. 140. haesisset, non mirarer: hoc enim aliquam rationem habet: sed quod illa, quae supra posui, tentat, magno opere miror. Nam in istis locis omnibus quum non de eo, quod vere futurum fuerit, sed de eo, quod ut futurum cogitabatur, sermo sit, apparet, recte adhibitum esse optativum. Ut id statim in primo ostendam, non hoc dicit, *prosternere Hectorem poteris, quum ille tibi prope venerit:* neque enim venturum asseverat: sed *poteris, quum prope venerit, si quidem veniet.* Eadem et reliquorum locorum ratio est, et illorum, in quibus Thierschius p. 13. conjunctivum reponi vult: Il. Γ. 54. οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης. Od. Ξ. 372. οὐδὲ πόλινδε ἔρχομαι, εἰ μή πού τι περίφρων Πηνελόπεια ἐλθέμεν ὀτρύνῃσιν, ὅτ' ἀγγελίη ποθὲν ἔλθοι. Nam neque Helena mortem denunciat Paridi, sed hortatur, ut cum Menelao pugnet, salvum rediturum sperans: neque Eumaeus, ubi nuncius venerit, tamquam si hoc fieri soleat, se dicit in urbem ire, sed si forte veniat nuncius. Thierschius quidem utroque in loco conjunctivo, qui praecedat, optativum excludi dicit. Hoc quale sit, nescio. Sed viderit, quid faciat hoc

loco, Il. Α. 386. εἰ μὲν δὴ ἀντίβιον σὺν τεύχεσι πειρηθείης, οὐκ ἄν τοι χραίσμῃσι βιὸς καὶ ταρφέες ἰοί. Alteri loco illustrando hic aptus est, Od. Α. 415. οὔτ' οὖν ἀγγελίης ἔτι πείθομαι, εἴ ποθεν ἔλθοι, οὔτε θεοπροπίης ἐμπάζομαι, ἥντινα μήτηρ, ἐς μέγαρον καλέσασα θεοπρόπον, ἐξερέηται. Hoc enim, ut conjectores interrogaret Penelope, solebat fieri; illud, ut nuncius afferretur, et rarum erat, et fortuitum. Sic etiam P. 539. εἰ δ' Ὀδυσεὺς ἔλθοι, καὶ ἵκοιτ' ἐς πατρίδα γαῖαν, αἶψά κε σὺν ᾧ παιδὶ βίας ἀποτίσεται ἀνδρῶν. Non est autem mirum, saepe utrovis modo loqui licere, modo utervis sua propria vi aptus sit. Ut Il. Κ. 305. δώσω γὰρ δίφρον τε, δύω τ' ἐριαύχενας ἵππους, οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι θοῆς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν, ὅστις κεν τλαίη, οἷ τ' αὐτῷ κῦδος ἄροιτο, νηῶν ὠκυπόδων σχεδὸν ἐλθέμεν. Dicit, *si quis audeat*, incertum relinquens, an talis futurus sit: quod si τλήῃ dixisset, *qui fuerit ausus*, exspectare se indicaret, fore, qui auderet. Illud vero necessario dicendum erat, οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι, *qui optimi reperti fuerint:* nam si, optativo usus, daturum se promisisset, si qui essent optimi vel possent esse, neminem tam incerti praemii spe permovisset. Od. Η. 33. non erat satis idonea caussa, quare diceretur, οὐδ' ἀγαπαζόμενοι φιλέουσ', ὅς κ' ἄλλοθεν ἔλθοι; rectiusque in altera lectione apud Schol. Harl. ad N. 119. conjunctivus est, ὅτε κέν τις ἵκηται. Λ. 147. ὅντινα μέν κεν ἐᾷς νεκύων κατατεθνηώτων αἵματος ἆσσον ἴμεν, ὅδε τοι νημερτὲς ἐνίψει· ᾧ δέ κ' ἐπιφθονέοις, ὅδε τοι πάλιν εἶσιν ὀπίσσω. Valde dubitari potest, sic, an ἐπιφθονέῃς dederit; si optativum, hoc dicet, *si cui invideas:* colloqui enim Ulysses cum umbris cupiebat, quaesieratque, non quomodo eas arceret, sed quomodo perduceret ad colloquendum. Sed Χ. 443. θεινέμεναι ξίφεσιν τανυήκεσιν, εἰσόκε πασέων ψυχὰς ἐξαφέλησθε, καὶ ἐκλελάθοιντ' Ἀφροδίτης, vix habet, quo defendatur. A poeta profectum puto ἐκλελάθητ'. Rationem habet illud, Ο. 435. εἴη μὲν καὶ τοῦτ', εἴ μοι ἐθέλοιτέ γε, ναῦται, ὅρκῳ πιστωθῆναι, ἀπήμονά μ' οἶκον ἀπάξειν: sed valde diversum est, quod legitur Il. Ψ. 893. ἀτὰρ δόρυ Μηριόνῃ ἥρωϊ πόρωμεν, εἰ σύ γε σῷ θυμῷ ἐθέλοις· κέλομαι γὰρ ἔγωγε: quod modestiae est. Vide diss. de praeceptis Atticistarum p. 11. In illo vero, Κ. 346. εἰ δ' ἄμμε παραφθαίησι πόδεσσιν, αἰεί μιν προτὶ νῆας ἀπὸ στρατόφιν προτιειλεῖν, manifesto vitiosus est optativus, ut in re certo futura.

Reliquae sunt duae aliae loquendi formae, de quibus monendi tirones sint. Una cernitur in particulis ὅτε μή, quarum exempla haec sunt apud Homerum: Il. N. 317. αἰπύ οἱ ἐσσεῖται, μάλα πὲρ μεμαῶτι μάχεσθαι, κείνων νικήσαντι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους, νῆας ἐνιπρῆσαι, ὅτε μὴ αὐτός γε Κρονίων ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῇσιν. Ξ. 247. Ζηνὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίονος ἆσσον ἱκοίμην, οὐδὲ κατευνήσαιμ', ὅτε μὴ αὐτός γε

κελεύοι. Od. Π. 196. οὐ γάρ πως ἂν θνητὸς ἀνὴρ τάδε μηχανόῳτο ᾧ αὐτοῦ γε νόῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν ῥηϊδίως ἐθέλων θείη νέον ἠὲ γέροντα· Ψ. 184. τίς δέ μοι ἄλλοσε θῆκε λέχος; χαλεπὸν δέ κεν εἴη, καὶ μάλ' ἐπισταμένῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν ῥηϊδίως ἐθέλων θείη ἄλλῃ ἐνὶ χώρῃ. Ex his, quae paullo ante dicta sunt, facile intelligi poterit, recte adhibitos esse optativos. Nam in nullo horum locorum de re sermo est, quae exspectari possit, sed in omnibus fingitur aliquid, idque tale, quod eventurum esse ne credibile quidem sit. Quamobrem miror, quod Thierschius, dum anceps animi pendet p. 8. denique eo inclinat, ut ubique conjunctivum reponi velit. Quas rationes affert, earum prima, quod per ὅτε conditio indicetur, qua tollatur, quod praecesserit, ea non video quorsum valeat: nam talis conditio, modo μὴ adjectum sit, aderit, quicumque verbi modus adhibeatur: altera autem, quod Apollonius Rhodius, qui ubique Homeri vestigia legat, conjunctivos tueri videatur, non una ex parte laborat. Primum, enim tantum abest, ut Apollonius Rhodius Homerum ubique sectetur, ut ejus oratio ab Homerica mirum quantum discrepet: de qua re qui plura, quam quae obiter inspectis utriusque poetae carminibus occurrerint, afferre velit, satis magnum possit librum conscribere. Deinde (non enim contendo nihil Apollonium ex Homero hausisse, sed aio plurima) est, ubi Apollonii auctoritas aliquid conferat ad Homeri usum cognoscendum; est vero etiam, ubi nihil utilitatis afferat, quia ille non ubique recte Homerum imitari videtur. Denique in hac re, de qua nunc agimus, quid valeat Apollonius, multo minus intelligi potest. Qui si erat commemorandus, non hic locus, I. 245. afferri debebat, (multo enim facilius unum Apollonii, corruptissimi scriptoris, locum ex quatuor Homericis, quam hos ex uno, eoque dubiae auctoritatis, Apollonii corrigas) sed IV. 409. Verum ne sic quidem quidquam efficietur, nisi ut appareat Apollonium conjunctivo usum esse, ubi conjunctivus poni debebat, quemadmodum idem in eadem formula alibi recte optativo utitur.

Alter, de quo dicturus eram, usus optativi is est, quo frequens repetitio rei praeteritae significari putatur. Id vero prorsus falsum est. nec sequi hunc errorem, sed refutare debebat Thierschius. Nam etsi negari non potest, ubi de re saepius repetita sermo est, tam crebrum esse optativi usum, ut rarissima sint exempla in quibus ille non inveniatur, (apud Homerum non memini exemplum praeter Il. Γ. 221. in quo ipso, sed male, nonnulli libri optativum habent) tamen ea non optativi vis est, sed verbi, unde pendet optati-

vus: hoc enim ubique tale est, ut in ipso insit diuturnitatis vel repetitionis significatio: est enim plerumque vel imperfectum, vel plusquamperfectum: Il. A. 610. Od. T. 49. ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι. Il. K. 188. πεδίονδε γὰρ αἰεὶ τετράφαθ', ὁππότ' ἐπὶ Τρώων ἀΐοιεν ἰόντων. Ac plerumque Homerus frequentativis verborum formis utitur, ut Il. Γ. 216. ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεὺς, στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε. Ad quam normam Aristoteles, Rhet. II. 9, 11. ex Il. Λ. 549. affert, Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσασχ', ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο. Frequentativis in eodem genere utitur Herodotus, ut VII. 119. Raro aoristum invenias, et sicubi, ita ut aliquid adjectum sit, quo repetitio declaretur, ut Il. Γ. 232. πολλάκι μιν ξείνισσεν Ἀρηΐφιλος Μενέλαος οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο. Etenim optativus nullo modo potest repetitionem indicare, neque in istis locis omnibus, quorum millena afferri in eam rem possent, quidquam, nisi unum factum notat, sed ita, ut ex multis factis, quorum notatio verbo adjecto inest, illud designet, quodcumque alicui cogitare libuerit. Eadem ratio est conjunctivi in rebus praesentibus. Od. T. 515. αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ, ἕλῃσι τε κοῖτος ἅπαντας, κεῖμαι ἐνὶ λέκτρῳ. Nam si in his vertendis vocabulo *quoties* uti licet, ea non conjunctivi virtus est, sed verbi κεῖμαι, ex quo de re solita fieri sermonem esse cognoscitur. Sed quaeri poterit, an Graeci, ubi de repetitione agitur, etiam praesenti junxerint optativum. Quod etsi in se ipso nihil habet, quod repugnet, tamen non videtur temere concedendum. Non retulerim huc illud Il. A. 549. ὃν δέ κ' ἐγὼν ἐθέλοιμι θεῶν ἀπάνευθε νοῆσαι, μήτι σὺ ταῦτα ἕκαστα διείρεο, μηδὲ μετάλλα. Mirum enim foret, ni Aristarchus hic, ut I. 397. ἐθέλωμι scripsisset. Sed duo alii loci majus momentum habent: Δ. 343. πρώτω γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο, ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζοιμεν Ἀχαιοί. Thierschius quidem p. 194. ἀκουάζεσθον putavit imperfectum esse, in qua re nec ducem, quod sciam, habuit, neque habebit, opinor, qui sequatur. Quamvis autem facile ex simillimo loco v. 260. conjunctivus inferri possit, tamen ita constanter omnes optativum tuentur, ut eum, nisi qui temerarius sit, vix videatur mutaturus esse. Alter locus est Od. Ω. 343. ἔνθα δ' ἀνὰ σταφυλαὶ παντοῖαι ἔασιν, ὁππότε δὴ Διὸς ὧραι ἐπιβρίσειαν ὕπερθεν. Hunc ut regulae accommodaret Thierschius, inauditum quid et pene incredibile commentus est, ἔασιν antiquum esse perfectum. In qua re alius adhuc, isque major etiam inest error, quia, si non potest cum praesente construi optativus ista repetitionis significatione, non magis poterit cum perfecto: unde Thierschio hanc omnem rationem parum perspectam fuisse conjicio.

Mihi quidem hos locos consideranti videtur optativus ita cum praesente, quo aliqua repetitio contineatur, locum habere, si non, ut in conjunctivo, ad futuram, sed ad praeteritam partem praesentis respiciatur. Nam in priore loco, quod hactenus factum sit, exprobratur; in altero autem de vitibus sermo est, quas puer Ulysses olim a patre acceperit: quas ille quum quotannis uvis abundasse sciret, quoniam adhuc cultas videt, utrumque tempus conjungit. Quare si quis vim verborum interpretando exprimere volet, ita dicendum erit: *primi adestis, quoties epulas apparabamus: omnis generis uvis abundant, quoties anni tempestas fecundarat.* Qualia sermoni familiari facile condonari possunt.

Postularet institutus ordo, ut etiam de illo conditionum genere explicarem, quo sumitur aliquid esse, quod simul non esse fatemur, vel contra. Cui rei indicativum aoristi, imperfecti, et plusquamperfecti destinatum esse, supra indicavi. Sed hoc ita et planum et pervulgatum est, ut rectius praetermittatur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium in epimetro illo, quod, pace viri amicissimi dixerim, totum retractari ab eo velim, ita in hoc genere vidi offendere, ut p. 211. monstruosum esse diceret illud Apollonii Rhodii I. 281. αἴθ' ὄφελον κεῖν' ἦμαρ αὐτίκ' ἀπὸ ψυχὴν μεθέμεν, κηδέων τε λαθέσθαι, ὄφρ' αὐτός με τεῇσι φίλῃς ταρχύσαο χερσίν: quod rectissime dictum esse, et sic, ut aliter ne potuerit quidem, nisi aliunde, certe ex adnotationibus ad Vigerum p. 767. IV. et 805. notum esse credebam.

Eo igitur perducta disputatione, quo volebam, quod supra me facturum ostendi, ut modos verborum, quos ad comparationes adhibere Homerus solet, attingerem, id quoniam longius est, quam ut hic tractari possit, alia dissertatione, quae mox edenda erit, complectar. Itaque jam ad id venio, cujus rei caussa haec scripsi. Sunt enim Vobis, Viri juvenes, qui nova diligentique opera in litteris bonisque artibus collocata, magisterii honorem consequi cupitis, indicenda colloquia, quibus Vos Ordini nostro profectus vestros probare oporteat. Itaque Vos rogo, ut ante d. XXIII. mensis Januarii nomina Vestra apud me profiteamini: me ipsum autem putate ad res vestras quocumque modo possim juvandas promptissimum fore.

P. P. Dom. I. Adv. Chr. a. cIↃIↃcccxii.

GODOFREDI HERMANNI

DISSERTATIO SECUNDA.

LIPS. 1813.

NON inepte mihi videtur Thierschius, quum de modis verborum, qui temporibus indicandis apud Homerum inserviunt, dissereret, seorsim tractasse eos locos, qui sunt in comparationibus; non quod harum alia sit, quam reliquae orationis, ratio: nam qui hoc fieri posset? sed quod quaestio illa, ad unum, idque haud amplum genus revocata, multo minus habere difficultatis potest, quam si per immensam loquendi formarum varietatem diffundatur. Non recte tamen, universa tractaturus, ordiare a tali aliquo genere: quoniam in parte aliqua consistenti proclivior ad errorem via est, quam universa, quantumvis varia et dissimilia, consideranti. Quare quum de modorum usu apud Homerum disserere instituerem, malui, priusquam de comparationibus dicerem, universam istius rei rationem describere, quam ab his initio facto, etsi id maxime perspicuum exemplum esse intelligebam, ad reliqua explicationem transferre. Etsi autem totus hic locus, qui est de comparationibus, facile potest ex iis intelligi judicarique, quae jam sunt universe de usu modorum dicta, tamen habet ille etiam propria quaedam, non illa quidem recondita, sed quae tamen adnotasse non fuerit supervacaneum. Neque enim probo Thierschium, qui particulas temporales in comparationibus, si res ut praeterita narratur, cum indicativis praeteritorum; si ut praesens, cum conjunctivo; nusquam autem cum optativo construi contendit: a quibus regulis solam dicit particulam ἠΰτε recedere, quae etiam praesentis indicativum admittat, et ita quidem, ut excludat conjunctivum. Nam haec ego ut non esse vera existimem, rationes habeo gravissimas, unam, exempla, quorum multa, nisi violentius mutentur, repugnant regulis istis; alteram, graviorem etiam, rei ip-

sius naturam, quae talis est, ut non posse veras esse regulas istas evincat. Ab hac vero re, ut par est, capiendum nobis erit disputationis exordium.

Ac nemo non videt, posse quid comparari vel cum eo, quod re vera est, vel cum eo, quod potest esse. Hoc alterum duplex est. Nam aut eo posse esse intelligitur, quia, si casus tulerit, re vera evenire solet; aut sola cogitatione, tamquam quod fiat, sumitur, etiamsi forte ne possit quidem fieri. Apparet, plane easdem hic cerni diversitates, quas supra in modis verborum esse vidimus. Unde consentaneum videtur, quum quid cum re, quae vere est, comparatur, indicativo utendum esse; ubi autem cum eo, quod aliquando eveniat, conjunctivo; denique si cum eo, quod cogitetur tantum esse, nec sit, optativo.

Primum igitur de iis rebus dicatur, quae vere sunt. Has quis volet tali verbi modo indicare, quo non vere esse, sed posse esse significentur? Sed de tribus temporibus, quibus omnia eveniunt, unum, futurum dico, natura sua ad comparationem parum idoneum est. Quum enim declarandae rei inserviant comparationes, consentaneum est, potius cum eo, quod est vel fuit, comparandum aliquid esse, quia hoc, quale sit, novimus, quam cum eo, quod futurum sit, quod quoniam nondum cognovimus, ipsum potius aliqua comparatione illustrandum erit, quam ut ipsum aliam rem illustret. Quare futurum vix invenietur in comparationibus, nisi in locis corruptis: veluti Il N. 707. Reliqua igitur sunt praeteritum et praesens. Utrumque seorsim consideremus.

Ac praeteriti indicativo primum in re vere facta necessario utendum esse, nemo non videt. Sic Od. Υ. 66. ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρας ἀνέλοντο θύελλαι, et quae multa ibi de his narrantur. Deinde vero alium usum hic indicativus habet, qui talis est, ut regulae supra positae repugnare videatur: usurpatur enim etiam he his, quae non revera esse, sed aliquando evenire intelliguntur. Non repugnat vero. Nam hoc ipsum maxime proprium est orationis poeticae, ut certa pro incertis commemoret, quaeque vel possunt fieri vel solent, ut vere facta referat, eoque rem, ex generis infinitate in singularis facti arctos fines contractam, certo in exemplo contemplandam exhibeat. Est autem haec ratio, ut modo indicavimus, duplex: nam aut ea, quae solent fieri complectitur: unde in his locis frequens est praesentis admixtio: Il. E. 902. ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξεν, ὑγρὸν ἐὸν, μάλα δ' ὦκα περιστρέφεται κυκόωντι: aut de re est, quae aliquando fit, ut Γ. 33. ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν πα-

λίνοςσος ἀπέστη οὔςεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὠχρός τέ μιν εἷλε παρειάς. Quoniam autem etiam in tali facto sunt, quae ut solita consequantur, his quoque saepe admiscetur praesens. Λ. 558. ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας, νωθὴς, ᾧ δὴ πολλὰ πέρι ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγῃ· κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν· σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.

Venio ad praesentis indicativum, quem quum Thierschius, ubi cum particulis ὡς ὅτε conjunctus invenitur, conjunctivo cedere jubet, vereor ut hujus rei rationem exploratam habuerit. Tantum abest enim, ut conjunctivus ex particula ὅτε pendeat, ut potius ex ipsa re et natura comparationis explicandus sit. Quid enim? Unde eum pendere dicemus, ubi, quod saepissime fit, sola particula ὡς vel ὥστε praecedit? Immo sive harum aliqua particularum, sive articulus praecedit, res ipsa doceat necesse est, qui verbi modus vel potuerit vel debuerit adhiberi. Quod ut planum faciamus, de utroque modo simul dicendum videtur. Atque indicativus (de praesente autem loquor, etsi quaedam horum, quae dicam, etiam in praeteritum quadrant) is igitur natura sua primo id indicat, quod re vera est vel fit; deinde notat, quod permanet in eo statu, in quo est; denique etiam, quod solet esse, significat. Conjunctivum autem, qui modus ita aliquid cogitari jubet, ut id non omnino et simpliciter, sed, si quando sit, esse intelligatur, cum si cum indicativo compares, huic, pro triplici ejus significatione, tribus modis oppositum videbis. Primum enim, ut indicativus rem, tamquam quae vere fiat, proponit, ita eam conjunctivus non omnino, sed sic tantum fieri, si quando fiat, significat. Il. Z. 506. O. 263. olim legebatur, ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ, δεσμὸν ἀποῤῥήξας, θείει πεδίοιο κροαίνων. Nuper editum θείῃ. Neutrum falsum: sed si indicativo usus est poeta, rem, ut quae vere fieret, narravit, talem dicens rupto capistro equum luxuriare; sin conjunctivo, ut incertam commemorat, talem cogitandum esse equum, quando eveniat, ut aliquis equus se a stabulo proripuerit. Deinde, ut indicativus permanentem statum significat, ita conjunctivus, ut qui, an aliquid vere sit, incertum relinquat, transeuntem statum, i. e. factum singulare indicat. Il. P. 434. ἀλλ' ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ἥτ' ἐπὶ τύμβῳ ἀνέρος ἑστήκῃ τεθνηότος, ἠὲ γυναικός. X. 93. ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσιν, βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ'. In priore loco graviter falleretur, qui conjunctivum putaret admitti

posse: nam de permanente statu sermo est, cujus status contrarium ob id ipsum non est pravo verbi modo inferendum, quia sic is status tolleretur: nec Latinus sermo hic conjunctivum ferat. Contra in altero exemplo, ut in commemoratione facti singularis, quod non semper exstet, sed aliquando eveniat, recte posuit conjunctivum. Eamdem ob caussam in priore loco posui ἑστήκῃ pro ἑστήκει, quod si praesens verbi ἑστήκω esset, ferri posset: sed non est ita: quare in conjunctivum mutetur necesse est. Fortuitum enim est, statui columnam. Sic etiam Od. X. 468. scribendum, ὡς δ' ὅτ' ἂν ἢ κίχλαι τανυσίπτεροι, ἠὲ πέλειαι ἕρκει ἐνιπλήξωσι, τό θ' ἑστήκῃ ἐνὶ θάμνῳ: ubi bona lectione, quam prima manus in cod. Harl. offerebat, uti nesciens Porsonus, in magnum errorem incidit. Eodemque modo Il. Δ. 482. αἴγειρος ὥς, ἥ ῥά τ' ἐν εἰαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκῃ scribendum, non πεφύκει. Imperfecti enim, quodque eodem redit, plusquamperfecti usus in talibus locis plane monstruosus foret, quippe quo certa praeteriti temporis pars designaretur. Quod fugit Thierschium, qui in epimetro p. 216. in his Il. Λ. 474. ὡσεί τε δαφοινοὶ θῶες ὄρεσφιν ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ ἰῷ ἀπὸ νευρῆς· τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσιν φεύγων, ὄφρ' αἷμα λιαρὸν, καὶ γούνατ' ὀρώρῃ, scribi jubet ὀρώρει. Nempe praeteritum praecessisse dicit, unde non esse conjunctivo locum. Itane vero? Immo, ut supra observatum est, in comparationibus ubique praeteritum et praesens commiscentur, idque in primis in fine indicando locum habet. Sic Il. Δ. 485. in eadem, cujus paullo ante mentio facta est, comparatione, τὴν μέν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ. E. 522. νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἅς τε Κρονίων νηνεμίης ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν ἀτρέμας, ὄφρ' εὕδῃσι μένος Βορέαο καὶ ἄλλων ζαχρηῶν ἀνέμων. Optativum ibi tantum hoc genus constructionum in comparationibus habet, ubi de re eo fine suscepta, ut quid possit fieri, agitur. Σ. 321. de leone ereptos catulos quaerente: πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν, εἴ ποθεν ἐξεύροι. Et post praesens, ut quidem rhetores, Dionysius Halicarnassensis et Hermogenes, legebant. M. 434. ἥ τε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄροιτο, nescio an recte. Sed ex eadem observatione apparet, recte Ixionem Od. E. 488. legisse: ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ, ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι, σπέρμα πυρὸς σώζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὔῃ, non αὔοι. Similia vide in superiore dissertatione p. XII. seq. Ita conjunctivum praeterito junctum videas Il. H. 5. N. 64. O. 363.

P. 728. Υ. 168. Od. Δ. 357. 792. Ξ. 65. Τ. 206. ex quibus locis eum, qui Il. O. exstat, frustra vitio, quod nullum est, liberare studuit Thierschius p. 196.

Sed redeundum in viam est. Tertio enim quemadmodum indicativus solere aliquid fieri indicat, ita conjunctivus ad unum refertur ex pluribus factum. Od. Τ. 518. ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν καλὸν ἀείδησιν, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο, δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν· ἥ τε θάμα τρωπῶσα χέει πολυήχεα φωνήν. Quod dicit, χέει, id significat, *fundere solet:* nam si hoc vellet, nunc ipsam lusciniam, quum ita, uti dicit, in arbore sedens canit, fundere sonoram vocem, conjunctivo utendum erat, quemadmodum non ἀείδει, sed ἀείδησιν dixerat, non quamcumque canere solitam intelligens lusciniam, sed unam, eamque aliquo, quo cui libeat, temporis momento canentem describens.

Posuimus regulas et genera, quibus etiam si nihil amplius adderemus, sat lucis ad hanc rationem allatum arbitraremur. Sed juvabit tamen singula explicatius pertractare. Et primum genus, quod est rerum vere exstantium, indicativum sibi postulare diximus. Il. Θ. 540. τιοίμην δ', ὡς τίετ' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων. Referri huc possunt H. 438. οἷός τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης. N. 298. οἷος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πολεμόνδε μέτεισιν. Od. Z. 102. οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα; et avium descriptio in Asio prato considentium Il. B. 459. Quamquam haec scio etiam aliter posse intelligi. Certa vero haec sunt X. 318. οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. E. 5. ἀστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος ὠκεανοῖο. Sensere accuratiores grammatici, quum de Sirio sermo sit, non esse conjunctivo locum, quem alii admiserant, sed indicativum requiri: eo spectat scholiastae Veneti adnotatio, supplenda ex Etym. M. p. 650, 7. Confirmatur hoc alio Homeri loco, X. 26. παμφαίνονθ', ὥστ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο, ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ φαίνονται πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ· ὄν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν· λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστὶ, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν: et his Apollonii III, 957. ὑψόσ' ἀναθρώσκων, ἅτε Σείριος ὠκεανοῖο, ὅς ῥ' ἤτοι καλὸς μὲν ἀρίζηλός τ' ἐσιδέσθαι ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀϊζύν.

Porro ubi permanens status significandus est, negamus, quaecumque particulae adhibeantur, alii modo, quam indicativo locum esse. Il. I. 14. Π. 3. ὥστε κρήνη μελάνυδρος, ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ. M. 132. ὡς ὅτε τε δρύες

οὔρεσιν ὑψικάρηνοι, αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα, ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι. O. 614. ἠΰτε πέτρη ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα, ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα, κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγεται αὐτήν. P. 747. ὥστε πρὼν ἰσχάνει ὕδωρ, ὑλήεις, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκώς· ὅς τε καὶ ἰφθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησιν πλάζων, οὐδέ τί μιν σθένεϊ ῥηγνῦσι ῥέοντες. Od. I. 190. οὐδὲ ἐῴκει ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων, ὅ τε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων. Nullus horum locorum conjunctivum admittit: quo posito fieri non posset, quin, quae nunc permanere significantur, fluxa et transeuntia intelligenda essent, ut illud Il. E. 161. ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξῃ πόρτιος ἠὲ βοός. Quorum similia ingenti numero afferri possent: sed satis habeo adnotasse, indicativum futuri, qui ex hujusmodi exemplis saepius a Wolfio ejectus est, nondum, ut oportebat, cessisse conjunctivo Il. B. 147. 395. (ubi non debebat Thierschius p. 177. ὅτ' ἐκίνησεν obtrudere) K. 183. Od. E. 368. Jam vero existimari poterit, quid sentiendum sit de his locis: Il. Λ. 492. ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισιν χειμάρρους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ. Zenodotus, cujus plurimae feruntur pravae correctiones, πεδίονδε δίηται scribebat. Id arripiens Thierschius p. 199. dum mire laborat, ut insolentem hujus verbi usum aliquo modo defendat, quid aliud quam facit, ut jam torrentem non jugi perpetuoque cursu ferri, sed, leporis instar, simul et venire et evasisse videamus? Non multum differt illud P. 263. ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι διϊπετέος ποταμοῖο βέβρυχεν μέγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι ἠϊόνες βοόωσιν, ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω. Hic Thierschius p. 20. βεβρύχῃ legi jubens cum Aristarcho, hunc festinans auctorem nominavit lectionis, quae Aristophanis erat. Aristarchus enim, opinor, intelligebat, βέβρυχεν dictum oportere, ut de re, quae non interdum, sed perpetuo fieret. Conjunctivo usus est poeta in simili loco, Ξ. 16. ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ, ὀσσόμενον λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα: hoc enim non fit semper. Sed non est praetereundum aliud genus comparationum, quod etsi commemorationem continet rei transeuntis, tamen jure ad illas refertur, quibus permanens status describitur. Nam quum quis quid potest facere, id si facit, factum est singulare; quum autem non potest, is perpetuus est et permanens status: omninoque negativae sententiae non ubique eamdem, quam affirmativae, rationem habent. Ita in his locis: Σ. 161. ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἴθωνα δύνανται ποιμένες ἀγραυ-

λοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι. X. 199. ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν.

Venio ad tertium genus, quod est eorum, quae solent fieri. Hoc quoque indicativum postulat. Il. B. 87. ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων. Ita cum eadem particula Γ. 3. cum ὡς E. 499. I. 4. Π. 765. Φ. 22. Od. T. 205. Υ. 14. cum ὥστε Δ. 433. M. 278. N. 703. Π. 633. P. 755. Od. N. 81. cum ὡς ὅτε Il. B. 210. M. 451. Π. 364. Σ. 219. X. 162. Ψ. 692. Od. N. 31. cum οἷος Il. Z. 146. Λ. 62. Od. Σ. 193. T. 233. cum ὅσος Il. B. 468. O. 358. Π. 589. Ψ. 431. 517. Ω. 317. Od. Θ. 124. cum ἅτε Il. X. 127. Sed quoniam, quae solent fieri, etiam ut semel facta narrari possunt, unde aoristi frequens usus hac in re est, non est mirum, si pleraque hujus generis exempla etiam conjunctivum admittunt: quare ambiguum esse nonnumquam potest, uter modus usurpatus fuerit, v. c. Il. B. 210. ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται. Sed cur ad conjunctivum confugiamus, ubi nihil in indicativo vitii est? Nam si quis ὡς ὅτε cum indicativo praesentis construi neget, ei satis jam supra responsum arbitramur. Et respondebitur iterum infra. Quae quum ita sint, tantum abest, ut Thierschium probem, qui p. 19. seqq. Il. Π. 384. T. 357. Φ. 12. Od. E. 433. M. 253. Ω. 7. conjunctivos reponi jubet, ut etiam ubi libri hunc modum offerunt, ut Il. Δ. 131. non sine dubitatione recipiendum putem. At non omnes indicativi tam facile removeri possunt. Quare alias quoque vias tentandas duxit Thierschius. Il. Ψ. 759. ἐπὶ δ' ὤρνυτο δῖος Ὀδυσσεὺς, ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε τίς τε γυναικὸς ἐϋζώνοιο στήθεός ἐστι κανὼν, ὅν τ' εὖ μάλα χερσὶ τανύσσῃ, πηνίον ἐξέλκουσα παρὲκ μίτον, ἀγχόθι δ' ἴσχει στήθεος. Quis credat, haerere quemquam in his potuisse? Nam quemadmodum τανύσσῃ, ut in singulari facto, dici debebat, ita, quum, quid soleret fieri, indicandum esset, ἐστι dictum oportebat. At Thierschius, ὅτε non posse cum indicativo praesentis construi ratus, ἐστι p. 22. mutat in ἄγχι, ut ad ὡς ὅτε verbum ὤρνυτο mente repetatur, cujus repetitionis quae quatuor exempla affert, iis etiam si adjecisset hosce sex alios locos, Il. N. 471. 571. Π. 406. Od. E. 281. Λ. 368. T. 494. nihil tamen omnes probarent, quia in omnibus idem verbum, quod adjectum est, etiam in comparatione apte poni potuit: quod in hoc loco, cujus caussa illos attulit, non est: quare horum nullus, sed Il. Ψ. 712. afferri debebat. Sed potuissent tamen isti loci certe hanc utilitatem habere, ut ne in epimetro illo p. 206. Pindarum Thierschius reprehenderet. Sed si posthac, ut speramus, illud ἐστὶ immotum manebit, multo magis manebunt haec,

Il. Δ. 422. ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης ὄρνυτ' ἐπασσύτερον. Θ. 555. ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην φαίνετ' ἀριπρεπέα. Nam quum imperfectum his in locis infert Thierschius p. 6. non cogitavit, id quod supra jam ostendimus, imperfectum prorsus a comparationibus alienum esse. Neque id diligentem Homeri lectorem fugere potest. Illud enim non vereor, ne quis ᾖεν Il. O. 274. Φ. 493. vel ἔπεφνε Π. 487. Ω. 759. vel ἐπέχραεν et ἔχραεν Π. 352. Od. E. 396. ut imperfecta afferat, vel πίπτον ex vitiosa interpunctione Il. M. 156. tueatur. Unum proferri poterit ἐσσεύοντο Il. Λ. 549. O. 272. sed Aristarchus, ut in posteriore loco, ita sine dubio etiam in priore legebat ἐσσεύαντο. Non autem sic nomino Aristarchum, ut qui quemcumque vel obscurissimum grammaticum, vel recentissimum codicem, si suae alicui opinioni faveat, auctorem testemque afferunt. Tam enim vir ille admirabili fuit ingenio, ut vix putem ad illustrandam Homeri dictionem, quod recte acuteque animadversum sit, afferri posse, quin illi cognitum perspectumque fuerit: ut haud sciam, an perinde habendum sit, Homerum atque Aristarchum intelligere. Redeo ad indicativum praesentis. Et abunde jam demonstratum est, eum recte cum particulis ὡς ὅτε construi. Quod si ἂν, ut et ab nobis alibi dictum est, et a Thierschio p. 186. concessum, nihil ad verbi modum pertinet, non opus erit, quod ille vult p. 187. Il. M. 41. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται, de conjunctivo cogitare, aut Od. K. 410. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἄγραυλοι πόριες περὶ βοῦς ἀγελαίας, ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται, πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι, orationem putare abrumpi: quamquam si quis pertinacius contendat, non magnopere repugnabimus.

Dictum est supra, quae soleant fieri, per indicativum designanda esse. Quod quoniam tale est, ut quasi ratiocinatione quadam contineatur: nominatur enim, non secus atque in aoristo, unum factum pro pluribus: facile intelligitur, hanc totam rationem non aliter veram esse, nisi si etiam unum et singulare factum per indicativum significari possit. Neque vero, opinor, reperietur, qui hoc negatum eat. Quare etsi plerumque in singularibus factis conjunctivum deprehendimus, tamen feremus etiam indicativum. Il. B. 455. ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῆς, ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή. Φ. 573. ἠΰτε πόρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον. Δ. 452. ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ. Ita cum particula ὡς Υ. 490. Ψ. 222. Od. Π. 17. cum ὥστε Il. M. 421. O 410. cum οἷος P. 53. Eodem

referri potest illud Φ. 522. ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν εἰς οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει ἄστεος αἰθομένοιο, ubi tamen si quis cum Thierschio p. 20. alteram lectionem ἵκηται, quae in simillimo versu Σ. 207. est, praeferat, non repugnabo, modo ne id propter particulam ὅτε, sed ob aliam caussam, de qua hic dicere nihil attinet, faciat.

Quae quum ita sint, sic statuemus, in comparatione a singulari facto petita et indicativo et conjunctivo locum esse, sed indicativo rem simpliciter, tamquam quae fiat, describi, conjunctivo autem ita fieri, quando fiat, significari. Et conjunctivo sane saepissime utitur Homerus. Locos, in quibus hic modus cum particulis ὡς ὅτε sic jungatur, ut neque vitiosa lectione obscuratus sit, neque correptam vocalem habeat, Thierschius p. 19. numerat septem et viginti, in quibus est Il. O. 80. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀΐξῃ νόος ἀνέρος, ubi cur vulgatam ἀναΐξῃ, jure nuper expulsam, revocari velit, non assequor. Sed omnino festinantius haec omnia videtur scripsisse. Ita quem ex Od. Φ. 347. affert locum, non in Odyssea, sed in Iliade legitur, quem autem ex Od. Ψ. 233. profert, in eo non ὡς ὅτε, sed ὡς ὅτ' ἂν est; nec septem et viginti sunt hujus generis loci, sed paullo plures: addi enim poterant Il. Δ. 141. Λ. 292. O. 624. Υ. 495. Φ. 257. Od. I. 391. Porro conjunctivus jungitur particulis ὡς ὁπότε, et saepe nudis ὡς et ὥστε, quin etiam particulae ἠΰτε Il. P. 547. ubi non debebat Thierschius p. 203. lectionem suspectam habere. Sic enim etiam Apollonius Rhodius I. 1049. ac satis ex his, quae hactenus disputavimus, apparet, modum verbi ex loci potius natura, quam ex particula pendere. Hinc supra pronomina οἷος et ὅσος commemoravi, ubi de indicativo agebatur. Quod ne imperitior aliquis cur fecerim, miretur, non abs re fuerit adjicere, posse illa pronomina etiam conjunctivo jungi, ut factum ab Homero Od. E. 249. et Apollonio III. 876.

Videamus denique paucis de optativo. Nam quum non repugnet, comparari quid cum eo, quod non est quidem, sed esset, si casus ita ferret: apertum est, si tali quis comparatione utatur, ei adhibendum esse optativum. Od. I. 383. ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἀερθεὶς δίνεον, ὡς ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήϊον ἀνὴρ τρυπάνῳ. Thierschius p. 22. neminem laturum hoc vitium putat, nisi qui omnia licita esse sibi persuaserit. Immo vero qui mutatam volet optimam lectionem, omnia sibi licere credat necesse est. Nam cur mutetur? An quia ὅτε cum optativo jungi nequeat? At saepe jungitur. An quia non in comparatione? Sic certe p. 20. existimare videtur Thierschius. Quid vero, solisne exemplis, quid Graecum

sit, quid non, efficiatur? Hoc mihi simile videtur, ut si quis linguam, quam nesciat, scire se dicat, si lexicon secum portet: quem rectius manu, quam mente tenere linguam dixeris: nam quod in scripto non habet, habet nusquam. Absit tam excors anxietas, ut, quod necesse est dici posse, negemus posse dici, nisi exemplorum copia adsit. Et quaero, quot exemplis opus sit. Nam unum si est, corrigi video: video vero etiam corrigi, si plurima. Interea, donec, ut in testamentis condendis, lege constitutum fuerit, quot testes requirantur, ego uni fidem habebo. Nam quidni dici possit, *ut si quis carinam terebraret?* qua forma poeta propterea utitur, quia in mente habet, *ita Cyclopis oculum torquebamus, tamquam si trabem terebraremus.* Non semel autem, etsi aliis cum particulis, illa forma usus est. Il. B. 780. οἱ δ' ἄρ' ἴσαν, ὡς εἴ τε πυρὶ χθὼν πᾶσα νέμοιτο. Λ. 389. οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ πάϊς ἄφρων. Χ. 410. τῷ δὲ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον, ὡς εἰ ἅπασα Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης. Od. I. 313. αὐτὰρ ἔπειτα ἂψ ἐπέθηχ', ὡς εἴ τε φαρέτρῃ πῶμ' ἐπιθείη. K. 415. δόκησε δ' ἄρα σφίσι θυμὸς ὣς ἔμεν, ὡς εἰ πατρίδ' ἱκοίατο. 419. ὣς ἐχάρημεν, ὡς εἴ τ' εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα. P. 366. πάντοσε χεῖρ' ὀρέγων, ὡς εἰ πτωχὸς πάλαι εἴη.

Possem hic finem facere. Sed addam tamen alias quasdem observationes de modis verborum in comparationibus. Ac primo Thierschius, ὅτε cum indicativo praesentis construi negans, etiam eos locos tentavit, in quibus haec particula non praecedente ὡς in comparationibus inveniatur. Il. B. 471. ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά, αἵ τε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει. Π. 641. ὡς ὅτε μυῖαι σταθμῷ ἔνι βρομέωσι περιγλαγέας κατὰ πέλλας, ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει. Od. X. 299. βόες ὡς ἀγελαῖαι, τὰς μέν τ' αἰόλος οἶστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν, ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται: cum quo loco hunc comparat Σ. 366. εἰ γὰρ νῶϊν ἔρις ἔργοιο γένοιτο ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται. Il. Π. 384. ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ, οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες. Omisit N. 334. ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι ἤματι τῷ, ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους, οἵτ' ἄμυδις κονίης μεγάλην ἱστᾶσιν ὀμίχλην, credo, quod etiam conjunctivus subintelligi posset. Neglexit Ψ. 598. ὡς εἴ τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι. In his igitur locis, quos attulit, omnibus p. 17. seqq. audacter conjunctivum reponi vult. Quod ego judicium vehementer miror, tum propter usum Homeri, tum propter ra-

tionem grammaticam. Nam Homerum quidem quis nescit multa talia addere generatim, rei accuratius describendae caussa: quae ob id ipsum, quod generatim dicuntur, per indicativum adjicienda sunt: et ita semper fit: veluti Il. I. 440. νήπιον, οὔπω εἰδόθ' ὁμοιΐου πολέμοιο, οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν. Deinde vero in illis locis, qui allati sunt, ne propter sensum quidem ubique conjunctivus reponi potest. Possit ille ferri in his, in quibus est, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι, si non universe intelligantur de eo, quod in vere, in auctumno, in segete fieri soleat; sed si de muscis tum vasa obsidentibus, quum fuerint madefacta lacte; de turbine tum oriente, si quando largos imbres fundat Juppiter; de rore tum spicis adhaerente, si quando segete horreant campi. Plane vero abhorret conjunctivus ab reliquis. Nam, ut hoc utar, quid longi dies ad oestrum? aut quis Latine dicentem ferat, oestro boves agitari verno tempore, quum fuerint longi dies, nec videat dicendum esse, *quum sunt longi?* In altero autem loco, in quo eadem verba sunt, sensum quidem praeberet conjunctivus, sed alienum ab loci istius natura. Nunc enim Ulysses, indicativo usus, hoc dicit, si sibi certandum cum Eurymacho sit opere faciundo veris tempore, quo longi sunt dies, diuque manere in opere licet, victorem se esse futurum. Quod si conjunctivo usus esset, hoc diceret: *si certandum nobis sit tempore verno, quum dies longi fuerint, vincam ego:* quo videretur Eurymachum in proximum ver ad certamen provocare. Quod si his in locis falsus foret conjunctivus, in reliquis autem mori poetae contrarius, posthac immotos spero indicativos mansuros esse.

Quae modo de particula ὅτε, supra autem de iis particulis et pronominibus, quibus ad similitudinem indicandam utitur Homerus, dicta sunt, eadem omnia dicta volo de pronominibus ὃς et ὅς τε. Nam haec quoque tetigit Thierschius, qui in primo illorum, de quibus modo disputatum est, locorum, p. 17. legi vult, αἵτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκωσιν, similemque mutationem etiam aliis in locis se facturum significat. At rectissime positus est indicativus, ut quo solere ita fieri indicetur. Nam ubi de re certa vereque exstante, vel de ea, quae solet fieri, vel de permanente statu sermo est, necessarius, ut ubique, ita etiam in pronominis usu indicativus est. Ubi autem de singulari facto agitur, conjunctivo locus est, nec tamen, ut excludatur indicativus, nisi si admissus rem ambiguam reddat. Il. Ψ. 517. ὅσσον δὲ τροχοῦ ἵππος ἀφίσταται, ὅς ῥά τ' ἄνακτα ἕλκῃσιν πεδίοιο τιταινόμενος σὺν ὄχεσφιν. Licuisset hic etiam indicativo uti, quo res

ut praesens describeretur. Sed Π. 259. αὐτίκα δὲ σφήκεσσιν ἐοικότες ἐξεχέοντο εἰνοδίοις, οὓς παῖδες ἐριδμαίνωσιν ἔθοντες, si indicativo usus esset, ambiguum foret, utrum solere vespas a pueris irritari, an, quae ejus mens erat, vespas, si quando irritatae essent, proruentes describere voluisset. Sed clarius apparebit hoc discrimen ex locis, in quibus uterque modus conjunctus est, ut Il. Γ. 60. αἰεί τοι κραδίη πέλεκυς ὥς ἐστιν ἀτειρὴς, ὅς τ' εἶσιν διὰ δουρὸς ὑπ' ἀνέρος, ὅς ῥά τε τέχνῃ νήϊον ἐκτάμνῃσιν. Non recte enim legitur ἐκτάμνῃσιν. Animum dicit durum esse, ut securim. Durities ergo proprium in securi est et permanens: quod quum lignis rumpendis cernatur, indicativo id exprimit: sed etsi semper adest illa in securi durities, at non apparet, nisi quum quis ea aliquid caedit: hinc per conjunctivum addit, *qui arborem caedat.* Quod si pluribus verbis ista eloqui voles, dicendum erit, animum durum esse, ut securim, cujus hoc proprium sit, lignum perrumpere, si quis ea ad caedendum utatur. Satis esse arbitror, haec uno in exemplo ostendisse. Plura qui requiret, ὅς τε cum indicativo in re certa et vera positum inveniet Il. E. 5. I. 5. Λ. 270. P. 674. X. 27. 29. de eo quod solet autem Γ. 151. 198. E. 525. H. 209. 257. N. 102. 336. Ξ. 399. Π. 157. P. 21. 571. 757. Υ. 253. T. 521. ita denique, ut nihil nisi rei natura describatur Λ 298. 550. M. 146. 434. N. 472. 571. 796. O. 587. 631. Π. 8. 757. P. 737. Υ. 165. X. 309. Ω. 42. 81. Od. E. 51. Z. 131. I. 323. P. 518. X. 403. cum conjunctivo autem ita, ut, quoniam semper de facto singulari usurpatur, fere per *quando* vel *si* explicare possis, Γ. 61. E. 137. K. 184. M. 299. 423. N. 138. 179. O. 411. 579. 680. Π. 590. P. 134. 725. Σ. 319. Φ. 283. X. 23. Ψ. 761. Od. Θ. 524. N. 31. Ψ. 234. Obiter addo, multo saepius ὅς τε, quam ὅς ῥά τε dici, et ὅς ῥά τε quidem cum indicativo multo rarius esse, quam cum conjunctivo. Loquor autem hic ubique de praesentis indicativo. Rarissimum autem est ὃς sine particula τε in comparationibus, quod cum conjunctivo invenies Il. Π. 260. 387. P. 110. Od. Δ. 357. Ξ. 65. Π. 19. cum indicativo autem praesentis nescio an nusquam, si quidem duo loci, quos statim afferam, corrupti videntur. Nam Il. Σ. 207. sic legitur: ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν ἐξ ἄστεος αἰθέρ' ἵκηται τηλόθεν ἐκ νήσου, τὴν δήϊοι ἀμφιμάχονται, οἵ τε πανημέριοι στυγερῷ κρίνονται Ἄρηϊ ἄστεος ἐκ σφετέρου. In quo loco recte dictum κρίνονται: describitur enim hostis, nec possis pro οἵτε particulam temporalem vel conditionalem ponere. Quod quum possis pro τὴν, et pene debeas, quia id ipsum agitur, ut, quando ignem accendant, indicetur, ἀμφιμάχωνται scribendum videtur. Praeterea vero ἄστεος ἐκ

σφετέρου scribendum est, quod est idem atque ἄπο πατρίδος. Alioquin enim, ut Heynius volebat, scribendum esset οἱ δὲ, quemadmodum Zenodotum legisse conjicias, qui, de insulanis haec intelligens, ἄστυ ποτὶ σφέτερον scribebat. Eodem modo in hoc, Od. E. 394. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀσπασίως βίοτος παίδεσσι φανήῃ πατρὸς, ὃς ἐν νούσῳ κεῖται κρατέρ' ἄλγεα πάσχων, scribendum est κῆται. Non alienum erit observasse, praeteriti indicativum in hujusmodi locis recte poni: eamdem enim habet vim, quam conjunctivus, ut rem ad factum singulare restringat. Ita in exemplo, huic, quod modo attuli, simillimo Il. Ψ. 222. ὡς δὲ πατὴρ οὗ παιδὸς ὀδύρεται ὄστεα καίων, νυμφίου, ὅς τε θανὼν δειλοὺς ἀκάχησε τοκῆας. Poterat conjunctivum ponere, ut et in illo fecerat, et fecit in hoc, Od. Θ. 523. ὡς δὲ γυνὴ κλαίῃσι φίλον πόσιν ἀμφιπεσοῦσα, ὅς τε ἑῆς πρόσθεν πόλιος λαῶν τε πέσῃσιν. Ita indicativus praeteriti cum pronomine ὅς τε explicari potest Il. H. 209. Λ. 173. 475. N. 390. (Π. 483.) Π. 353. 752. Φ. 494. Ψ. 432. 712. Od. Π. 217. T. 206. X. 300. 384. et cum ὃς Z. 233. (Ψ. 160.) Alibi vero, ut in praesenti, vel simpliciter describendae rei inservit, ut Il. E. 522. N. 242. Π. 583. 768. P. 282. Ω. 758. vel solere quid fieri notat, ut M. 157. N. 300. P. 549. 676. Sed ista conjunctivi ratio monet, ut dicamus de loco, qui singularis videtur, Od. T. 108. ἦ γάρ σευ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, ὥστέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων, εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα πυροὺς καὶ κριθὰς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ, τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς, ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ. Quae si verae sunt lectiones, Ibycum ipsum, non Homerum, hos versus fecisse credas. Vulgo ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βρίθῃσι, et sic etiam apud Platonem II. de rep. p. 363. B. ubi tamen ex codice affertur βρίθουσι. Deinde τίκτῃ quoque et παρέχῃ apud Platonem est, nisi quod Bas. secunda τίκτοι: τίκτῃ etiam Homeri cod. Harl. ex emendatione, et Vindobonensis 50. παρέχῃ. Et ἀνέχῃσι quidem conjunctivus omnino probandus. Quamquam enim hic indicativo videri possit locus esse, ut in descriptione regis boni, nec sermo sit de facto aliquo, sed de permanente conditione, tamen, quia non describitur rex, qualis unusquisque est, sed si quis talis sit, ut justitiam colat, recte poni conjunctivum apparet. Quae autem sequuntur, si de more per indicativum adjecta essent, φέρει δέ τε dedisset, opinor, poeta, et deinde βρίθουσι, τίκτει, παρέχει. Nunc, si genuina sunt φέρῃσι et βρίθῃσι, conjunctivi sint necesse est, ut credibile sit, etiam τίκτῃ et παρέχῃ esse genuina. Nam quod Thierschius p. 185. dicit, conjunctivum semel tantum ultra

particulam δὲ extendi, Il. P. 520. seqq. non est verum. Nam etiam Od. Ξ. 65. habemus, ὅς οἱ πολλὰ κάμησι, θεὸς δ' ἔπι ἔργον ἀέξῃ. Eodemque referri poterit Il. K. 360. ὡς δ' ὅτε καρχαρόδοντε δύω κύνε, εἰδότε θήρης, ἢ κεμάδ' ἠὲ λαγωὸν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεὶ χῶρον ἀν' ὑλήενθ'· ὁ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς. Quamquam dubitare me fateor, an etiam post indicativum inferri conjunctivus possit. Certe in illo loco, Il. N. 703. ἀλλ' ὥστ' ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον ἶσον θυμὸν ἔχοντε τιταίνετον· ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν πρυμνοῖσιν κεράεσσι πολὺς ἀνακηκίει ἱδρώς· τὼ μέν τε ζυγὸν οἶον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει, ἱεμένω κατὰ ὦλκα· τεμεῖ δέ τε τέλσον ἀρούρης, ubi nec τεμεῖ nec τέμνει ferri potest, ex scholiastarum adnotationibus colligas fuisse, qui τεμῇ legerent, is ut esset conjunctivus aoristi secundi passivi: quam opinionem priusquam quis ut absurdam rejiciat, reputet velim, quae pro ea dici possint. Alia modi mutatio est in his Il. O. 80. ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀΐξῃ νόος ἀνέρος, ὅς τ' ἐπὶ πολλὴν γαῖαν ἐληλουθὼς, φρεσὶ πευκαλίμῃσι νοήσῃ, ἔνθ' ἤην (hoc vulgatae εἴην praeferendum videtur) ἢ ἔνθα· μενοινήσειέ τε πολλά. Wolfius ex Aristarchi sententia edidit μενοινήῃσι: sed quum haec aperte correctio sit, eo ipso efficitur, ut a poeta optativum profectum credamus, qui habet idoneam rationem, si sic intelligas, *ut subito transsilit mens viri, qui multis itineribus exercitus cogitet, hic fui vel illic: possitque multa cogitare.*

Sed semel mota quaestione de mutatione modorum non potest regula praetermitti, quam Thierschius p. 185. protulit, post particulam δὲ novam institui structuram posse, non etiam post τέ. Unde ille B. 149. ex cod. Townl. ἐπί τ' ἠμύ' (ita volebat) ἀσταχύεσσιν, Θ. 340. ἑλισσόμενον δὲ δοκεύει, Λ. 156. πάντῃ δ', et p. 20. Od. Ω. 8. ἔχωνται, quoniam paullo ante ποτέωνται, ei placebat, scribendum censet. At longe alia est ratio, qua harum usus particularum in comparationibus continetur. Etenim τὲ, sive idem, sive alius sequitur verbi modus, hunc usum praestat, ut partes comparationis conjungat eas, quae nullam inter se oppositionem continent, sed tantum alia alii accedunt. Il. Γ. 33. ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη οὔρεος ἐν βήσσης, ὕπο τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς. Δὲ autem vel oppositioni inservit, ut E. 136. ὥστε λέοντα, ὅν ῥά τε ποιμὴν ἀγρῷ ἐπ' εἰροπόκοις ὀΐεσσιν χραύσῃ μέν τ' αὐλῆς ὑπεράλμενον, οὐδὲ δαμάσσῃ· τοῦ μέν τε σθένος ὦρσεν, ἔπειτα δέ τ' οὐ προσαμύνει, ἀλλὰ κατὰ σταθμοὺς δύεται, τὰ δ' ἐρῆμα φοβεῖται. Π. 299. ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο κινήσῃ πυκινὴν νεφέλην στεροπηγερέτα Ζεύς· ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι, καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ. Vel ad declarationem praecedentium adhibetur, ut B. 455.

ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῆς· ἕκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή. Δ. 75. οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω, ἢ ναύτῃσι τέρας, ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν, λαμπρόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται. 275. ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς· τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα φαίνετ' ἰὸν κατὰ πόντον· ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν· ῥίγησέν τε ἰδών, ὑπό τε σπέος ἤλασε μῆλα. Sed quid exempla in hujusmodi re congeram, quum praesertim verendum sit, ne vel sic multa attulerim, quae diligentem Homeri lectorem non lateant. Non poenitebit me tamen haec attigisse, si illud effecero, ut ne quis justo calidius de hoc genere pronunciet. Quod si hic illic, ut mihi videtur, factum est a Thierschio, non sum nescius, accidisse id obruto distractoque magna negotiorum et multitudine et varietate, ut qui saluberrimum susceperit opus instaurandi in Bavaria strenui antiquarum litterarum studii: quod opus successus habere felicissimos, egregiamque juventutem navi et industrii ducis solertia efflorescere, satis Acta illa testantur Monacensia.

FINIS.

WORKS BY THE REV. WILLIAM SEWELL, B.D.,

FELLOW AND TUTOR OF EXETER COLLEGE, OXFORD.

A JOURNAL OF A RESIDENCE AT THE COLLEGE OF ST. COLUMBA, IN IRELAND. With a Preface. *Second Edit.* 12mo. 4*s.*

THE DANGER AND SAFEGUARD OF THE YOUNG IN THE PRESENT STATE OF CONTROVERSY. A SERMON preached before the University of Oxford. 8vo. 1s.

Also by the same Author.

CHRISTIAN POLITICS. 12mo. 6s.

CHRISTIAN MORALS. 12mo. *Third edition.* 5s.

THE FIRST VOYAGE OF RODOLPH THE VOYAGER. 12mo. 4s. 6d.

THE SECOND VOYAGE. 12mo. 6s.

A SYSTEMATIC ANALYSIS OF BUTLER'S ANALOGY,

On the plan of Dr. Mill's Analysis of Pearson on the Creed.

By JOHN WILKINSON, B.A.,
Of Merton College, Oxford, and Curate of Exmouth,
in the Diocese of Exeter. 8vo. 5*s.*

WORKS OF THE LATE ARCHBISHOP LAURENCE.

Third Edition, 8vo. 10*s.* 6*d.*

AN ATTEMPT TO ILLUSTRATE THOSE ARTICLES

Of the Church of England which the Calvinists improperly consider as CALVINISTICAL; in Eight Sermons, preached before the University of Oxford in the year 1804, at the Lecture founded by J. Bampton, M.A.

8vo. 7*s.* 6*d.*

LIBRI ENOCH PROPHETÆ VERSIO ÆTHIOPICA,

Quæ seculi sub fine novissimi ex Abyssinia Britanniam advecta vix tandem litterato orbi innotuit.

8vo. *Third Edition,* 7*s.* 6*d.*

THE BOOK OF ENOCH THE PROPHET,

Now first translated from an Ethiopic MS. in the Bodleian Library.

8vo. 9*s.*

PRIMI EZRÆ LIBRI,

Qui apud Vulgatum appellatur quintus, versio Ethiopica; nunc primum in medium prolata et Latine Angliceque reddita.

8vo. 6*s.* 6*d.*

ASCENSIO ISAIÆ VATIS,

Opusculum pseudepigraphum, multis abhinc seculis, ut videtur, deperditum, nunc autem apud Æthiopas compertum, et cum Versione Latina Anglicanaque publici juris factum.

Part I. *Second Edition, Price* 5*s.* And Part II. *Price* 5s.

THE DOCTRINE OF THE CHURCH OF ENGLAND UPON THE EFFICACY OF BAPTISM, Vindicated from Misrepresentation.

BOOKS PUBLISHED BY JOHN HENRY PARKER.

THE PRACTICAL CHRISTIAN'S LIBRARY;

A SERIES OF CHEAP PUBLICATIONS, FOR GENERAL CIRCULATION.

	s.	*d.*
Learn to Die.—[Sutton.]	1	0
Private Devotions.—[Spinckes.]	1	6
The Imitation of Christ.—[à Kempis.]	1	0
Manual of Prayer for the Young.—[Ken.]	0	6
The Golden Grove.—[Taylor.]	0	6
Daily Exercises.—[Horneck.]	0	9
Life of Ambrose Bonwicke	1	0
Life of Bishop Bull.—[Nelson.]	1	6
Companion to the Prayer Book	1	0
Selections from Hooker.—[Keble.]	1	6
Advice to a Friend.—[Patrick.]	1	6
Repentance and Fasting.—[Patrick.]	1	6
On Prayer.—[Patrick.]	2	0
Practical Christian, Part I.—[Sherlock.]	2	0
——— ——— Part II.—[Sherlock.]	2	0
Meditations on the Eucharist.—[Sutton.]	2	0
Learn to Live.—[Sutton.]	1	6
The Heart's Ease.—[Patrick.]	1	6
Doctrine of the English Church.—[Heylin.]	0	8
Holy Living.—[Bp. Taylor.]	2	0
Holy Dying.—[Bp. Taylor.]	2	0
Confessions of St. Augustine	2	0

CHEAP BOOKS FOR PAROCHIAL USE.

	s.	*d.*
Berens' History of the Prayer Book	2	6
Beveridge's Sermons on the Church	3	0
Beveridge on the Catechism	1	6
Cotton's Explanation of Obsolete Words in the Bible	0	6
Hammond's Parænesis, with a Discourse of Heresy in Defence of our Church against the Romanist	1	6
Henshaw's Meditations, Miscellaneous, Holy, and Humane	1	0
Laud's Speeches on the Liturgy, &c.	2	0
Le Mesurier's Prayers for the Sick	3	0
Scandret's Sacrifice the Divine Service	1	6
Sherlock on the Catechism	0	6
Sparrow's Rationale on the Book of Common Prayer	2	6
Spelman's Rights of Churches	1	6
The Seven Penitential Psalms	0	2
Vincent of Lerins against Heresy	1	6
Wilson's Sacra Privata (entire)	1	6
Wilson on the Lord's Supper (ungarbled edition)	1	0
——— ——— *bound, with gilt edges*	1	6
Winslow's Remains, or the Catholic Churchman in his Life and Death	4	0
Wither's Hymns of the Church	2	0
——— Select Hymns	1	0

Homer
Heyne, C.G.
Excursus in

DATE.	N